1620 | 13

videtur quoque nescivisse cur Ultrajectum Rheni dicatur, id enim non ab ultra: sed corruptè pro Wiltrajectum sumitur, à populo quodam ejus tractus incola, Wiltis. ita Jacobus Gronovius Epistol. VI. Tom. 2. Clarorum Belgarum Epistol. pag. 16.

De hoc Burmanni libro vid. Nouvelle Bibliotheque, ou Histoire Litteraire des principaux Ecrits qui se publient. Mai 1739. Tome III. à la Haye, chez Pierre Paupie. pag. 102 — 115. .... Cependant, s'il est permis de dire notre pensée, il nous paroit que le Catalogue que Mr Burman donne des Ouvrages des Savans, n'est pas assez raisonné; c'est une simple liste, nüe et seche. il auroit été à souhaiter qu'il nous eût fait connoitre les meilleurs Ecrivains, qu'il les eût distingués des médiocres, en distribuant ses éloges selon le mérite de chacun. Son Ouvrage seroit encore plus intéressant, s'il nous eût donné une idée de leurs livres, soit en faisant quelques observations sur le goût dominant de ces Ouvrages, sur le but de l'Auteur, et sur le plan qu'il a suivi; soit en produisant son jugement sur le plus ou le moins d'utilité qu'on en peut retirer, et en spécifiant les divers avantages dont ces livres peuvent être la source. on s'y attendoit avec d'autant plus de fondement, que d'un côté son but qui est de réveiller l'amour de ses compatriotes pour l'étude et de leur faciliter les moïens de s'y avancer, sembloit le promettre, et que de l'autre sa vaste érudition, son bon goût, son jugement, son application au travail, son zèle pour le rétablissement et la perfection des Arts et des Sciences le mettoient en état de réussir dans cette entreprise, quelque longue, et quelque difficile qu'elle fût. ibidem pag. 114. et 115.

C. Hoynck van Papendrecht
Nunc
Ex Libris jacobi Goyers, Mechliniensis,
Pastoris in Haren juxta Bruxellas,
anno 17......

2 E 338

Catalogus Professorum Academiae Ultrajectinae ad annum usque 1736. Idiomate Belgico subsequitur Hondert-jaerige Jubel-Gedachtenisse der Akademie van Utrecht... Te Amsterdam 1736. in 4.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3050501x

TRAIECTUM ERUDITUM,

VIRORUM DOCTRINA INLUSTRIUM,

QUI

IN URBE TRAJECTO, ET REGIONE TRAJECTENSI NATI SUNT, SIVE IBI HABITARUNT,

VITAS, FATA ET SCRIPTA

EXHIBENS,

AUCTORE

CASPARO BURMANNO TRAJECTINO.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud JURIANUM A PADDENBURG,
MDCCXXXVIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PETRO BURMANNO

Parenti optimo, aeternum venerando, colendo.

SI inter praeſtantiſſima, & maxime aeſtimanda, quibus a ſupremo rerum noſtrarum arbitro beari mortales poſſumus, habenda ſit felix naſcendi conditio, merito me fortunatum praedicari licet, quod Te patre prognatus ſim, atque in primis adoleſcentiae annis prudenti manu tua, & provida cura duci ac formari mihi contigerit; qui me a teneris uſque unguiculis propenſo admodum amore non tantum proſecutus es, ſed & paterno & ſimul ſevero admonitu ad eas artes &

 ſcien-

ſcientias addiſcendas, quibus excultis non tantum non inutilis ac degener patriae meae civis evadere, ſed & ejus commoda promovere, ac gentis decus & ſplendorem, ſi non augere poſſem, ſaltem non inminuerem, ſemper incitaſti. Ubi autem firmata deinde aetas me feciſſet virum, & non meo merito, ſed amicorum tuorum favore ac benevolentia, in ampliſſimum hujus urbis Senatum adlectus eſſem, ne ſimul cum temporis, rei pretioſiſſimae & numquam rediturae, jactura, inertiae, luxuriae, aut quotidianis, quae corpus & animam corrumpere & peſſumdare ſolent, aut aliis aevi hujus oblectamentis, quibus deſides & otioſi homines aetatem conſumere ſolent, me dicarem; ſed potius in omnis aevi res geſtas, praecipue autem in patriae noſtrae hiſtorias & fata inveſtiganda, horas, quae a publico munere reſiduae ſupererant, utiliter inpenderem, continuo adhortatus es. Poſtquam vero ſaluberrimum illud conſilium ſummo cum fructu ac voluptate ſecutus ſum, non tantum Belgii noſtri annalium conditores, & hiſtoriae patriae auctores praecipuos evolvi, ſed & Curiae noſtrae angulos excutere & perſcrutari

in-

incepi, ac deinde omnibus, quae nobis ab anno MCCCC. ad haec noſtra ſuperſunt tempora (priorum enim ſeculorum acta deperdita eſſe fati iniquitas effecit) Magiſtratuum decretis & plebiſcitis, tum anterioris aevi diplomatibus & chartis, quarum ſive autographa ſive exempla in Curiae noſtrae armariis integra ſervantur, ſedulo perlectis, ea, ex quibus res in civitate patriae geſtae inluſtrari, tum mores ac ritus aetatis illius explicari, ac virorum inluſtrium merita poſteritati commendari poſſe videbantur, deſcripſi. Cumque ex iis varia me adnotaſſe Tibi oſtenderem, ut primo Analecta mea de Hadriano VI. cive Trajectino, qui per eruditionis famam ad ſummum illud honoris faſtigium evectus eſt, in publicum emitterem, auctor fuiſti. Eo autem labore peracto non ſubſiſtendum, ſed ulterius pergendum eſſe, & ad aliorum celebrium virorum fata ab interitu vindicanda, incitare me non omiſiſti. Quum vero laborioſi operis difficultate deterritus ab incepto deſiſtere vellem, plurima, ſtimuli inſtar, mihi ſubſidia copiasque auxiliares ſubinde ſubpeditaſti, & ex locupletiſſima Bibliotheca tua ingentem librorum numerum,

ex quibus pleniorem de vita & fatis inluſtrium Trajectenſium notitiam mihi comparare poſſem, in uſus meos benevolum in modum conceſſiſti. Denique ubicumque dubius animi haeſitabam, & ex obviis difficultatibus expedire me non poſſe ſignificabam, opem tuam haud fruſtra inploravi. Et quamvis non omnia, quae ad fata Trajectenſium noſtrorum, qui doctrinae ſtudiis nomen in Republica Literaria adepti ſunt, ſatis liquido mihi explorata eſſe, compertum haberem, ac proinde libellum hunc nondum producendum, ſed potius adhuc ſubprimendum cenſerem, Tu, ne ideo editionem illius differrem, cum aliorum diligentiae & induſtriae ſemper aliquid relinquendum ſit, me monuiſti. Prodit itaque inpulſu tuo ſuſceptum, ſed ſimul auctoritate tua ſubnixum, hoc qualecumque opuſculum: & licet numquam tum pro honeſtae educationis cura, tum pro adfectu plus quam paterno, aliiſque in me conlatis beneficiis, aliquid rependi a me poterit, ut tamen hoc ſaltem grati animi monumentum publice extaret, hos meos labores Tibi obferendos eſſe arbitratus ſum.

Prohibet verecundia, & animus Tibi & mihi

ab

ab omni lenocinio, quam alieniſſimus, animi Tui ſingulares dotes, ingenium, eruditionem, & merita in Rempublicam literariam egregia praedicare, quae grata mente agnoſcunt Academiae Leidenſis Curatores, qui Te inter Lycei ſui lumina non extremum locum obtinere, & tantum Doctorem nobis abſtuliſſe, gloriantur. Id autem unicum addere me & precari patiaris quaeſo, ut me filium tuum eo, quo facere ſoles, amore proſequi porro pergas, & hoc Tibi conſecratum munuſculum, non in mercedem praeſtitorum beneficiorum, iis enim expungendis aut remunerandis per omnem vitam me inparem lubens profiteor; ſed in ſinceri & devoti animi teſſeram accipere ne dedigneris. Ad me quod adtinet, ego viciſſim non deſiſtam Te omni obſervantia, quae filium ingenuum & probum decet, honorare, & conceptis precibus ac votis ardentibus munificentiſſimum rerum omnium datorem quotidie fatigare, ut Tibi matrique optimae laetam, placidam & tranquillam concedat ſenectutem, Teque diu incolumem & ſoſpitem in bonarum artium commoda, Republicae ſalutem, & gentis noſtrae decus conſervet; denique, ubi labo-

rum

rum ac dierum te ceperit faſtidium, & ad eam aetatis metam perveneris, quam ſuperare rerum humanarum caduca & fragilis conditio negat, Te felici beatorum choro adſcriptum, in coeleſtem & aeternam Academiam transferat.

PRAEFATIO.

Quum decem abhinc annis Hadriani VI Papae Romani, e Trajectenſibus noſtris originem trahentis, *Analecta* publicae luci exponerem, me ceterorum noſtratium, qui eruditionis fama celebres poſteritati nomina ſua conſecrarunt, fortunam dolere profeſſus ſum, quod nullus adhuc exſtitiſſet ſcriptor, qui memoriam & merita eorum ab interitu & oblivionis ſitu vindicaret, & ut tandem aliquis daretur, qui opus illud, quo a manibus doctiſſimorum illorum hominum non exiguam referret gratiam, in ſe ſuſciperet, optare me publice indicavi. Perſuaſiſſimum enim mihi ſedebat animo, nullam fere in toto Belgio noſtro regionem, tam anguſtis finibus & terminis circumſcriptam, uberiorem virorum doctrinae nomine & literarum peritia inluſtrium protuliſſe numerum, quam ex foecundo civitatis noſtrae Trajectenſis emerſerunt ſinu. Quamvis autem aliquo abhinc tempore dudum plurima ex diverſis auctoribus, e quibus vitam & fata Eruditorum Trajectenſium inluſtrari poſſe noveram, conlecta adnotaſſem, numquam tamen ea cum publico communicare ſerio apud animum conſtitueram, par-

tim quoniam multorum fata & res geſtae obſcuriſſima & tenebrarum caligine tecta ac ſopita eſſe compereram, partim quoniam innumera fere librorum volumina evolvenda, & ingens ſcriptorum ſtrues excutienda eſſet, ſi plenam, &, quantum fieri poteſt, perfectam eorum notitiam mihi comparare vellem. Inter haec autem opportune adcidit, ut anno MDCCXXXIV *mihi demandaretur Praefectura Vreesvicenſis, quo munere per biennium functus, in amoeniſſimo diocoeſeos noſtrae tractu dulciſſimi ſeceſſus otio fruens, ſcrinia mea excutere, & tandem hoc quidquid eſt libelli in chartam conjicere & elaborare incepi, quo continentur vita & fata doctorum hominum, qui in civitate & regione Trajectina vitalis aurae ſpiritum hauſerunt, aut in hac ipſa urbe ſedes fixerunt, ſive in Academiae & Eccleſiae ſtatione docendi partes ſuſtinuerunt, vel denique ad alios honores evecti munia publica geſſerunt, aut doctrinae laude non vulgare inter Eruditos nomen conſecuti ſunt. Prodit autem, ut vides, ſtilo Biographis maxime uſitato & adcommodato, id eſt ſimplicisſimo, & qui non ambitioſa & ad ornatum compoſita, ſed nuda tantum & perſpicua oratione exponit ea, quae mihi ex auctoribus ipſis, aut aliorum ſcriptorum commentariis, ad fata illorum inluſtranda inter legendum excepta conlegi: & licet nullus dubitem, quin hic & illic in quibusdam erraverim, nonnulla etiam ad res geſtas eorum, quorum memoriam recolere datur, ſpectantia, & forte quosdam, qui in Trajectina ditione editi, vel fato hic defuncti ſunt, memorare neglexerim; veniam tamen, ut par eſt, mihi daturum aequum & benevolum lectorem confido, ſi animo ſecum cogitare velit, fieri vix aliter poſſe, etiamſi totum fere vitae tempus*

huic

huic uni labori inpendere vellem, quin ſemper hic & illic eruditus & adcuratus Lector quaedam deſiderare poſſet. Quare hic publice teſtatum volo, me omnibus illis, qui amice & comiter de erroribus me admonere, aut quaecumque prætermiſerim, edocere velint, haud parum debiturum, & gratisſimo animo, ut ingenuum & cordatum hominem decet, hanc mihi & patriae praeſtitam operam lubenter agniturum. Non enim ad reconditae alicujus doctrinae famam adſpirare hoc opuſculo umquam adniſus ſum, cum unica cauſſa, ob quam laborem hunc ſuſceperim, ſit amor ille, quo patriam regionem, cui natales meos debere mihi gratulor, proſequi rectum civem decet, & qui praecipue mihi ſtimulos addidit, ut merita & labores tam inſignium virorum, qui nominis ſui fama ac celebritate Trajectum noſtrum olim inluſtre & apud exteras etiam gentes clarum reddiderunt, Trajectenſibus noſtris ad exempli inſtar proponerem; eo ſcilicet animo ac conſilio, ut veſtigiis eorum inhaerentes, Literarum ac bonarum artium ſtudia, quae viros ingenuos exornant, eosque patriae utiles & neceſſarios reddunt, negligere aut deſpicere omittant, tum illis praeſertim, qui Muſarum ſacra bona fide ac ſevera lege excolunt, juſtum pretium ponere addiſcant. Mirandum certe eſt, plures elapſis abhinc ſeculis viros literarum ſcientia & doctrinae laude conſpicuos Trajectum protuliſſe, quam noſtra aetate florere videmus, id quod luculentis & manifeſtis exemplis docere poteſt hic noſter libellus. Unicum enim ſi excipiamus Gulielmum van der Muelen, Dynaſtam in Oudbroekhuyſen, Niecop, Portengen &c. aggerum, qui inferiorem Leccae partem coercent, Praefectum, Aedis D. Mariae Decanum, & ſupremi noſtri Dicaſterii Senatorem integerrimum,

mum, ejusque ſingulare ornamentum, virum praeconio noſtro longe ſuperiorem, qui cum Juris civilis prudentia Juris naturalis ſive moralis ſcientiam conjungendam recte exiſtimavit, & in Theologia naturali excolenda ut & in publici juris ſcientia ſibi comparanda, & tractanda aetatem fere conſumpſit, uti de ſe ipſo teſtatur vir omni laude dignus Diſſert. de Die Mundi & Rerum omnium natali pag. CCCLXXXV. *& Diſſertat.* II *pag.* DLXXIX. *ut & in Praefatione Diſſertationis de Ortu & interitu Imperii Romani: cui merito ſuo adjungi debet doctiſſimus Johannes van de Water, qui, rariſſimo hujus aevi exemplo, ſola eruditione viam ſibi ad ſummum honorem aperuit, nullum hodie dari, quem cum Burchiis, Canteris, Cauchiis, Rodenburchio, Moreelſe, Velthuſio, Someren, aliiſque, qui praeteritis ſeculis in civitate noſtra praeclaris muneribus & dignitatibus functi ſunt, componere poſſumus, facile mihi conceſſuros aequos rerum arbitros cenſeo. Si vero Academiam noſtram intueamur, & eorum, qui docendi munere in ea perfunguntur, tum eorum, quibus Eccleſiae noſtrae ſalus ac cura commiſſa eſt, numerum inire velimus, unum tantum inter Togatos, nullum vero inter Sacrorum Antiſtites, reperiri videbimus, qui vitae primordia hac in urbe cepit; cum tamen praecedenti ſeculo dimidia fere eorum pars ex Trajectenſibus conſtiterit. An igitur non ea ingenii felicitate & mentis perſpicacia ac olim praeditos, aut potius hebetiores ac parum habiles ad eas artes & diſciplinas excolendas, quibus perceptis patriae ſuae inſervire, & Academiae ornamenta atque Eccleſiae decora exiſtere valeant, naſci hodie Trajectinos dicendum erit? Id autem neminem, qui aliquam cum Trajectenſibus noſtris conſuetudinem & uſum habet, facile adfirmaturum opinor; plurimos enim*

bodie

hodie inter civitatis hujus proceres in artibus regundae & adminiſtrandae Reipublicae verſatiſſimos, & in dignitate ſua tuenda perquam idoneos conſpici, tum publicis privatisque rationibus conſulendo ſollertiſſimos repperiri, fateri neceſſe habebit. Ad Academiam autem quod adtinet, licet unus tantum Arnoldus Drakenborchius hodie inter Profeſſores Trajecto genitus inveniatur, in eo tamen viro cum doctiſſimis, quos umquam regio noſtra protulit, comparando, gloriari merito poteſt: & quamvis non iis honoribus & commodis gaudeat, quibus alios verae ac ſolidae eruditionis dote ipſi ſi non inferiores certe minime ſuperiores, ſubinde mactatos videmus, nulli tamen (abſit verbo invidia) doctrinae atque indefeſſae induſtriae laude poſthabendum eſſe liquido ſatis probant ſcripta ejus cedro digniſſima, & aeternitatem promeriti labores, quos jam pridem Silio Italico & nuperrime Livio edendo contulit, quorum pretium gratior poſteritas demum agnitura eſt, & quem Virum aetas noſtra non intellexit, ſeri nepotes juſtis ac debitis praeconiis celebrabunt. Quamnam igitur rationem eſſe cenſebimus, cur tam pauci, & vix unus & alter hodie reperiantur, quorum memoria annalibus noſtris & faſtis Academicis merito commendari poterit? Variae equidem in medium proferri hic poterant, easque inter perverſa illa filiorum, quorum parentes in re lauta conſtituti ſunt, educatio, tum bonarum artium contemptus, ac communis fere omnibus gentibus ſtudiorum corruptela, & a majoribus longe diverſa in tradendis diſciplinarum elementis inſtituta hodie via. Quibus addi inſuper

 poſſit,

poſſit, quod a plurimis viri docti, & qui Muſas, e litore noſtro paene profugas, ſiſtere ac detinere nituntur, non eo in loco ac pretio habeantur, quo prioribus ſeculis fieri ſolebat, & quod vulgo illa, quae natalis regio, ac propria patriae noſtrae terra ſatis fertili ſegete producit, ut communia ac trita deſpiciamus, & ſemper ea, quae ex peregrinis & longinquis ad nos deferuntur oris, ut magis eximia & exquiſita, arceſſiri jubeamus, & tanquam ſola prae noſtris magnifica & praeclara eſſent, adpetere, ac ſaepe etiam caro ſatis pretio comparare geſtiamus. Quibus alias ſubtexere poſſemus cauſſas, niſi patriae amor vetaret ea indicare, quae, ſi verum profiteri amamus, inter ſeculi hujus labes & naevos jure numerare nos decet. Illud certe inter omnes conſtat, longe alia, quam parentum noſtrorum memoria ſolebat, ratione conſtitui hodie Academiam. Praeterito enim ſeculo, ſi cujusdam civis filius cum induſtria non vulgari ſtudiis gnaviter incubuiſſet, & cum adplauſu Lauream conſecutus eſſet, mox Lectoris aut Profesſoris extra ordinem titulo ornabatur, ac proinde prudentiſſimi Academiae Curatores ejusmodi juvenes, quos Academiae ſuae utiles quandoque futuros augurabantur, ſibi vindicabant, eosque ſemper Profeſſoribus, quos ſenectus debiles, aut alia quaevis incommoda ferendo oneri inpares reddebant, ut defeſſo Atlanti humeros ſubſtituiſſe fertur Hercules, egregios ſucceſſores deſtinabant, qui, nobili ambitionis ardore abrepti, totos ſe iis ſcientiis ac diſciplinis, quas publice profitebantur, excolendis tradebant, & ita ce-

le-

lebrium Profeſſorum partes ſuſtinuerunt. Quamvis autem negare nequeam, civium honoratiorum filios non tanta animi contentione ac ſedulitate ſtudiis operari, quanta quidem praeteritis temporibus fieri glorioſum erat, vidimus tamen noſtra etiam aetate nonnullos, qui literis elegantioribus egregie inbuti, variis mox diſciplinis animum exornarunt, ac ſpeciminibus publice editis peritiam illius ſcientiae, cui ſe totos emancipaverant, omnibus probantes, ſe dignos atque habiles, per quos Academiae patriae incrementa ac commoda promoveantur, cum laude oſtenderunt; ſed quorum tamen nulla omnino ratio, ſi de rebus Academiae conſtituendis ſermo incidat, habetur. His autem ſimilibus ac praeſertim iis, in quibus praeter communem, quae adſiduo adquiritur ſtudio ac labore, eruditionem praeclara ingenii vis & vivida mentis acies elucet, ſi poſt ſtudium Academicum feliciter decurſum dignus ad cathedram concederetur aditus, nullus dubito, quin brevi optimis Profeſſoribus in urbe patria natis Academia noſtra gloriari & ſe commendare poſſet. Sed quoniam juſtiſſimis his querelis facilius cordatorum hominum adſenſum, quam neceſſarium ac ſaluberrimum malis his remedium ſperare liceat, nos, manu de tabula ſublata, hic pedem figimus, & Praefationi finem inponimus.

Ad Virum Ampliſſimum

CASPARUM BURMANNUM

Reip. Trajectinae Senatorem,

Eruditorum, quos Trajectum vel protulit vel fovit, Virorum vitas accuratisſime enarrantem.

Grande decus Procerum; caſtae tutela Minervae;
O! & praeſidium civis, & urbis amor!
Magna Patris magni ſuboles! quem ſuſpicit orbis,
Dum ſtupet ingenii fertilioris opes.
Principe quo Batavûm nullus felicius unquam
Aoniae potuit fila movere Lyrae.
Quem ſibi, quos longo tellus tulit ordine vates
Itala, laetantur reſtituiſſe decus.
Digne nepos proavis! ſancti quos lucida coetus
Sidera poſteritas devenerata colit.
Tu quoque (ſic, Burmanne, decet) clareſcere chartis
Pergis, & in docto nomen habere choro.
Otia ſic, quae dant operoſa negotia parce,
Artibus ingenuis uſque ſacrare juvat.
Quam bene conveniat doctrinae & honoribus amplis,
Diſcat ab exemplo Curia tota tuo.
Namque ſalus populi dum lex tibi prima, fugatas
Altera Pieridas ſiſtere cura manet.
Nec ſequeris multos, quos ſors vel amica potentum
Gratia dat cellis adnumerare Viris,

Qui

Qui veterum volviſſe libros, monumentaque priſca
  Ingenii credunt, ſed levioris, opus.
Et qui turpe putant, ſplendet quibus ordo togatus,
  Palladios titulis adpoſuiſſe ſuis,
Quique ſupercilio ſpernunt dominante, voluptas
  Prima quibus ſtudiis invigilare fuit.
O! animae viles; nec ſemine nata Batavo,
  Ficta nec e puro pectora coeca luto!
Inſpice, quiſquis eris, quae docta volumina ſcripſit
  Gnava Senatoris perpoliitque manus;
Forſitan incutient praeclara exempla ruborem,
  Atque utinam ſtimulos haec ad honeſta darent!
Forſitan invenies atavumve, abavumve, patremve,
  Aut tua quos plures protulit ampla domus,
Publica quos magnis admovit gloria curis,
  Et patriae juſſit frena tenere ſuae,
Quique rati teneras, queis Pallas praeſidet, artes
  Non minus eximium conciliare decus.
Credite, barbaries patrias inrepat in urbes,
  Nec ſtudiis maneat, qui tueatur, honos,
Vos quoque, de ſummo dejectos culmine, tempus
  Exiguum cernet ſubdere colla jugo.
Di meliora piis! ſervet ſua nomina virtus,
  Et redeat Muſis, qui fuit ante, vigor.
Te, Caſpare, nihil duce deſperabimus. olim
  Teque domumque tuam ſecla futura canent,
Dumque aliquis celebri Burmannûm e ſtirpe ſuperſit,
  Vendicet Auſonii qui decus oris, erit.

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.

A D L O Q U I U M

Ad Virum Nobiliſſimum & Ampliſſimum

CASPARUM BURMANNUM,

Quum Trajectum Eruditum ederet.

Optime Vir, magno ſoboles digniſſima Patre,
  Decuſque Gentis inclytum Burmanniae,
Nobile Trajectum quo nomine jure ſuperbit,
  Cujusque partem Leida vindicat ſibi;
Scilicet haud tibi nocte ſatis, Caſpare, dieque
  Tribuere cunctas publico curas bono,
Et leges Patriae, & jura intemerata tueri,
  Suisque ſemper reddere aequa civibus,
Praeſidioque bonos, ut fas, defendere juſto,
  Et debitis domare poenis inprobos:
Haud ſatis hoc, Burmanne, tibi, qui tempora ſegni
  Inertia tranſire fruſtra non ſinis;
At Themidi donas & doctis otia Muſis,
  Fallis vacivum tempus aut ſermonibus,
Et laſſam recreas dulces mentem inter amicos,
  Negotioſus ſemper ipſo in otio.
Sive juvat Patriae priſcos cognoſcere ritus,
  Viroſque moreſque Batavum queis res ſtetit:
Et quibus a populo quondam, ſub legibus aequis,
  Auctoritas & cura rerum tradita.
Sive quibus quondam haec tellus jactata procellis,
  Pugnata primis quaeque Belgis praelia,

Et

Et patrios Latio madefactos ſanguine campos,
Et Claudii Civilis acres ſpiritus.
Seu propiora libet noſtris cognoſcere ſeclis
Credenda ſeris facta vix nepotibus,
Et Proavum egregios patriis pro legibus auſus,
Queis ſervitute mors honeſta gratior,
Cernere & Albanum, quo non crudelior alter,
Non Mithridates Ponticus, non Hannibal,
Divitiis gemini ſubnixum & viribus orbis,
Mundo catenas queis parabat nectere,
Turpiter innocuo maculatum ſanguine, terras,
Quamvis frementem, Belgicas relinquere,
Ruptaque magnanimo circumdata vincla Leoni,
Et Belga tandem factus ut juris ſui,
Usque tenax libertatis, Dominumque potentem,
Et ferre durum ſemper inpotens jugum,
Signa per Eoas tulerit victricia terras,
Tropaea figens Solis uſque limites,
Occiduumque orbem, priſciſque incognita regna,
Inpleverit terrore late nominis.
Ut conjuratos, Gallum ingratumque Britannum,
Delere nomen Belgicum omne funditus,
Jcta licet graviter, ſubitaque oppreſſa procella,
Vix fluctibus reſiſteret Reſpublica,
Repulerit ſumptis animoſus fortiter armis,
Mordere & atrum pulverem coegerit.
Sanguine & hoſtili toties infecerit aequor,
Nec claſſe par nec milite, at victor tamen.
Primaque ſic relegens Batavae incunabula Gentis,
Noſtraeque Civitatis ortus lubricos,
Et cara innumeros pro libertate labores,
Favente Belgis uſque ſummo Numine,
Et quibus exciderint auſis, quandove potiti,
Et quid ſequendum quidve vitandum notans,

Inſpicis in vitas aliorum, exemplaque cautus
Depromis inde quae Tibi ſint uſui:
Praeceptisque animum pectuſque ſalubribus inples
Scientiae civilis & Prudentiae.
Non tamen his, Burmanne, tuis ſe finibus ardor,
Laudabilisque continet cupiditas.
Mox ſtudia & vitam & Doctorum fata Virorum,
Et cara cordi eſt noſſe Muſis nomina.
Et quibus ingenii monumentis quisque perenne
Decus pararint Patriae & ſimul ſibi.
Haec Tibi curarum requies, haec grata laborum
Viciſſitudo tollit omne taedium.
Nec premis invidia clauſave recondis in arca,
Velut repoſtis incubans gazis Draco.
Aſt indefeſſo laetus quaeſita labore
Mox liberali publico donas manu.
Teſtis, Trajecti non infima gloria, per Te
Poſt fata vivens Hadrianus Pontifex:
Clarorum ſeries teſtis numeroſa Virorum,
Haec docta nobis exhibet quos pagina,
Trajectina dedit quibus incunabula tellus,
Benigna fovitque erudito quos ſinu.
Quos tua pro meritis celebrat dum dextera, clarum
Fatoque functis & tibi nomen paras.
Perge, mea ſatis haud unquam laudande Camoena,
Et veſtra laudes reſpuit modeſtia,
Divitis ingenii monumentis noſtra beare
Induſtriaeque ſecla doctis foetibus.
Deque tua Patria porro bene perge mereri,
Urbisque noſtrae promovere commoda.
Crede mihi, meritis deerunt haud praemia tantis,
Integritati quaeque merces debita.
Tempus adeſt, ſi quid pia vota preceſque valebunt,
Si non amantem decipit ſpes credula,

Cer-

Certaque deludunt niſi mentem ſigna futuri,
Quum grata te producet in dignum locum
Patria: tunc Sanctus Te jura regente Senatus
Extollet aſtra laetior caput ſuper.
Aurea Libertas Proavum tunc ſanguine parta,
Nec absque multo poſteris diſcrimine
Tradita, ſub miti Procerum moderamine felix,
In ſede tuta ſe locatam ſentiet.
Tunc prava Ambitio, noſtrique infamia ſecli,
Obſedit aegra corda quae mortalium,
Auri ſacra fames, nunquamque expleta cupido,
Majora partis ſemper appetens bonis,
Errabit longe patris a finibus exſul,
Bonaeque Menti priſtinum cedet locum.
Quo mea Muſa ruis, majoraque viribus audes!
Inflata prudens vela navis contrahe.
Quidquid erit, Burmanne, manet te gloria, lauſque
Aeterna, donec literis honos erit.
Donec Virtuti pretium Fideique manebit
Nec exſulabit omnis orbe Integritas
Grataque poſteritas, meritis haud invida tantis,
Poſt fata nullus quippe Livori locus,
Diffundet pleno ore tuas & pectore dotes,
Et praedicabit laeta quanta debeat.
Quaque patet totum tua didita fama per orbem,
Nomenque nullis ſeculis delebile,
Clarorum per docta virum celebrabitur ora
Decuſque gentis inclytum Burmanniae.

JOANNES ALEXANDER RÖELL, H. A. F.

E L E G I A

IN

TRAJECTUM ERUDITUM

a Viro Ampliſſimo

PATRUELI HONORATISSIMO

CASPARO BURMANNO

Civitatis Trajectinae Senatore, ac Judice Integerrimo &c. &c.

I N L U S T R A T U M.

Salve quae Batavas inter ſublimius urbes
  Inclyta Trajectum tollis ad aſtra caput.
Turribus excelſis, auguſtis ardua templis,
  Daedalea oſtentans atria ſtructa manu.
Urbs antiqua, potens, & nobilitate vetuſti
  Sanguinis, & claris conſpicienda viris.
Salve Caſtalidum & Phoebi gratiſſima ſedes,
  Utque prius, Muſae plaude benigna meae.
Vechta pater, puro qui Rheni a flumine curris,
  Splendidaque inriguis moenia lambis aquis.
Naïadumque chorus, vitreis quae luditis undis,
  Carminibus facilis turba favete meis.
Tuque, tuum quondam neque enim adſpernaris alumnum,
  Trajectina mihi Pallas amica veni.

Si

Si bene noſtra ſacris umquam eſt operata juventus
Phoebe tuis, Clarii pars ego ſi qua chori.
Nec pede degeneri tentamus ad ardua Pindi
Culmina, ſed vulgo non adeunda, viam.
Si merear laetum praeſenti a Numine nutum,
Nunc quoque cultorem reſpice, Phoebe, tuum.
Trajecti dulces, viridaria culta, receſſus,
Rura ſuburbani luxurioſa ſoli.
O quondam noſtrae gratiſſima ſcena Thaliae,
Et loca deliciis conſcia ſaepe meis.
Et vos frondoſae ſecreta ſilentia ſilvae,
Salvete, & latebras pandite laeta ſacras.
Cedit Aricini nemoris quîs gratia, cedit
Aonio Daphnes terra ſacrata Deo.
Qua vos laude canam, vel quo vos carmine dicam,
O Trajectini gaudia mille ſoli?
Theſſala non Tempe mihi garrula Graecia jactet,
Et tu, quae ſeptem collibus alta ſedes,
Deſine Campanos mirari, Roma, receſſus,
Nec Calabros ſaltus, pinguiaque arva petas.
Mitte tuae ſedem Tibur ſperare ſenectae
Flacce, decus Latiae famaque ſola lyrae.
Aut Surrentino laudatos palmite colles,
Aut loca Praeneſtis aemula deliciis.
Non mihi Pauſilypum, non gaudia Mergillinae
Actius ut Tempe Parthenopaea colat.
Illa nec ut Clarii nemoris myrteta celebret
Heinſius, & pulchro carmine ad aſtra ferat.
His etenim cunctis, quas praedicat alta vetuſtas,
Delicias par eſt praepoſuiſſe tuas.
Non tamen hac ſola, Trajectum, dote ſuperbis,
Nec tantum a genio laus tibi parta loci.
Quam quod poſthabitis Parnaſi verticis umbris
Hoſpitium grata Phoebus in urbe tenet.

Et

Et gremio Muſas nutris non parca benigno,
Nec tibi Doctrinae ſordet inane decus.
Sed quod nobilium tibi ſit ſeges ampla Virorum,
Et pretium Aonio ponis amica choro.
Hinc tua longinquas perrumpit gloria gentes,
Nec levior clarae laus tibi nata Scholae.
O mihi ſi vena flueret de divite carmen,
Ingeniique forent fertilioris opes!
Cincta caput lauru, cultumque induta decentem,
Muſa cothurnato ſurgeret alta pede.
Te canerem, & docti meritis celebrata Lycei
Nomina, poſt genito digna nepote legi.
Et decora, & terrae canerem felicis honores,
Et Trajectino ſidera clara polo.
Utque tibi Heroum ſoboles, & laude parentum
Inclyta foecundo nata propago ſinu.
Ut quondam inluſtres Muſis patuere penates,
Quae numquam tenues incoluere lares.
Ingenuas Proceres ad caſtae Palladis artes
Exemplo natos ut ſtimulare ſuo.
Cerne Radelantum doctrina & honoribus auctum,
Aut Rodenburgae ſtemmata priſca domus.
Cerne Ratalleri Grajas Latiaſque Camenas,
Trajectina, tuum, Curia, grande decus.
Conſulibus doctis praeclaram reſpice gentem
Cauchiadum; Clario gratus uterque Deo.
Et Canterorum cedro digniſſima ſcripta,
Pluraque victuro nomina danda peplo.
O utinam ſecli redeat ſors iſta prioris,
Et meritum Muſis creſcat, ut ante, decus!
Nec tua foecundis frugum pro meſſibus umquam
Infelix lolium triſte refundat humus!
Poſteritas utinam, virtutem imitata parentum
Inſignes multa laude referret avos!

Nam

Nam quid ab inluſtri revocatus origine ſanguis,
Quid genus a docta ducere ſtirpe juvat?
Ni proavûm titulos, & avitae praemia famae,
Extendat proprio clarus honore nepos:
Degener at pereas vervecum turba malorum,
At ſtolidum agreſti paſcere glande pecus.
Qui nihil ad faſces & ſumma negotia natos
Palladias artes poſſe decere putas.
Aut cultum ſtudiis pectus formare ſeveris,
Indignum excelſo dedecus eſſe Viro.
Non ea barbaries noſtris majoribus, & quîs
Incaluit Batavo ſanguine vena, fuit.
Tum pudor ignavo lentum marcere veterno,
Turpis & in vita deſide torpor erat.
Publica ſed vigiles conferre ad commoda curas,
Et patriae & gentis noſcere fata ſuae;
Ingenii aut varias adjungere dotibus artes,
Gloria principibus lauſque erat una viris.
Hac, CASPARE, via generoſo tendere paſſu
Ad decus & Famae limina, cura fuit.
Hac tibi jam puero formata eſt lege juventa,
Haec placuit vitae norma moduſque tuae.
Eripuit vulgo te nobilis ardor inerti,
Patria nec civi favit iniqua ſuo.
Praemia ſed meritis diſpenſans debita raris,
Inter honoratos legit amica patres.
Et tibi conſortes inter ſociosque laborum
Credidit imperii publica frena ſui.
Tu pariter patriae famam proferre, tuisque
Civibus aeternum conciliare decus;
Natalisque ſoli ſplendentia lumina quondam
Niteris aetheria tollere ad aſtra via.
Ut bona poſteritas veteris veſtigia laudis,
Factaque majorum diſcat honora ſequi.

****

Macte

Macte tua virtute, ſacras & Apollinis artes,
Ut facis, exemplo perge fovere tuo.
Elyſiis magnae adſurgunt tibi ſedibus umbrae,
Vita tua rediit quîs recidiva manu.
Officium inluſtres agnoſcunt nobile manes,
Et rara adplaudunt pro pietate tibi.
Feliceſque animas inter tibi Graevius ingens,
Graevius Aonidum gloria prima, favet.
Doctorumque tuo celebrata volumine turba
Accinit, & grates officioſa refert.
Egregio & ſtatuens pretium non vile labori
Apta parat capiti laurea ſerta tuo.
Tu modo, Trajectum, ſi doctis juſta reponis
Praemia, BURMANNIS ſi quid, ut ante, faves,
Si bene quid de te quondam meruiſſe feratur,
Atque aliquod dederit gens tibi noſtra decus;
Et domita Invidiae rabie, licet audiat, atrae
Aucta ſit a Patruo ſi tibi fama meo.
Accipe grata tuae monumenta perennia laudis,
Quae tibi CASPARI ſedula dextra dicat.
Nec tibi, quae veſtrae crevit ſub Palladis umbra,
Sit mea dedecori Calliopea, precor.
Maximaque a Muſis quoniam tibi gloria parta eſt,
Adnue Pierio, ceu decet, aequa choro.
Eſt tibi, & o multos ſit DRAKENBURCHIUS annos,
Qui patria profugas detinet urbe Deas.
Sunt alii, quorum auſpiciis res laeta vigebit,
Qui ſtudiis dignum conciliare decus,
Et valeant priſcas ſervare fideliter artes;
Vivite, quîs merito laus ea danda venit!
Hoſpitiumque ſacris blandum concede Camenis,
Pelle ſed a Phoebi limine vulgus iners.
Sic ſtudiis exculta bonis tibi plurima pubes
Floreat, in patriae commoda nata ſuae:

Innu-

Innumerus claram ſic advena tendat in urbem,
   Et tua natali praeferat arva ſolo.
Sic ſegetes ſemper, creſcant feliciter umbrae,
   Perpetui & felix tempora veris agas.
Sic numquam arboribus deſit tibi ſuavis aëdon,
   Inque tuo multus flumine cantet olor.
Capripedum ſic turba levis, Faunique bicornes,
   Formoſas ſaltent inter Hamadryadas.
Semper & annoſo ſpument tibi pocula Baccho,
   Et ſatur Autumno divite abundet ager.
Creſcite Trajecti viridaria, creſcite lauri,
   Creſcite Apollineo grata latebra Deo.
Semper & o ſacris dilectam vatibus umbram
   Sufficite, & doctis otia laeta Viris.

PETRUS BURMANNUS.
FR. FIL. FR. NEP.

Franequerae a. d. IV. Aug.
CIƆIƆCCXXXVIII.

A D

Amplisſimum & Nobilisſimum

V I R U M

CASPARUM BURMANNUM

Juriſconſultum, Urbis Trajectinae Senatorem & Judicem, plurimisque in rem publicam & literariam meritis conſpicuum,

Cum ederet

TRAJECTUM ERUDITUM.

Ite, pii vates: BURMANNAM dicite gentem,
Laude tot inſignes quae dedit una viros.
Eminet hos inter, claris virtutibus auctus,
CASPARUS patriae dextera fida ſuae:
Quam Pater & meritis Avus implevere (vel ipſe
Non negat hoc livor) maximus Urbis amor:
Urbis amor, totum cui ſe ſic dedicat uni,
Hujus ut anteferat commoda cuncta ſuis.
Alma Themis, poſuit caſto tibi pectore templum,
Exemplum, Judex, judicis Ille boni.
Non minor es Phoebi cultor, CASPARE; ſed ingens
Gloria Pierii Tu columenque chori.
Nec perſona Tibi, quamvis ampliſſima, quae Te
Secernit populo, ſola dat omne decus.

Et

Et docto laus magna Tibi quaeſita labore eſt:
Quem tribuunt vivo ſcripta, manebit honor.
Fertilis ingenii cultiſſima munera teſtor.
Quam paſcunt oculos aurea tota meos!
Quod nunc accipimus cupidi, delere nec unquam
Tempus edax poterit, nobile teſtor opus.
Hoc opus annorum monumenta quot invidet Orco!
Quot reddit patrio pignora cara ſolo!
Pene vetuſtatis conſumta volumina tabe
Eruit e tenebris officioſa manus.
Non patitur tua cura mori, quicumque ſeveris
Trajectum ſtudiis emeruere tuam.
Luci reſtituis, longa qui nocte ſepulti,
Vix tribus, aut noti forte duobus erant.
Librorum varios per Te cognoſcimus uſus,
Turpiter abjecti qui tacuere diu.
I nunc, ingeniis totum celebrata per orbem,
Vertice Trajectum ſidera ſumma feri.
Vita tuae manſura redit telluris alumnis,
Et redit antiquum conſpicuumque decus.
Tu grates perſolve Viro, qui magna reducit
Nomina tot, nullo deperitura die:
Tuque fove, quicumque tibi cum laude miniſtrant,
Erudient cives qui tibi cumque tuos.
Candidior, praeſens quandoque negaverit aetas,
Praemia det, longo digna labore, nepos.
Dente necat ſi quos obſcoena Calumnia nigro,
Coelo poſteritas aequa memorque beet.
Tu teneas ſedes, VELTHUSI clare, priores.
Ante alios ſanctus tu mihi ſemper eris.
Turpe quid, aut pulchrum, quid juſtum, quid ſit iniquum,
Quid ſequar, aut fugiam, me tua charta monet.
Scilicet interpres veri, doctorque pudoris
Optimus, & toto pectore purus erat.

Cum tamen hic eſſet; ſtolidi convicia vulgi
  Paſſus, & indoctis fabula quanta fuit!
More modoque ſuum, vili plebs veſcere glande:
  Sordibus, infelix natio, creſce tuis.
Rode bonas artes, niveos pete, Zoïle, mores:
  Pallade praecipuos, invide, carpe viros.
Saeviat in cineres immanis vipera ſacros:
  Immundus violet buſta quieta canis.
Non egò Livoris dentem contundere quaero.
  Nil agis, & fruſtra, turba maligna, gemis.
Nil agis: intrarunt ſedes quicumque beatas,
  Deſpiciunt morſus, dira caterva, tuos.
Gaudia, coeleſtes, capitis ſecura, nec ullis
  Pax temeranda malis, vos ſine fine juvat.
Vos fatuam ſupero ridetis ab aethere linguam,
  Quasque tonat, vanas, fex Phariſea, minas.
Veſtrarum, quae nos facimus, praeconia laudum,
  Parva licet, magni muneris inſtar eant.
Tam bene qui curas & viſcera veſtra tuetur,
  Nectantur merito debita ſerta Viro.
Sublimi, vos quale decet, celebretur oportet
  CASPARI pietas carmine rara mei.
Et mihi nunc veſter cantanti ſpiritus adſit!
  Nunc caleant veſtro numine corda mihi!
Conor (at incaſſum) placituros fingere verſus.
  Mens avet in laudes, ſumme Vir, ire tuas.
O utinam faciles venam viresque novarent,
  Et mihi dictarent carmina grata Deae!
Quas colui quondam: tunc, cum pendere licebat
  (Quod gaudens repeto) Patris ab ore tui.
PETRE (Deum teſtor) memori Te pectore geſto:
  Atque animo vultus cerno favente tuos.
Nec, CASPARE, meis quamvis ornare Camenis
  Te nequeam, potero non meminiſſe Tui.

Poſt-

Poſtquam Pieridas non ſum dignatus honore,
Difficiles veniunt, me nec, ut ante, vident.
Nec mea vota Deum potuerunt flectere vatem.
Caſtaliſin non eſt utilis ille magis.
Te celebrent alii, quos audit mitis, & intrat:
Quorum Pegaſeo labra liquore madent.
Jam tuus ecce, Dei totus, quem corde recepit
Pene puer, Muſae quem, Patruelis, agunt,
PETRUS, & ipſe tui dictus de nomine Patris,
Magna ſonat, nec Te praedicat ore ſuo.
Ille manu Patrui Clarias formatus in artes,
Jam dudum Patruo gloria certa fuit.
Jam dudum Friſii lux, non moritura, Lycei,
En ornat Spartam ſedulus Ille ſuam.
PETRE, Tibi dum dexter adeſt, dum ridet Apollo,
Dumque Tibi vires in decus omne vigent:
Exemplo Patrui caſtas defende puellas,
Hujus & in titulos creſce volente Deo.
At, licet inſideat pectus, faveatque moventi
Delius argutae fila canora lyrae;
Crede tamen, veniamque mihi da vera fatenti:
CASPARI meritis eſt tua vena minor.
Vate nec Huic opus eſt, cumulet qui laudibus, aut qui
Grande ferat blandis nomen ad aſtra ſonis.
Te melius ſtudii documenta, Vir inclyte, clarant:
Non cadet ingenio condita fama tuo.
Hac ipſa vives: perque omnia ſecula qui Te,
Eximiumque Patrem qui memorabit, erit.
Leida, tuum decus Ille, tuae pars optima laudis,
Cui debes plus, quam reddere grata potes:
Non ſecus ac Phoebi ſoror inter ſidera, Pindi
Inter tot Batavi lumida clara nitet.
Quae, neglecta diu, tua rura reliquerat olim,
Dos Trajectini maxima nuper agri:

Tra-

Trajectum fugiens, divina Poëtica tandem
Cum PETRO Batavam ſera reviſit humum.
Turba Poëtarum, quos nutrit Belga, parentem
Hunc vocat ex merito laeta, colitque, ſuum.
Gloria doctarum DORVILLIUS una ſororum,
Et Phoebi & Charitum cura decora trium:
Ex domitis monſtris acti cui ſaepe triumphi
Dant nomen, mundo quod pereunte cadet:
Qua cunctos ſuperat, praeclaram carminis artem
Acceptam PETRO gratus & ipſe refert.
Vix minor egregio, DORVILLI culte, Magiſtro,
Vive, precor, Pylios, & ſine nube, dies.
Et tua, Leida, Deum ſupplex in vota fatigo:
Ominibus faveo, terra Batava, tuis.
PETRE, Tibi, quaecumque ſuis cultoribus aequus
Ferre ſolet, larga det Deus, opto, manu.
O ſerva, Deus alme, Virum, cui ſecula nullum
Ingenio tulerunt ulla, vel arte, parem.
Creſcat honeſta domus, meritis clariſſima, laude:
Detque ferax patriae plurima fulcra ſuae.
CASPARI ſit prima mei tibi cura: nec unquam
Terreat innocuum ſaeva procella caput.
Te tua Trajectum ſalvo, CASPARE, fruatur,
Et reſponſa tuo det Themis ore diu.
At Tibi ſummus honor debetur. Purpura velet
Sic meritum: faſces det Tibi feſta dies.
Vota Deo ſolvent laeti, Te praeſide, cives,
Edentes animi pignora certa ſui.
Candida lux Urbi veniet gratiſſima toti.
Vatibus haec vires in bona verba dabit.

ABRAHAMUS ARNOLDUS VAN TOLL.

TRA-

TRAIECTUM ERUDITUM.

A.

ADELBOLDUS, origine Friſius, ſive ut Heda vult, Batavus. Hic *Athelboldus* vocatur apud Annaliſt. Saxon. ad ann. MXII. *Othelboldus* ibid. ad ann. MXVIII. & ab aliis *Adeboldus*, *Adeobaldus*, *Adelbandus & Adalbero.* Ex duce exercitus Canonicum Lobienſem ſive Laubienſem in Hannonia factum tradit Fabric. Biblioth. Med. aevi tom. I. pag. XXX. Et anno MVIII. non MX. uti vult Annal. Saxo d. l. Epiſcopus Trajectinus electus eſt, quam ſedem obtinuit ad ann. MXXVII. juxta Bekam, vel MXXVIII. ut Heda & Barlandus referunt, quo defunctus eſt. Fuit vero decimus nonus Epiſcopus Trajectinus, & dicitur *vir prudens & ſummus conſiliarius Imperatoris Henrici* in Chronico apud Matth. tom. IX. Analect. p. XXX. ſive a Veldenario, in quo eadem haec verba exſtant p. CCLVI. qui Chronici hujus ex lingua vernacula verſi auctor, quod mirum non animadvertiſſe Matthaeum. Et egre-

gio hoc elogio eum ornat Alpertus lib. II. de Diverſ. tempor. cap. II. *Dominus Adelboldus Epiſcopus celebri fama omnium noſtrae aetatis ſapientiſſimus, & Latiali lingua longe facundiſſimus, & maximi vir ingenii eſt habitus.* Inter eruditos Trajectinos omitti non debet, quia non tantum ſub ejus perſona Herigerus Abbas *Dialogum de adventu Domini* compoſuit, ſed & ipſe varia opuſcula conſcripſit, ut

Vitam Henrici II. Imperatoris, quae exſtat apud Surium, in Actis Sanctorum XIV. Julii tom. III. p. DCCXLIV. Caniſium tom. III. Ant. Lect. part. II. p. XXV. Gretſerum in Sanct. Bambergenſ. Ingolſtad. MDCXI. 4. Leibnitium tom. I. Script. Brunvicens. pag. CCCCXXX. & Ludewig. tom. I. Script. Bambergens. p. DCCXC. uti tradit Fabric. d. l. de qua haec teſtatur Alpert. lib. I. de Diverſitate Tempor. cap. V. *Quia dominus Adelboldus Trajectenſis Epiſcopus haec omnia pleniter in uno volumine luculento ſermone comprehendit, a nobis pars, quae alioquin noſtris ſcriptis neceſſario occurrit, praetereunda viſa eſt, ne hiſtoria tantis & tam venuſtis documentis edita a nobis, tanquam ab inſipientis latratu, obfuſcaretur.*

Vitam S. Walburgis editam tom. III. Vit. Sanctor. ad diem XXV. Februar. p. DXLII.

De ratione inveniendi craſſitudinem Sphaerae libellum ad Sylveſtrum II. *P. R.* quem vulgavit Bern. Pez tom. III. Theſaur. Anecdotor. Part. II. p. LXXXVI. Hunc libellum conſcripſit antequam Epiſcopus Trajectinus crearetur, quum Sylveſter II. mortuus fuerit anno MIII. monente Pezio in Diſſertatione Iſagogica d. Theſ. p. VIII.

Cantum nocturnalem in laudem Sancti Martini & triumphum ejuſdem ſancti de Danis & Suevis, Turoniam in-

infringere volentibus, quem, etſi non magno ſermonis cultu, magno tamen pietatis adfectu conſcriptum ex Molano tradit Valerius Andreas.

De laude Sanctae Crucis.

De laude beatae Mariae, & alia, tam metro quam proſa, edidiſſe adfirmat Geſnerus in Biblioth. part. IV. tom. I.

Vitam hujus conſcripſerunt Heda & Beka. Videndi & de eo praeter Fabricium d. l. Oudinus de Scriptor. Eccleſ. tom. II. pag. DXL. & Valer. Andr. Bibl. Belg. p. IV. ut & Leyſeri Hiſtor. Poetar. & Poemat. medii aevi p. CCCVII.

AEMILIUS (ANTONIUS) Aquiſgranenſis, non Trajectinus, licet in imaginis ipſius, collegio Profeſſorum donatae, titulo ejus poſteri teſtati ſint fuiſſe Trajectinum, quos bona fide virum celeberrimum Arnoldum Drakenborchium, in ſerie Profeſſorum Trajectinorum, quam nobis dedit poſt elegantiſſimam Orationem, nuper in centeſimum Academiae noſtrae natalem habitam, ſecutum fuiſſe, mihi ipſe retulit vir eruditisſimus. Natus fuit XX. Decembris an. MDLXXXIX. Cum patre *Jano Aemilio*, ſive *Melio* (uti adpellabatur) Conſule Haſſelenſi, ditionis Leodienſis, & matre *Eliſabetha Hobraeken*, ſive *Houbraken*, ob religionem puriorem profugis, & patriam relinquere coactis, Dordracum advenit, ubi primum Adriano Marcello, deinde Gerardo Voſſio in diſciplinam traditur, quem praeceptorem ſuum vocat in Praefatione ante ſuas Orationes, & cui dedicavit *Poemation de ſententiis ſeptem ſapientum Graeciae.* vid. ejus Oration. & Poemat. p. CCCCLXX. Quo praeceptore quum per aliquod tempus uſus eſſet, & optimam utriuſque linguae

cognitionem ſibi comparaſſet, Leidam adiit, ubi Rudolphum Snellium mathematicas artes docentem, & Dominicum Baudium omnis aevi Hiſtorias & res geſtas enarrantem, ſedulo audivit. Deinde quadriennium exteris Academiis viſendis impendit, & diu Heidelbergae in aedibus Davidis Paraei moratus eſt, ut ibi celeberrimam Palatinam Bibliothecam perluſtraret. Genevae quoque literis humanioribus operam dediſſe teſtatur in Dedicatione Jacobo Gothofredo ante ſuam Diſſertationem de *maximis momentis rei maritimae*, quae legitur poſt ejus Orationes pag. CCCLVIII. Germania & Gallia peragratis, cum ibi amicitiam cum viris eruditis contraxiſſet, celebrioreſque Academias & Bibliothecas inviſiſſet, domum redux, praeceptori ſuo Gerardo Voſſio ſucceſſit in Gymnaſio Dordraceno, cum annum XXV. aetatis ageret. vid. Beverwyk Beſchryv. van Dort pag. CCLXXXV. & Balen Beſchryv. van Dort pag. DCLXXIV. Et cum per quadriennium Dordracenam ſcholam moderatus eſſet, anno MDCXIX. Gymnaſio Hieronymiano noſtro praefectus eſt. Vitam vero privatam, ſcholaſticam pertaeſus, agere malens, 1 Junii an. MDCXXX. ſponte ſe Rectoris munere abdicavit, & Delphos in Hollandia conceſſit, ipſique ſucceſſor datus Juſtus Lyraeus. Verum cum ille non ex voto rem gereret, & Magiſtratibus noſtris innotuiſſet, Aemilium, mutata priori ſententia, ſi Rectoris munus vacaret, hanc provinciam iterum in ſe ſuſcipere velle, Lyraeo primum perſuadere conati ſunt, ut ſponte, honeſto ſtipendio retento, ſe abdicaret. Qui cum nollet, ut locum facerent Aemilio, Lyraeo Profeſſionem humaniorum literarum in inluſtri ſchola, quam erigere in animo habebant, demandarunt, & Aemilio obtule-

tulerunt praefecturam Gymnaſii Hieronymiani, & Profeſſionem Hiſtoriarum ſub annuo ſtipendio MCCC. florenorum, uti patet ex actis noſtrorum magiſtratuum, an. MDCXXXIII. unde haec hauſi. Hinc patet error Vincent. Fabric. Epiſt. p. CCCII. qui dicit, eum fuiſſe Trajecti Rectorem ſcholae, ſed parum idoneum regundae tam implicatae provinciae, Profeſſorem creatum; cum non Aemilius, ſed Lyraeus ea de cauſa Profeſſor creatus fuerit.

Muneribus his ad annum MDCXXXVIII. functus eſt, quo valetudine minus proſpera utens, (continenter enim nephriticis doloribus conflictatum teſtatur ipſe in Dedicatione ante ſuas Orationes) rogavit Magiſtratus, ut ſibi liceret laboribus ſcholaſticis valedicere, & conſenſerunt Magiſtratus noſtri, ſtipendiumque M. florenorum ipſi adſignarunt XI. Martii MDCXXXIX. quod deinde XXII. Februar. MDCXLII. ducentis auctum.

Leidam circa annum MDCXXXI. vocatus, ut ſuccederet Voſſio, oblatam provinciam ſuſcipere abnuit. v. Voſſ. Epiſtol. Select. CXCII. qui eum laudat de Analog. I. XVI.

Uxorem duxit Agnetam van Langen, filiam Johannis & Mariae van Iſſelmuden. Obiit anno MDCLX. XII. Decembris, inque ejus obitum Orationem funebrem habuit Daniel Berkringerus, quae legitur apud Witte Memor. Philoſoph. vol. II. Decad. VIII. p. CCCCVIII. videndus & Baelius in Lexico t. II. p. CCCLVIII. ubi narrat, quomodo amicitiam contraxerit cum Carteſio, poſtquam ejus doctrinam in Oratione funebri Reneri, qui Philoſophiam methodo Carteſiana in Academia noſtra docuerat, conlaudaſſet.

Editae ſunt hujus Aemilii *Orationes & Carmina*

Trajecti MDCLI. in 12. in qua editione exſtat ejus *Oratio de Politicis artibus Auguſti*, quam ineditam dicit Almelovenius in Biblioth. Prom. & Lat. pag. 1.

Ipſi Puteani dictionem adeo placuiſſe in Orationibus ſuis, ut integras periodos & lacinias ex ipſo exſcriberet, transferretque in ſuas, teſtatur Morhovius lib. VI. Polyh. Liter. III. §. IV.

AFHACKERIUS (AEGIDIUS) natus in agro Trajectino Vreesvici, pagi prope Trajectum ad Leccam fluvium. Coloniae titulo Profeſſoris Theologiam docuit.

Edidit ſub ficto *Salomonis Theodoti apud Ubios S. S. Theologiae ſtudioſi*, libellum, cui titulus *ἑνωτικὸν diſſecti Belgii, id eſt, Hiſtorica narratio originis & progreſſus diſſidiorum, quae in fœderati Belgii provinciis Remonſtrantes & contra Remonſtrantes annis ſuperiobus inter ſe exagitarunt.* Urſellis MDCXVIII. 8.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. XXII. Sweertii Athen. Belg. p. CIV. & Gouthoeven Chron. p. CCXXV. a quo dicitur *zeer geleert in de Griekſe en Latynſe talen.*

AGYLAEUS (HENRICUS) Sylvaeducenſis, natus patre Antonio, Italicae ſtirpis. Gladiatoriae factionis, uti adpellat Valer. Andreas, apud Sylvaeducenſes dux & anteſignanus, auctor fuit, ut anno MDLXXIX. foedus Trajectinum ibi ſuſciperetur. Inde Trajectum ſe contulit, & nomine civium Trajectinorum legationem obivit ad Conſilium Ordinum & Ordines generales, uti narrat Borrius lib. XX. Nederl. Hiſtor. p. LXXVI. edit. prior. Et a factione Liceſtriana ſupremi Tribunalis Senator & Fiſci Patronus conſtitutus XXVII. Auguſt. MDLXXXVI. Obiit an. MDXCV. menſe Aprili, annum aetatis agens LXII.

Edi-

Edidit & e Graeco vertit

Nomocanonem Photii Patriarchae, cum commentariis Theodori Balſamonis. Baſileae MDLXI. fol.

Novellas Juſtiniani Imp. Conſtitutiones, verſionemque *Haloandri* emendavit, adjecta Lectionum varietate. Hanc verſionem ab elegantiori ſtilo celebrat Petrus Gudelinus, notante Rodenburgio in Dedicat. de Jure Conjug.

Juſtiniani etiam Edicta, Juſtini, Tiberii, Leonis Conſtitutiones & Zenonis unam.

Scripſit & *ad laetum Introitum Brabantiae* Philippi II. Regis Catholici Traject. MDCXX. 8.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCXLII. & auctores, quos adducit vir eruditiſſimus Joh. van de Water Utrecht. Placcaetb. tom. II. pag. MLIII.

ALMELOVEEN (THEODORUS JANSONIUS AB) natus XXIV. Julii MDCLVII. Midrechti, qui regionis Trajectenſis pagus in Praepoſitura S. Joannis, ubi pater verbi divini miniſter erat. Avus fuit *Cornelius ab Almeloveen*, anno praeteriti ſeculi XXXVII. inter Senatores noſtrae urbis adlectus, & anno LVIII. defunctus. Mater ipſi erat *Maria Janſonia*, filia Janſonii celeberrimi Typographi Amſtelodamenſis, editione variorum librorum, & ſplendidiſſimi illius Atlantis, qui ſex voluminibus in folio prodiit, celebris. Qui cum maſcula prole careret, noſter Janſonii nomen adſumpſit. A parentibus Trajectum, deinde Goudam miſſus eſt, ubi ſcholas eo tempore moderabatur Jacobus Tollius, quem Noortvicum prope Leidam, ubi lares tranſtulerat, ſecutus, & ut praeceptorem optime de ſe meritum ſemper veneratus eſt, uti patet ex Dedicatione ante Rutilium. Anno MDCLXXVI. ad Academiam

miam noſtram transmiſſus, ſtudia, quae ad humanitatem pertinent, ductu celeberrimi Graevii abſolvit; cumque a patre Theologicis ſtudiis eſſet deſtinatus, Leusdenio in Lingua Sancta, & de Vries in Philoſophicis, praeceptoribus uſus eſt; verum Theologos in factiones internecinas diviſos cernens, omnium controverſiarum oſor, & ingenii mitis, propoſitum mutavit, & Medicinae operam dedit ſub Jacobo Vallan & Johanne Munniks; cujus ultimi ſub praeſidio anno MDCLXXX. diſſertationem Academicam conſcripſit, & publice deſcendit *de Semine.* Anno ſequenti diſſertatione inaugurali habita *de Aſthmate*, Medicinae lauream conſecutus eſt. Anno MDCLXXXVII. Goudam lares tranſtulit, juncta ſibi matrimonio Aletta Catharina Immerzeel, filia Conſulis Goudani, quam cum filiola biennio poſt amiſit. Anno MDCXCII. Goudae celeberrimum illud convivium eruditum celebravit, quod Henricus Muhlius carmine non ineleganti deſcripſit. Anno MDCXCVII. Gelri eum vocarunt, ut in Academia Harderovicenſi literas humaniores doceret, & anno MDCCII. Ordinaria Medicinae profeſſio ei quoque demandata. Quae munera ſumma cum laude geſſit ad annum MDCCXII. quo obiit.

Varias Quintiliani editiones Bibliothecae noſtrae publicae legavit, quarum index poſt Catalogum impreſſus.

Fuit vero vir optimus, vitae integerrimus, & diligentiſſimus, quem merito *eruditiſſimum, & antiquitatum tam ſacrarum, quam profanarum ruſpatorem ſagaciſſimum & diligentiſſimum* vocat Saldenus lib. I. de Libr. Legend. cap. I. §. IV. & *doctiſſimum* cap. VI. §. XI.

Scri-

Scripta, quae edidit, ſunt:

Inventa Nov-antiqua, id eſt brevis enarratio ortus & progreſſus artis Medicae, ac praecipue de inventis vulgo novis, aut nuperrime in ea repertis. Subjicitur ejusdem rerum inventarum Onomaſticum ad virum Cl. Jacobum Vallan. Amſtel. MDLXXXIV. 8.

Opuſcula. Amſtelod. MDCLXXXVI. 8. male ad ann. MDCLXXXVI. & MDCXCII. editionem refert Teiſſer. Auctar. Catal. Auctor. & Bibl. pag. CCL. in his Opuſculis continentur I. *Specimen antiquitatum e ſacris profanarum.* II. *Conjectanea an.* MDCLXXXV. *in lucem emiſſa.* III. *Fragmenta veterum Poëtarum.* IV. *Plagiariorum ſyllabus ad Gothofredum Thomaſium.* vid. Ludov. Auctar. ad Ittigii Schediasma de Auctoribus qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt §. XXVIII.

Joannis Deckheri de ſcriptis adeſpotis, pſeudopigraphis, & ſuppoſititiis conjecturae. Amſtel. MDCLXXXVI. 12.

Cornelius Celſus. Amſtel. MDCLXXXVII. 12. & MDCCXIII. 8. quam editionem laudat Fabric. tom. II. Biblioth. Latin. lib. II. cap. IV.

C. Rutilius Numatianus. Amſtel. MDCLXXXVII. 12.

Hippocratis Aphoriſmi. Gr. & Lat.

Bibliotheca promiſſa & latens. Goudae MDCXCII. 12. ad quam deinde *acceſſiones* edidit Rodolph. Martin. Meelfuhrerus Noribergae MDCXCIX. 8.

Amoenitates Theologico-Philologicae. Amſtel. MDCXCIV. 8. Ubi varia ſacrae ſcripturae loca ritusque priſcos inluſtrat, & inedita quaedam Eraſmi, Bocharti, Baudii, Scriverii, J. de Laet. &c. eruit; ſubjiciuntur *Epigrammata & Poëmata veterum*, ut & *Plagiariorum Syllabus altero tanto* auctior cum *Henrici Sypeſteinii Epiſtola de Plagiariis.*

Diſſertationes quatuor de Menſis, Lecticis, Lectis & Poculis veterum. Harderov. MDCCI. 4. vid. Fabric. Bibliogr. Antiq c. XIX. §. III. ab Almelovenio non conſcriptae, ſed ab Alſtorſio, qui eo praeſide defendit & deinde edidit.

Faſti Conſulares. Amſtel. MDCCV. 8. vid. Fabric. ibid. c. XIV. §. X.

Strabo Amſtel. MDCCVII. fol. vid. Fabric. Ibid. cap. V §. VII. & cap. VII. §. X. & tom. III. Biblioth. Graec. p. VI.

Caſauboni Epiſtolae, quibus vitam ejus praefixit. Roterod. MDCCIX. fol.

Caelii Aureliani de morbis acutis & chronicis libri VIII. *cura Joh. Conr. Amman, acceſſere notae & animadverſiones Th. Janſ. ab Almeloveen.* Amſtel MDCCIX. 4.

De vitis Stephanorum celebrium Typographorum diſſertatio epiſtolica Amſtelod. MDCLXXXIII. 8.

In editione *Lexici Martinii* an. MDCXCVIII. *Auctarium Almelovenii ad Gloſſarium Iſidori* conſpicitur.

In editione *Juvenalis*, quam Henninius procuravit Trajecti MDCLXXXV. 4. notae ejus conſpiciuntur, ut & in editione poſtrema Quintiliani, quae reverendi patris cura prodiit anno MDCCXX. 4.

Ejus *Epiſtola ad Joh. D'Outreinium, in qua multa S Scripturae loca illuſtrantur*, ut & altera, *qua quaedam ad Tractatum ejus de Tabernaculo Dei ſpectantia illuſtrantur*, exſtant in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. Faſcicul. II. pag. CCXXX. & Faſcic. VI p. MCXXIII.

Almelovenii *Epiſtolam* ſcriptam *Helenae Sibyllae Wagenſeiliae*, ut & *Oden Eliſae Kolartiae ad Almelovenium de recuperata ejus ſanitate*, exhibet Schelhorn. tom. V. Amoenit. Liter. p. CXCVII. & ſeqq.

AMERSFORTIUS, ſive AB AMERSFORTIA (CORNELIUS) dictus a loco natali Amersfortio. Hujus mentionem non facit Verhoeven, quem edidit Matthaeus inter Rerum Amersfortiarum ſcriptores; verum memoratur a Valerio Andrea in Biblioth. Belg. p. CXLII. diciturque Ord. Canonicorum Regularium S. Auguſtini Coenobii Amersfordiani, & vixiſſe an. MDXL. habuiſſeque *Orationem* elegantem *in ſui ordinis Capitulo generali*, quae legitur apud Regulares Tungrenſes.

AMERSFORTIUS (ELIAS) fuit hic Theologiae Doctor & Profeſſor in Academia Baſileenſi, ejusdemque Univerſitatis Cancellarius. Hujus libros adhuc ſupereſſe tradunt Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. ſcript. pag. XLVII. & auctor incerti Chronici ibid. p. CLXXXIII. & Heuſſ. tom. II. Hiſtor. Epiſc. Traj. p. CXCVIII. Quales vero hi libri ſunt non addunt, neque tempus, quo vixit, adnotant.

AMERSFORTIUS ſive de AMERSFORTIA (EVERARDUS) Fuit SS. literarum Licentiatus, & Coloniae Burſae Laurentianae Regens. Edidit

Commentaria in libros Ariſtotelis de Coelo & Mundo, ad finem uſque libri primi deducta, quoad reliquos libros a *Joanne Nurtingen* continuata & expleta Colon. MCCCCXCVII. fol. vid. Lipen. Biblioth. real. Philos. p. CI. & CCCVII. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCXI. Beughem Incunab. Typograph. p. XII. & Heuſſ. Hiſt. Ep. Traj. d. l.

AXEL (JOHANNES HONORIUS AB) Dominus de Seny, Trajectinus. Juris utriuſque lauream conſecutus Romae lares fixit, ibique Advocatum egit & vitam finivit, ſepultus in templo Hoſpitalis Trajectenſis, cujus curam nomine Proviſoris habebat. Ma-

xima vero pollebat memoria, ſed judicio carebat. *Tanta enim*, inquit Janus Nicius Erythraeus, ſive, qui ſub ficto hoc nomine latet, Johannes Vincentius de Rubris, in Pinacotheca altera XLIV. *rerum omnium copia abundabat, tantum juris tum civilis, tum Pontificii legum numerum animo comprehenſum habebat, tam multa juris utriusque interpretum placita, dicta atque reſponſa collegerat, vix ut ea multorum juriſconſultorum memoriae, quamvis cella vinaria, aut penaria, quamvis quovis capaciores horreo, caperent. Sed ea adeo confuſe atque permiſte coacervata atque conſtructa aderant, ut nihil eſſet primum, nihil poſtremum.* Et paulo poſt: *atque ab omnibus fuiſſe judicatum memini, ſi Honorio memoriae, ingenioque par judicium contigiſſet, nihil eo futurum fuiſſe perfectius. Verum dum ita in ea parte animi claudicaret, neque magnum in Juriſconſultis nomen habuit, neque aliquam muneris partem eſt adeptus; ſolum Hoſpitalem ſuae nationis domum (erat enim Trajectenſis) Proviſoris nomine adminiſtravit, in cujus etiam templo tumulatus eſt. Dixit etiam ſemel cauſam apud Quaeſtores fidei accuſatus, quod ipſi cum haereticis quibuſdam amicitia eſſet, uſuſque literarum, verum ſtatim cauſa cognita eſt abſolutus, ſed non ipſo defendente; nam ſi ſuae ipſius cauſae patrocinium ſuſcepiſſet, ab eo judicio victus ac notatus infamia diſceſſiſſet, quod omnes lites, quibus ille aderat, perderet.* Maxime vero praedicatur ejus humanitas in recipiendis Hollandis, & praecipue Trajectinis, qui religionis vel alia de cauſa Romam venerant, quorum patronum ſe praeſtitit.

Scripſit *Totius Juris Canonici Compendium*, ſive *Brevem ſummam in quinque libros Decretalium, ſacri Concilii Tridentini decretis accommodatam*, quod Colon.

MDCXXX.

MDCXXX. & MDCLVI. 4. prodiiſſe tradit Struvius Biblioth. Jur. cap. XIII. §. XVI.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DXVIII. Miraeus de Script. ſec. XVII. cap. CCXXIX. Leo Allatius Apes Urban. p. CCXXIV.

B.

BAECX (IOACHIMUS) Trajectinus, quem male H. v. R. in notis ad Heuſſ. tom. II. Hiſt. Epiſcop. Traject. pag. CXLII. cum patre *Johanne* confundit, licet Valer. Andream eos diſtinguentem laudet. Pater Johannes ſupremi noſtri Tribunalis a ſecretis fuit, de quo videndus eruditiſſimus van de Water Tom. II. Utr. Placcaetb. p. MLX. Noſter natus eſt x Auguſti MDLXII. & Theologiae operam dedit. ab Heuſſ. pag. LXXXIII. dicitur ruſticis in ea parte regionis Trajectenſis, qua ceſpites effodiuntur, a ſacris fuiſſe, dein Catholicorum nomine Paſtorem S. Gertrudis hac in urbe egiſſe, ubi tamen errore operarum *Joachimus Baen* vocatur. A Papicolis magni habetur propter ardentem zelum, quo avita ſacra propugnavit. Obiit Trajecti XXIV. Septemb. MDCXIX. Belgico idiomate evulgavit:

De Tolk of den Advocaet van alle opregte Catbolyken. Bruſſel MDCX

De waarom der quade Catbolyken. Hertogenboſch MDCXIV.

De Ban van alle Ketters, ſtaatkundige en verkeerde Catbolyken. Antwerpen MDCXVI.

Gallice ejus nomine prodiit liber, titulo *Scopae Conſcientiae.* Bruxell. MDCX. 12. et Belgico idiomate.

Vid. Val. Andr. Bibl. Belg. p. ccccxliii. Witte Diar. Biograph. ad ann. mdcxix. & H. v. R. d. l.

BARCHAUSEN (IOHANNES CONRADUS) in lucem editus eſt die xvi. Martii an. mdclxvi. Hornae in Comitatu Lippiaco. Jactis utriusque linguae fundamentis anno mdclxxxiii. animum ad artem Pharmaceuticam & Chemiam adplicuit; quas ut addiſceret, per decennium celebrioribus Pharmaceutis Berolini, Moguntiae, Vindobani, & in aliis inſignioribus Germaniae urbibus, adhaeſit. Ex quorum praeceptis & proprio labore atque induſtria cum haud vulgarem Pharmaceuticae & Chemiae notitiam ſibi comparaſſet, anno mdcxciii. ad patrios lares reverſus eſt. Quos ſalutatis amicis & propinguis, mox deſeruit, regionem iſtam parum aptam promovendis & exercendis artibus, quas callebat, ratus. Unde ad peregrinas terras inviſendas animum induxit, & peragrata Germania & Hungaria, Italiam intravit, & in expeditione celebri in Moream ſummo Venetorum rei bellicae praefecto a medicina fuit. Quo mortuo in Belgium deſcendit, & Trajecti ſedes fixit, inpetrataque primum facultate artem Chemicam docendi decreto magiſtratuum xvii. Septemb. mdcxciv. deinde Medicinae Doctor & Chemiae Lector creatus eſt iii. Octobr. mdcxcviii. & tandem Profeſſio Chemiae extra ordinem ei demandata xix. Martii an. mdcciii. quam optime adminiſtravit ad i Octob. mdccxxiii. quo rebus humanis exemptus eſt. Anno mdcxcix. uxorem duxerat Mariam Johannam Pylsweert, ex honeſtiſſima apud Trajectenſes familia ortam, quae nulla prole relicta obiit anno hujus ſeculi decimo ſeptimo. Fuit vero noſter vir probus, candidus, ſincerus, & diligens, variaque ſcripta,

artem

artem Chemicam, Pharmaceuticam & Medicam inluſtrantia, quae eruditionem non vulgarem probant, poſteritati reliquit. Teſtamento varios & inſignes rei Herbariae, & rerum naturalium ſcriptores, Bibliothecae noſtrae publicae legavit.

Scripta ejus ſunt:

Synopſis Pharmaceutica. Francof. ad Moenum MDCXC. 12. & Traject. MDCXCVI. 8. quam recenſent Lipſienſes in Act. Erud. Octobr. an. MDCXC.

Pyroſophia Leidae MDCXCVIII. 4. vid. Lipſ. Act. Erud. Decemb. d. a. qui liber iterum prodiit hoc titulo: *Elementa Chemiae, quibus ſubjuncta eſt confectura lapidis Philoſophici imaginibus repraeſentata.* Leidae MDCCXVII. 4. vid. Nova Liter. Lipſ. an. MDCCXVIII. p. CCCLX.

Acroamata, in quibus complures ad Jatro-Chemiam atque Phyſicam ſpectantia jucunda rerum varietate explicantur. Traj. MDCCIII. 8. v. Lipſ. Act. Erud. Aug. MDCCIV. pag: 348.—352.

Hiſtoria Medicinae, in qua ſi non omnia, pleraque ſaltem Medicorum ratiocinia, dogmata, hypotheſes, ſectae &c., quae ab exordio Medicinae uſque ad noſtra tempora inclaruerunt, dialogis XIX. pertractantur. Amſtel. MDCCX. 8 vid. Lipſ. Act. Erud. Maji MDCCX. Qui liber auctior & redactus in Formam diſſertationum XXV. de *Medicinae origine & progreſſu* prodiit Trajecti MDCCXXIII. 4. uti notat Fabricius t. XII. Bibl. Graec. p. DCCXXIX.

Compendium ratiocinii Chemici more Geometrarum concinnatum Leidae. MDCCXII. 8. vid. Lipſ. Act. Erud. April. MDCCXIII.

Collecta Medicinae practicae generalis. Amſtel.

MDCCXV.

MDCCXV. v. Lipſ. Act. Liter. Novemb. MDCCXV.

BASINUS (THOMAS) Hic, quamvis natione Gallus, quum tamen ex patria profugus Trajectum ſe contulerit, res in noſtra urbe ſuo tempore geſtas deſcripſerit, ibique mortuus & ſepultus ſit, minime omittendus videtur. Caleto oriundus Magiſter Pariſienſis, receptus ad Facultatem Artium Lovanii an. MCCCCXXXI. prid. Kal. Januar. ibidemque promotus Licentiatus in Jure Canonico an. MCCCCXXXVII. XVI. Kal. Decemb. tum Legum Licentiatus, deque Concilio Facultatum J. U. & Univerſitatis, uti refert Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. p. CLXV. Deinde Epiſcopus & Dux Lexovienſis, civitatis Armoricae, Carolo VII. Gallorum Regi percharus, verum eo mortuo Ludovico ejus filio, qui omnes, quos pater amaverat, ſummo odio perſequebatur, infeſtus, ſive, uti tradit Heda in Hiſt. Traject. p. CCCIV. *quod prudentiae ſuae, ſive potentiae gentilium ſuorum Baziniorum invidebat, falſo ſuſpicans illum Anglis ac Burgundionibus favere.* Hinc Baſinum noſtrum primo aula ejecit, deinde exulare juſſit, & facultatibus & Eccleſia ſpoliavit. Primo Lovanium ſe contulit, & juris interpretationem ibi profeſſum eſſe teſtatur Valer. Andr. d. l. male vero Meyerus in Annal. Fland. lib. XVII. ad ann. MCCCCLXXII. tradit *illum juris interpretationem quoad vixit in ſchola Lovanienſi profeſſum eſſe*, ſecutus Gaguinum, cujus errorem notat Buchel. ad Hedam p. CCCXIII. Nam Lovanio relicto deinde Treviros conceſſit, ubi fuiſſe, cum ſollemni pompa Imperator Fredericus & Dux Carolus Burgundus congrederentur, ex Meyero docet Buchel. ibid. pag. ſequenti. Deinde Trajecti lares fixit, a Sixto Papa Caeſarienſis Archiepiſcopi in Syria titulo orna-

ornatus, & Davidi Burgundo Epiſcopo Trajectino vicarius, obiit xxx. Decembris MCCCCXCI. & in Eccleſiae S. Johannis Choro ſepultus cum hoc Epitaphio:

Rothomago natus, a ſtirpe BASIN nominatus,
THOMAS, Eccleſiae qui pridem Lexovienſis
Praeſul ſtatutus, ac depoſt ſorte minante
Omnia quae verſat, praeclaro Caeſarienſi
Praefectus titulo cogor ab hoc tumulo.
Sarcophagum cernens, & me pia mente recenſens,
Coeli ſine mora pro me dominum, precor, ora.

Obiit anno a nativitate Domini 1491. 30. *die Decembris.*

Cum ipſo Trajectum veniſſe videtur frater ejus *Nicolaus Baſinus*, qui Trajecti etiam mortuus & in eadem Eccleſia ſepultus fuit. Certe ibi ſepulchro ejus ſarcophagus, his literis inſcriptus, inpoſitus fuiſſe dicitur: *Nicolaes Baſins, die ſterft in 't jaer O. H.* MCCCCXCV. *den* XXVI. *dag in Junio, en nog meer van ſyne nakomelingen. Bid G. voor aller zielen.* Lapis parieti inſertus haec verba ſervabat: *Ao. Domini* MCCCCXCV. *die* XXVI. *menſis Junii ob. venerandus vir Nicolaus Baſin, reverendiſſimi in Chriſto patris & Domini D. Thomae Caeſarienſis Archiepiſcopi in choro hujus Eccleſiae ſepulti Germanus, Rotomago oriundus, moribus actibuſque inſignis, hic ſepultus.*

E T

Ao. domini MCCCCLXVIII. *die* XXVII. *menſ. Martii obiit honoranda domicella Catharina de Queſnay, quondam uxor Nicolai Baſin, oriunda de Rotomago, ſepulta Brugis in Monaſterio Fratrum B. Mariae de monte Carmelo in Capella S. Nicolai, cujus anima req. in pa-*

 ce.

ce. Haec me monuit optimus Drakenborchius.

Noſter vero deſcripſit res ſuo tempore Trajecti geſtas, quas ex Bibliotheca Gisberti Lappii a Waveren vulgavit Matthaeus tom. II. Analect. veter. aevi, hoc titulo: *Ex Thomae Baſini Archiepiſcopi Caeſarienſis Hiſtoria Gallica excerptum, continens res geſtas in Hollandia & dioeceſi Ultrajectina ann.* MCCCCLXXXI *& duob. ſeqq.* qui notat in Praefat. nimium fuiſſe in laudes Davidis Epiſcopi.

Inſigni elogio eum ornat Heda d. l.

BAULDRY D'IBERVILLE (PAULUS) Gallus, Rothomagi anno MDCXXXIX. natus parentibus divitibus & in re lauta poſitis. Juvenis ad Academiam Salmurienſem miſſus, linguae Hebraeae praecepta hauſit ex Ludovico & Jacobo Capellis; Tanaquillum Fabrum Graecos Latinoſque auctores explicantem audivit, & in Theologia Moſem Amyraldum, Joſuam Placaeum, & Ludovicum Capellum praeceptores habuit. Studiis Academicis confectis, in Angliam trajecit, & per aliquot annos Oxoniae conſedit. In patriam redux totum ſe ſtudiis & muſis tradidit. Paulo ante abrogationem Edicti Nannetenſis a Magiſtratibus noſtris evocatus eſt ad hanc Academiam, ut Hiſtoriam ſacram profiteretur, non eo animo, ut munus hoc obiret, ſed ut per hanc cauſam a Gallia cum Bibliotheca & rebus ſuis poſſet exire, curante id inluſtriſſimo Everardo a Weede, Toparcha in Dyckveld; verum poſtquam Gallis id conſilium ſuboleret, ei obſtitit Archiepiſcopus Pariſienſis, qui a Rege Galliarum inpetravit, ne liceret provinciam illam adire. Anno vero MDCLXXXV. abolito Edicto Nannetenſi, patriam & ampliſſimas opes deſerere coactus, nudus & omnibus bonis exutus, Trajectum adpu-

adpulit, ubi extra ordinem Profeſſio Hiſtoriae ſacrae ei demandata eſt die IV. Maji ejusdem anni; quam cum per novennium egregie ornaſſet, die XI. Martii MDCXCV. ordinarii Profeſſoris titulum obtinuit, & ſumma cum eruditionis & pietatis fama vixit ad diem XVI. Febr. MDCCVI. quo obiit. Nihil vero ex bonis luculentiſſimis ex Gallia recuperavit praeter Bibliothecam, quam adfinis Baſnagius poſtea inter ſuos libros advexit. Uxor ei fuit filia Henrici Baſnagii, de quo vid. Baelii Lexicon tom. I. pag. CCCCLXVII. Parentavit ipſi Relandus. Henricus Pontanus in Oratione funebri in obitum Petri van Maſtricht illum inter Martyres refert.

Edidit

Lactantium de Mortibus perſecutorum cum notis Baluzii, Cuperi, Columbi, Spark, Toinardi, Graevii, Gale, Boherelli & aliorum. Traject. MDCXCII. 8. & non an. MDCXCIII. uti vitio memoriae vel operarum ſcripſit eruditiſſimus Fabricius de Script. qui veritat. relig. Chriſt. aſſer. c. V. p. CCXXXVII. cum in Biblioth. Latin. tom. I. lib. IV. cap. III. recte ad annum MDCXCII. hanc editionem referat.

Syntagma Kalendariorum, comprehendens octo & viginti tabulis totidem annos periodi Julianae in uſus Chronologorum Traj. MDCCVI. fol.

In novis reipublicae literariae (Nouvelles de la Republique des lettres) menſis Februarii MDCCIII. quae conſcripſit Bernardus Profeſſor Leidenſis, invenio noſtrum quoque edidiſſe librum, cui hic titulus: *Nouvelle allegorique, ou Hiſtoire des dernies troubles arrivez au Royaume d'Eloquence, derniere edition, augmentée & plus correcte, que les precedentes par les ſoins de Mr. D'Iberville* Utr. MDCCIII. 12.

Ejus ſunt *Conſiderationes Criticae in lib. Job* XXXI. III. juxta verſionem Gallicam Bibliorum Genevenſium, Gallice, quae exſtant in Baſnag. Hiſtor. Oper. Erudit. art. VIII. menſ. Aug. MDCXCVI. *Epiſtola de eodem argumento* ibid. art. V. Julii MDCXCVII. uti notat Le Long Bibl. Sacr. t. II. p. DCXXIX.

In Bibliotheca nov. libr. Neocori an. MDCXCVII. pag. CCCCIII. exſtat *Diſſertatio Epiſtolaris in duo Novi Teſtamenti loca, a viro docto & celebri ad Auctorem Bibliothecae hujus miſſa, ut eam publici juris faceret.* In qua agitur primo de loco Pauli Ep. I. ad Timoth. cap. III. com. XVI. deinde de loco Euang. Johan. cap. XIX. com. XIV. quem anonymum Clar. Bauldrium eſſe poſtea patuit. Priori enim parti hujus Diſſertationis epiſtolaris, ubi agitur de loco Paulino, oppoſita eſt *Epiſtola viri docti ad Ludolphum Neocorum ſcripta*, inſerta Biblioth. nov. libr. an. MDCXCIX. pag. XCVII. ſed mox reſcripſit Bauldrius, & ſententiam vindicare conatus eſt nova Epiſtola eidem Bibliothecae inſerta pag. CI. hoc titulo: *Epiſtola alterius viri docti itidem ad L. Neocorum data, quae reſponſionem ad Epiſtolam praecedentem continet.* Cui reſpondit vir doctus ſub nomine *Philalethae* ibid. pag. CCCLXXXVII. Qua epiſtola viſa, Bauldrius proprio jam nomine adſumto ex latebris prodiens, opinionem adſeruit in eadem Biblioth. pag. CCCLXXX.

BEECK (CORNELIUS) Regularis Canonicus in Monaſterio diviſionis Apoſtolorum Trajecti, & per XII. annos Prior. Scripſit

Chronicon ſui Monaſterii, in quo multa de Interdicto Ultrajectino & abſolutione per Nicolaum Cardinalem Cuſanum.

Ora-

Orationem contra Proprietarios.
Tractatum de viſitationibus Monaſteriorum.

Ita Valerius Andr. Bibl. Belg. p. CXLIII. & Sweert. Ath. Belg. p. CLXXXII. Valerius Andreas in priori editione pag. CCV. addit eumdem hunc eſſe, qui *Cornelius Blocchius* Hagenſis, Prior itidem Regularium Trajecti, qui de *Simonia Religioſorum* tractatum edidit, excuſum cum *Conſtitutionibus Capituli Windesheimenſis* Traj. MDLIII. Item *Sermonem de Proprietatibus religioſorum* ibidem excuſum & Lovanii, ubi falſo nomen *Joh. Coſterii* praefixum. In poſteriori vero editione pag. CXLIV. hunc Blocchium diverſum facit a noſtro Cornelio Beeck. Hujus Cornelii Blocchii mentio & apud Heuſſ. tom. IV. Hiſt. Eccl. p. DCCLXX.

BEKANUS ſive de BEKA (JOHANNES) ex nobili gente de Stoutenberch, quae ex Amersfortiis equeſtris familiae viris deſcendit, uti notat Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. ſcript. p. XL. ortus. Fuit Canonicus Trajectinus ſeculo decimo quarto, & ſcripſit *Chronicum Ultrajectinum*, in quo non tantum Epiſcoporum Trajectinorum, ſed & Comitum Hollandiae res geſtas deſcripſit. In Epiſtola dedicatoria teſtatur, ſe *geſta Sanctorum Pontificum Trajectenſium & magnanimorum Principum Hollandenſium ex diverſis Hiſtoriis, Annalibus, Chronicis, Codicibus, privilegiis, dictaminibus & epiſtolis apud Egmundam ſtudioſe collegiſſe.* Ad quem locum Buchelius notat, voces *apud Egmundam* neque in Codice ſuo MS. neque in Teutonica verſione exſtare. Hanc Hiſtoriam Epiſcoporum Trajectenſium a S. Willebrordo uſque ad finem ſeculi decimi quarti, ſcilicet ad annum MCCCXCIII, proſecutus eſt, & non, uti Geſ-

nerus in Biblioth. t. I. p. CCCLXXXVIII. & Voſſius lib. III. de Hiſtor. Lat. cap. I. ad an. MCCXLVI., quod notat Matth. lib. I. de Nobilit. cap. XXXI. & in Dedic. tom. V. Analect. Apud Voſſium tamen, omnino ab operis typographorum error admiſſus, & centenarii numeri nota neglecta eſt, ut ex ordine Chronologico non tantum, quem in referendis variorum temporum Hiſtoricis Voſſius obſervavit, ſed etiam ex ipſis ejus verbis patet. In principio enim iſtius capitis teſtatur ſe nunc acturum de Hiſtoricis, qui a tempore Caroli IV. anno MCCCXLVI. ad imperium evecti, ſcribere coeperunt. Scripſit igitur vel ſcribere voluit MCCCXLVI. ſed in numero XLVI. erravit, aut errantem Geſnerum ſecutus eſt. At magis mirandum, in ea re errare potuiſſe Bernardum Furmerium, qui partim in operis titulo, partim in Dedicatione operi praemiſſa, Lectorem docet, Bekanum opus perduxiſſe ad annum MCCCXLV. Prodiit haec *Hiſtoria* cum Appendice Suffridi Petri & notis Bernardi Furmerii Franequerae MDCXII. 4. quam editionem vitioſiſſimam recte pronuntiavit Voſſius, notante Diffenbachio de vero mortis genere Henrici VII. Imper. pag. XIV. deinde cum notis eruditiſſimis Arnoldi Buchelii an. MDCXLIII. fol. uti poſtea in Buchelio videbimus. Indicem vero & elogium Bekae adjecit Lappius. Belgice haec *Hiſtoria* edita a Matthaeo. tom. V. Analect. quae verſio Latino textu auctior eſt, & ad inferiora tempora perducitur.

Opus hoc *ſimplici & aperto ſermone conſcriptum* dicit Geſnerus in Biblioth. d. l. *non inelegans* teſtatur Boeclerus in Bibliographia Critica cap. XIII. §. VII. Licet vero ubique Hiſtoriae leges non obſervaverit, & Gerardus Noviomagus, ſecutus judicium Gerardi Volpardi,

pardi, notante Voſſio lib. III. de Hiſtor. Latin. p. CCXXVI. fol. ſcripſerit, eum *ſimilem videri imperito fabro lignario, qui cum aedificandae domus materiam abſque temporis delectu caeſam convexerit, ignoraret, quae ligna cuique domus parti aptiora, quae teredinibus & coſſis magis obnoxia, quae ad ornatum ſint utiliora*, ideoque eum ſaepe *vanum & falſum* pronuntiet Valer. Andr. & a Struvio in Biblioth. antiq. MDCCV. pag. CCCCXLII. dicatur *nimis credulus, multas hinc inde obtrudens fabulas, in univerſali vero hiſtoria plerumque incerta*; non tamen omnino contemnendus eſt, cum primus ſit Batavae Hiſtoriae inter Chriſtianos ſcriptor, uti obſervat Celeberrimus Schurzfleiſchius Diſput. LI. pag. V. Johannes a Leidis paſſim eum ſecutus eſt, & pleraque ad verbum ſaepe deſcripſit, notante Furmerio & Matth. lib. I. de Nobilit. cap. XXXI. & Guielmum Hedam raro admodum a Bekae narrationibus abire teſtatur Diffenbachius d. l. pag. XVI.

De hoc *Bekano* vid. Trithem. de Script Eccl. cap. DCXXI. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCCLVI. Miraeus Auctar. de Script. Eccleſ. cap. CCCCXXXVI. Sweert. Athen. Belg. p. CCCXCV. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccleſ. p. CXXXIX.

BENNINGIUS (JOHANNES) Amersfortius. Non confundendus cum Johanne Benningio Nardeno, de quo vid. Boxhorn. Theatr. Urb. Holland. p. CCCXC. Noſter Lovanii ſtudiis operam dedit, ibique Doctoris titulum adeptus eſt anno MDXCIV. Fuit quoque humaniorum artium Magiſter, uti ſe vocat in carmine, quod ſcripſit in *laudem Hiſtoriae Michaelis ab Iſſelt de bello Colonienſi*. Perperam Verhoeven eum Profeſſorem Lovanienſem facit, cum in catalogo Profeſſorum, qui

Lo-

Lovanii jus docuerunt, non inveniatur; niſi eum confundat cum fratre Jacobo Benningio, qui Duaci Juris civilis & canonici Profeſſor fuit, ibique obiit anno MDCXI. vid. Gouthoev. Chron. p. CCXXV. Noſter vero fuit primo Conſiliarius & Procurator generalis in ſupremo Mechlinienſi conſilio, deinde a Philippo III. Rege Hiſpaniarum & Archiducibus Alberto & Iſabella creatus eſt ſupremi Tribunalis Luxemburgenſis Praeſes, quo munere per triginta annos functus, obiit anno MDCXXXII. die XXX. Januarii. Scripſit hic *Hiſtoriam Luxenburgenſem*, quam ſuo tempore nondum prodiiſſe, ſed eſſe MS. teſtatur Sweertius Athen. Belg. p. CCCXCV. vid. Valer Andr. Bibl. Belg. p. CCCCLVII. & Faſt. Academ. Lovan. p. CCII. Verhoeven apud Matth. Rer. Amerſf. ſcript. p. LV. & Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXXII.

BERCKRINGERUS (DANIEL) Palatinus dicitur a Voſſio Epiſt. DX. Groningae minervalia & magiſteria ſua debere ipſe teſtatur in Oratione, quam in obitum Ravensbergeri habuit. Fuit praeceptor infantum Regis Bohemiae. Quo munere fungenti, ex commendatione Reginae Bohemiae, uti tradit Voſſius d. l. Philoſophiam Practicam docendi provincia in Academia noſtra oblata eſt anno MDCXL. deinde anno MDCXLVIII. adeptus eſt titulum Profeſſoris Eloquentiae, & Collegia oratoria habendi facultas ei conceſſa. Profeſſionem auſpicatus eſt oratione inaugurali *de Laudibus eloquentiae*. Non infelicem quoque Poëtam fuiſſe patet ex carmine, quod confecit ante Matthaei Commentarium de Criminibus. Non magnifice de eo ſentit Clar. Graevius, qui *magno conatu magnas olim nugas dixiſſe* teſtatur in Epiſtol. Heinſ. tom. IV. Syll. Burm. p. DCLXXV. &

& venerandus Pater in Oratione in obitum Graevii dicit, *quod fuerit vir ſubtilis forte ingenii, ſed qui ſemper in luto volutatus, unice conquiſitis & fabricatis inauditarum vocum monſtris excellebat.* Obiit XXIV. Julii an. MDCLXVII. & Orationem in ejus obitum habuit Johannes Leusden. Uxorem duxerat Mariam van Drongen, quae obiit exeunte menſe Decembri an. MDCXLVIII. Edidit

Inſtitutiones Oeconomicas, didactico problematicas. Traj. MDCXLII quas laudat Voetius Polit. Eccleſ. part. I. lib. III. tract. I. ſect. III. cap. V.

Orationem in obitum Jacobi Ravensbergeri. MDCL.

Orationem in obitum Aemilii. MDCLX. quae legitur apud Witten Mem. Philoſ. dec. VIII. p. CCCCVIII. ubi male *Perkringeri* legitur.

Exercitationes Ethicas, Oeconomicas, Politicas. Traject. MDCLXIV. quas male Amſtelaedami an. MDCLXII. prodiiſſe adfirmat Lipenius in Bibl. Theol. real. p. CCCCXCV. Has Theologis commendat Voetius Biblioth. Stud. Theol. lib. II. cap. XXII.

Diſſertationem de Cometis, utrum ſint ſigna, an cauſae, an utrumque, an neutrum. Traj. MDCLXV. 12 qua faſtum Andreae Dudithi retudit. vid. Voet. de Prognoſt. Comet. cap. VI.

Diſſertationem de Quaternario Pythagorico. vid. Witte Diar. Biograph. in Append. II. ad ann MDCLXVII.

An prodierit ejus *Examen elementorum Philoſophicorum de bono cive* contra Hobbeſium, quod exſpectari tradit Voetius in Bibliotheca Stud. Theol. lib. II. cap. XXII. ignoro.

BERNARDUS Clericus Trajectinus, circa annum MCX. floruit, & ſatis celebris eo tempore Philoſophus

D &

& Theologus fuit. Hunc *Sylveſtrum* dictum adfirmat Oudinus, ideo reprehenſus a Clar. Fabricio Biblioth. Med. & Infim. Latinit. lib. II. p. DCXXXIX. quum noſter diſtinctus fuerit a *Bernardo Sylveſtro*, qui a Johanne Sariſberienſi *Carnotenſis* ſemper adpellatur. Scripſit hic *Commentarium ſuper Eclogas Theodoli* ſive *Theoduli*, & divinas hiſtorias & ſeculares fabulas allegorica explicatione dilucidavit; qui commentarius exſtat in regia Galliarum Bibliotheca Cod. MS. DCCCCLIV. & in Monaſterio Windbergenſi MS. ſe vidiſſe teſtatur Pezius in Diſſertat. Iſagog. in tom. I. Theſaur. Anecd. Noviſſ. §. XVIII. & ſuo tempore Leidae apud Boxhornium exſtitiſſe tradit Valer. Andr. in Bibl. Belg. p. DCCCLIX. hodie in Bibliotheca publica Leidenſi conſpicitur. vid. Catalog. pag. CCCXXXII. n. CLXXXVII. *Ecloga* autem hujus *Theoduli*, in qua miracula veteris Teſtamenti cum Poëtarum fabulis comparat, prodiit Coloniae MCCCCXCV. monente Beughem Incunab. Typograph. p. CXXXIII. Quam Eclogam cum commentario hujus Bernardi, ut puto, licet ejus nomen non ſit adſcriptum, impreſſam per Conradum Kachelovenn an. MCCCCLXXXIX. ſine nomine urbis, venerandus Pater in ſua Bibliotheca habet. De *Theodulo* vero Italo, ejuſque Eclogis vid. Sigeb. Gembl. de Script. Eccleſ. cap. CXXXIV. Anonym. Mellicenſ. de Scriptor. Eccleſ. cap. XXXVI. & Trithem. de Script. Eccleſ. cap. CLXXXV. apud Fabric. Hiſt. Eccleſ. Scriptor. & tom. I. Collect. veter. Script. & Monument. Martene & Durand. p. DXII. ubi dicitur *ſcholaſticus*, & ad Conradum Epiſcopum dedicationem ſcripſiſſe. vid. & Leyſer. Hiſtor. Poëtar. & Poët. med. aevi p. CCXCIII.

Huic Oudinus quoque adſcribit *Epiſtolam ad Ray-*

mun-

mundum Caſtri Ambroſii de modo rei familiaris utilius gubernandae, quae olim adſcripta fuit D. Bernardo Clarae Vallis Abbati, & inter ejus opera variis editionibus impreſſa, uſque ad editiones ultimas Horſtianam & Mabillonianam, in quibus non conſpicitur. Auctorem quoque facit duorum opuſculorum, quorum unum *Megacoſmus*, alterum *Microcoſmus* adpellatum, de quibus vid. Geſner. Append. tom. I. Biblioth. quae MSS. exſtiterunt in Bibliotheca Hulſiana tom. I. Catal. p. CCCXXIII. & Barthium Adverſ. LV. cap. X. teſtari olim Heidelbergae vidiſſe notat Almelovenius Biblioth. Prom. & Lat. p. LIII. Verum quum Celeb. Fabricius exiſtimet Oudinum noſtrum cum Sylveſtro confundere, Sylveſter & non noſter eorum auctor eſſe videtur.

Stylus hujus auctoris obſcurior eſt, quam ob cauſam nondum in lucem prodiiſſe ſuſpicatur Oudinus de Script. Eccleſ. t. II. p. MV. qui & videndus pag. CCCCLXXX. ubi de Theodolo vel Theodulo agit. Videndi & Valer. Andr. Append. Bibl. Belg. p. DCCCLIX. Sigeb. Gemb. d. l. & cap. CLXIX. & Poſſevin. Appar. Sac. t. I. p. CCXVIII. qui tamen in Addendis omnia, quae de eo dixit, delenda vult. Et forte eum eſſe, qui ut eximius Poëta laudatur a Gervaſio Tilesberienſi, dicit du Freſne Gloſſar. Med. Latin. in verbo Ciſimus.

BERGIUS (THEODORUS CORNELIUS) Scholae Hieronymianae Rector, ſcripſit & edidit.

Proſopopejam adflicti & corrupti Belgii. Traj. typis Herm. Borculoii.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCCXXVII. & H. V. R. in not. ad Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXLIII.

BESTIUS (GUIELMUS) Amersfortiae ſacro baptiſmate tinctus XXIII. Aug. MDCLXXXIII. ubi pater

verbi divini miniſtrum egit. Praeceptoribus uſus venerando patre P. Burmanno in humanioribus literis, & Johanne van Muyden & Cornelio van Eck in Jure, ſedulo ſtudiis operam navavit, & tantos progreſſus fecerat, ut ſumma cum eruditionis fama Doctoris titulum adeptus VII. Octobr. MDCCIV. conſcripta doctiſſima diſſertatione *de Quibuſdam conjecturis in jure civili*, brevi eum inter famigeratiſſimos cauſarum patronos adnumerari viderimus. Verum cum major ejus eſſet doctrina & eruditio, quam ut inter cauſſidicos aetatem conſumeret, Gelri eum ſibi vindicarunt, & in Academiam ſuam Harderovicenſem evocarunt, ut ibi Jus civile doceret an. MDCCXV. ubi cum per triennium fere munere hoc ex votis functus eſſet, in flore aetatis XV. Auguſti MDCCXIX. obiit, magno reipublicae literariae damno, cum quaeque magna de eo ſperari poterant, unde recte reverendus Pater in Comment. ad Phaedr. lib. III. Fab. Prol. vſ. XXII. teſtatur, quod *ejus immatura mors multa nobis egregia inviderit*. Edidit

Diſſertationem *de Ratione emendandi Leges*. Traj. MDCCVII. 8. de qua Cel. Ludewig. in Vit. Juſtinian. & Theodor. cap. V. p. CIV. teſtatur: *Hic liber cum ſit brevis & criticae artis in jure aperiat regulas, omnino poteſt commendari juvenibus in hoc argumento.* Et cum Chriſtfridi Waechtleri quaedam obſervata actis ſuis inſeruiſſent eruditi Lipſienſes menſ. Novemb. MDCCVIII. iis reſpondit Beſtius in Act. April. MDCCX. & ei iterum Waechtlerus menſ. Jun. MDCCX.

Oratio de Aequitate juris Romani, illiuſque ſtudii jucunditate prodiit Harderov. MDCCXVII.

Oratio de Pactorum & Contractuum ſecundum jus Gentium & Romanorum natura & aequitate, dicta publice

blice a. d. v. Idus Majas MDCCXIX. quum magnifici Rectoris dignitate ſe abdicaret.

BEUSECOM (CHRISTIANUS A) Amersfortius. Fuit Theologiae Doctor, Canonicus D. Petri, Catecheſeos Profeſſor, & Praeſes Collegii Regii Lovanii. Obiit anno MDCXLIV. bonis ſuis relictis D. Virgini Mariae pro exſtructione novi ſacelli Lovanii in vico dicto Flamingſtraet, uti teſtatur Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. pag. CXXXVII. & CXXXVIII. Matth. Rer. Amersf. ſcript. p. L. Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXCIX. Hic nihil edidiſſe aut ſcripto conſignaſſe videtur, ideoque a Valerio Andrea in Biblioth. Belg. non memoratur; quia tamen a Verhoeven apud Matth. d. l. inter doctos Amersfortios enumeratur, nos quoque illum omittere noluimus.

BLOKHOVIUS (GISBERTUS) hic Trajectenſis dicitur, & religionem ingreſſus, Carthuſianus Colonienſis & in Cartuſia Colonienſi an. MDXXXVII. vixiſſe, uti tradit Petrejus in Biblioth. Cartuſian. p. CV. Edidit

Brevem Apologiam pro operibus Petri a Leida cognominati Bloemevenne, quae Coloniae MDXXXVIII. impreſſa eſt poſt libellum ejuſdem Petri *de Bonitate divina*. vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCLXXXIX. Sweert. Athen. Belg. p. CCXC. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXXXIX.

BOECKHOVEN (ANTONIUS DE) Trajectinus. Hic juris utriuſque Doctor *Jus municipale civium Utreciorum* ex Teutonica lingua in Latinam vertiſſe, & non incondita anaphraſi inluſtraſſe dicitur a Valerio Andr. Bibl. Belg. p. LXII. plura de hoc auctore ignoro, neque apud alios ſcriptores ejus mentionem inveni.

BOMMELIUS (HENRICUS) Gelder, Frater Domus S. Hieronymi, & Rector Sororum B. Mariae

Magdalenae Trajecti, obiit an. MDXLII. Licet in Gelria natus ſit, huc tamen referendum puto, quum noſtra in urbe vixerit; bellum enim Trajectinum deſcripturus, ea ſe relaturum dicit, *quae nos ipſi praeſentes vel vidimus, vel a teſtibus fide dignis audivimus.* Deſcripſit

Bellum Trajectinum inter Gelriae Ducem Carolum & Henricum Bavarum Epiſcopum Ultrajectinum. Marpurgi MDXLII. 8.

Geſnerus addit ſcripſiſſe *Lamentationes Petri ſeu novum Eſdram*, fuiſſeque Eccleſiaſtem Veſalienſem, verum diverſum ab hoc noſtro notat Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCXLIII.

BORCULOO (HERMANNUS) licet Valerius Andreas locum natalitium huic non adſignet, Trajectinum tamen fuiſſe non dubito, quum gens Borculoa eo tempore hic notiſſima fuerit, & primi, qui artem typographicam hac in urbe exercuerunt, ex illa familia deſcenderint. Supereſt adhuc hodie noſtra in urbe Typographus Borculoo, cujus parentes & proavi continua ſerie per duo ſecula in eadem domo prope turrim Martini celeberrimi Typographi exſtiterunt. Noſter vero *Hermannus* ſuperſtitionem iſtius temporis ſecutus, peregrinationem in terram ſanctam inſtituit & univerſam Palaeſtinam peragravit. In patriam reverſus

Civitatem Hieroſolymitanam ac loca ſacra univerſa Palaeſtinae delineavit ac deſcripſit Traject. MDXXXVIII.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CXXXII. & CCCLXXX. Sweert. Athen. Belg. p. CCCXLI.

BORRIUS (PETRUS) quem male *Borraeum* vocat Sweertius Athen. Belgic. pag. DCIV. Natus Trajecti

jecti anno MDLIX. patre Chriſtiano. Patruus ejus per multos annos Magiſtratibus noſtris a ſecretis fuit, ad quem exſtat Epiſtola Barlaei XXII. & uxoris avunculus fuit Guielmus Zuylen a Nievelt, ut ipſe teſtatur lib. IX. Hiſtor. pag. CLXXVI. edit. prior. duxit enim Martinam Boot, viduam Gulielmi Zas, filiam Gerardi Boot J. U. D. & Quaeſtoris Abbatiae Egmondanae, ac Gertrudis van Couwenhoven, cujus amita Agatha Boot nupſit Gulielmo Zuylenio Nyeveldio, Sherenaerntsbergae Dynaſtae, Dordraci Praetori, ac Zuidhollandiae Balivo. vid. van Leuwen Batav. Illuſtr. p. DCCCLXXVIII. Fuit vero Notarius publicus, deinde Quaeſtor Hollandiae Septentrionalis, & cum animum ad Hiſtoriam patriae & motuum Belgicorum ſcribendam adplicuiſſet, ſpeciminaque hiſtoriae Belgicae edidiſſet, primi regionis Trajectini Ordines, decreto interpoſito incitarunt, ut ſtadium, quod ingreſſus erat, decurreret, aditusque ei datus ad monumenta publica, & honorarium centum florenorum ipſi adſignatum decreto Ordinum II Julii MDCXXII. & Ordines Hollandiae florenorum ſexcentorum annuum honorarium decreverunt. Male vero apud Valer. Andr. *Ordinum foederati Belgii Hiſtoriographus* vocatur, vid. Favorit. Noric. Obſervat. in Gundling. diſcurſ. pag. LXXIV. & Append. pag. IV. Obiit ſenex anno aetatis LXXVI. XVI. Martii MDCXXXV.

Summa vero fide ſcripſit, & per partes emiſit patrio idiomate

Oorſpronk, Begin en Voortgang der Nederlandſe beroerten MDCCXXI. & MDCXXX. VI. tom. in fol. quod opus poſtea recuſum Amſtelaedami MDCLXXIX. IV. vol. fol.

Bele-

Belegeringe en beſchryvinge van ſ' Hertogenboſch; Hag. MDCXXX. 4.

Oorſpronk der Nederlantſche Oorlogen in rym met plaaten MDCXVII. 4.

Chronyk van Charion Amſt. MDCXXXII. fol. cujus Chronici verſio debetur ejus per adfinitatem avunculo Gulielmo Suilenio Nyeveldio, uti poſtea, quando ejus fata & merita memorabimus, videbimus, verum ultima pars continuationis, ut & totius operis editio tantum ad Borrium noſtrum referenda eſt.

Eximius Belgarum Hiſtoricus vocatur a Voetio Polit. Eccleſ. part. III. lib. IV. tract. II. cap. III. qui tamen in Biblioth. Stud. Theol. lib. II. p DCLXII. monet Lectores, *Borrium ut & celeberrimum Hooftium Pontificios quidem non fuiſſe, nec tamen noſtram religionem in vita profeſſos.* a Verhoeven apud Matth. rer. Amersf. ſcript. p. CXLVI. dicitur *vir inexhauſti laboris*, & vener. Patre in not. ad tom. I. Syll. Epiſt. p. CCCLXIV. *diligentiſſimus & verus Hiſtoricus.* Magnificum elogium ei poſuit ſcriptor Anonymus in Praefat. ad vitam Wilhelmi primi Principis Arauſionenſis pag. XXII. & XXIII. Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCXXV. & Witte Diar. Biograph. part. II. ad ann. MDCXXXV.

BOTTERUS (LEVINUS) Amersfortius, Juris utriusque Doctor, Patrio Senatui per XXXIII. annos a ſecretis, ordinarius Cenſor (ſeu ut vocant Reviſor) in ſupremo Tribunali Trajecti ſedit, & Amersfurti publice leges profeſſus eſt. Obiit anno MDCXII. aetatis LXVI. ſepultus in aede S. Georgii cum hoc Epitaphio:

Occubat hoc tumulo Botteri corpus inane,
Orbe tamen vivit nomine, mente polo.

Ter

Ter denis triniſque annis cum laude ſenatum
Conſiliis patriae dum juvat ipſe pater.
Summa hunc cauſſarum Cenſorem Curia vidit,
Aſtreae titulo qui bene clarus erat.
Cum bis ter denos & ſex transegerat annos,
Heu! ſubito, flendus civibus, interiit.
I homo, bulla levis, i pulvis & erige criſtas:
Ingenium, tituli, ſtemmata, opesque nihil.
Ex ſpinis roſa.

Haec de eo habet Verhoeven apud Matth. rer. Amersf. Script. pag. LV. Per *ordinarium* vero *Cenſorem* ſeu *Reviſorem* credo dicere voluiſſe tantam ipſius in jure peritiam fuiſſe, ut fere ſemper revidendis, uti vocant, ſeu retractandis ſententiis a dioeceſeos noſtrae Tribunali latis, adhibitus fuerit. Ordinarios enim Cenſores fuisſe numquam inveni. Non vero addit Verhoeven, an ingenii & eruditionis ſuae monumenta poſteritati reliquerit. Cum viris doctis tamen commercium habuiſſe patet ex Epiſtolis variis Adriano van der Burchio ſcriptis, quas Heuſſenus tom. III. Hiſt. Eccl. p. CXCIX. teſtatur ſe habuiſſe.

BRIENEN (ABRAHAMUS A) Trajecti natus anno MDCVI. Coloniae Theologicis ſtudiis operam dedit. Quibus abſolutis in patriam redux primo Langeraarenſis, deinde ad S. Gertrudim Trajecti Paſtor, Vicariorum adſeſſor, & Provicarius factus, acerrimus cleri defenſor exſtitit. Pro cujus cauſa bis Romam profectus, ibique Theologiae doctor creatus eſt. Obiit hic Trajecti an. MDCLXXXII. aetatis LXXVI. Sub ficto nomine *Abrahami van der Mat* edidit varias diſſertationes Theologicas, quae conjunctim prodierunt Lei-

dae an. MDCCIX. Scripto quoque conſignavit res geſtas Paſtorum S. Gertrudis, qui abolita ſuperſtitione Papiſtica Romanenſis gregis Paſtores egerunt, quas MSS. ſe habuiſſe teſtatur Heuſſen. tom. II. Hiſt. Eccl. p. LXXXIII.

BRUNINGIUS (CHRISTIANUS) ſive BRUNONIUS, uti ſe vocat in epiſtola ad Lipſium in tom. II. Syll. Epiſt. Burm. Epiſt. DCCXXVII. unde reverendus Pater in notis conjicit noſtra lingua vocari *de Bruyn.* Trajectinus, Lovanii ſtudiis operam dedit, ibique familiaris & domeſticus fuit Lipſio. Hebraicae & Graecae linguae peritus, Poëſeos laude quoque floruit, & varia Epigrammata ſcripſit, de quibus vide ejus Epiſtolam ad Lipſium d. l. & eum *ſuper aetatem doctum & ſapientem* vocat Lipſius in Epiſt. inter Gudianas CXI. vid. & Epiſt. ſeq. unde patet in otio & quiete hic vixiſſe. Cum uxor ejus incuria cujusdam medici Dordracenſis fere oppreſſa, ſed Trajectum ducta, ſanitati reſtituta fuiſſet, noſter Papalibus ſuperſtitionibus addictiſſimus, votum pro morte liberata uxore ſolvit Divae Aſpricolli, uti ipſe morbi hujus hiſtoriam & votum narrat in Epiſtola ſcripta Rosweydo, quae exſtat tom. II. Syll. Ep. Burm. DCCCLVIII. Scripſit

Breviarium Philoſophicae Barbaricae carmine typis Raphel. MDC. 12. una, cum libro ejusdem argumenti, cujus auctor Otto Heurnius, de quo infra agemus. Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CXXXIII. obiit 21. octob

1675 Oct. 15. BRUYN (GUALTERUS DE) natus Amersfortii pr. Non. Maji MDCXVIII. Anno MDCXXXV. Trajectum miſſus, primo per aliquot annos Philoſophicis ſtudiis operam dedit; in quibus tantos progreſſus fecit, ut anno MDCXL Philoſophiae lauream conſecutus ſit, edita

ta Diſſertatione *de Malo*, *& eo quod invitum*, *quodque ſpontaneum eſt*, *& de motu ſiderum.* Deinde Theologiae ſe adplicuit, praeceptoribus uſus Gisberto Voetio & Meinardo Schotano. Diſcipulum Voetii fuiſſe patet ex Voet. t. I. Diſput. Theol. p. CXIV, CXXXV, CXLIX, CLXVIII. & tom. V. p. CCCCLIX. Academicis ſtudiis abſolutis, Eccleſiae Hageſteinenſis cura anno MDCXLI ei commiſſa, unde anno MDCXLIV ſimul cum Liberto Spruyt paſtore in Blaeucapel Trajectum vocatus, deinde anno MDCLII. una cum Andrea Eſſenio S. S. Theologiae Profeſſor creatus eſt, ita ut ambo unius Profeſſoris Theologiae munus obirent, & XXV. Januar. MDCLIII. decretum a magiſtratibus noſtris, ut unum tantum in Senatu Academico votum haberent, & pro legibus, quas candidati pro examinibus ſolvere ſolent, tantum ſimul haberent, quantum unus ordinarius Profeſſor accipere ſolebat. Profeſſionem auſpicatus eſt VI. Idus Febr. MDCLIII. oratione inaugurali *de moribus Theologi*, & III. Id. Febr. inſequenti Doctor Theologiae creatus, edita Diſſertatione inaugurali *de duobus Foederibus divinis.* Nondum enim eo tempore inoleverat peſſima conſuetudo, qua ſupremi in Theologia honores conferebantur in eos, qui nulla peritiae illius ſcientiae ſpecimina ediderant, ſi modo, non tantum in aliqua Academia, ſed & in inluſtri quadam ſchola Profeſſores vocati ſint. Cui, Academiae legibus maxime contrariae, obviam itum nuperrimo Senatus noſtri Academici decreto, gaudeo, occaſione fraudis detectae, qua juvenis cujusdam non indocti, neque plane hoc honore indigni, amici, forte ab aliis decepti, ipſi Profeſſoris munus in ſchola quadam inluſtri extra pa-

triam oblatum praetexebant, cum tantum verbi divini interpretandi partes ipſi eſſent demandatae.

Laboribus ejus & induſtria non diu Academiae noſtrae frui licuit, cum eodem anno ſcilicet non. Julii MDCLIII. annum aetatis XXXV. agens, obierit. Juſta ei ſolvit oratione funebri Andreas Eſſenius.

Brevi Profeſſionis tempore ſcripta nulla evulgavit, niſi aliquas diſſertationes Academicas *de Scriptura Novi Teſtamenti adverſus Simonem Epiſcopium*, & duas *ad Hiſtoriam de conceptione Chriſti.*

Hunc inter doctos Amersfortios recenſet Verhoeven apud Matth. rer. Amersf. ſcript. p. L.

BRUYN (JOHANNES DE) Goricomienſis, natus die XXV. Auguſt. MDCXX. Literarum rudimentis in ſchola patria poſitis, Leidam mittitur, ibique Heerbordium Philoſophiae Profeſſorem audivit, deinde Sylvamducis petiit, ubi Mareſius Theologiae & Philoſophiae praecepta eo tempore tradebat. Quo praeceptore per aliquot tempus feliciter uſus, deinde Trajectum adiit, ut ſub Ravenſpergero Mathematicas artes excoleret. Cumque ita omnia Philoſophiae arcana perſcrutaſſet, & laurea Philoſophica in noſtra Academia eſſet ornatus, Leidam ſe contulit, ubi ludum Mathematicum aperuit. Deinde Ravenſpergero defuncto, Bruno noſter, quem Ravenſpergerus paulo ante mortem Curatoribus noſtris commendaverat, ipſi ſucceſſor datur, & primo extra ordinem XXI. Aprilis MDCLII. deinde XXXI. Martii MDCLVI. quum jam ante decreto magiſtratuum III. & XXX. Aprilis MDCLV. ad Examina admiſſus eſſet, ordinaria Phyſices & Matheſeos Profeſſio ipſi demandatur. Collegia Logica habendi facultas ei data XXVII. Auguſt. MXCLX. Explicavit quoque Grotii libros de Jure Belli & Pacis; &

& demonſtrationes Anatomicas exercuit, uti patet ex Epiſtola Graevii in tom. IV. Syll. Burm. p. CCCCLXXXIX. *Anatome a nobis fuit ſpectata, quam operam nobis navabat de Bruin, optimus ſecandi & peritiſſimus magiſter*, qui & tom. IV. Syll. p. CCCLXXXII. eum *virum optimum & amiciſſimum* vocat. Anno MDCLIV. die XVIII. Julii uxorem duxit Wilhelminam Beerning. Obiit XII. Kal. Novemb. MDLXXV. cum per XXIII. annos Philoſophiam in noſtra Academia ſumma cum eruditionis fama docuiſſet. Orationem in ejus obitum habuit Graevius, quae legitur inter Graevianas n°. XI. & apud Witten Memor. Philoſ. t. II. dec. IX. p. 586.

Scripſit diſſertationes Academicas
De vi altrice.
De Corporum gravitate & levitate.
De cognitione Dei naturali.

Epiſtolam ad Iſaacum Voſſium de natura & proprietate Lucis. Amſtel. MDCLXIII. 4. ei reſpondit Voſſius eodem anno Hagae 4. Quum enim Iſaacus Voſſius ſcripſiſſet de *Lucis Natura & proprietate* Amſtel MDCLXII. & Carteſium refellere tentaſſet, noſter conſcripſit hanc Epiſtolam. vid. Hoboken in Specilegio Epiſtolar. p. XCVI. & Struvius Bibliot. Philoſ. cap. V. Sect. XIV. qui editionem hujus epiſtolae ad an. MDXLIV. refert.

Defenſionem Philoſophiae Carteſianae contra Vogelſangum MDCLXX. 4. qui anno praecedenti contra eum ſcripſerat libellum hoc titulo: *Rein. Vogelſangi indignatio juſta & ſpecimen conflictus inter eundem & Johannem de Bruyn.*

Vid. Witten Diar. Biograph. ad an. MDCLXXV.

BUCHELIUS (ARNOLDUS) Trajecti natus XVII. Martii an. MDLXV Fuit nepos Arnoldi Buchelii, qui inſtructiſſimam ſuam Bibliothecam urbi Trajecto reliquit, uti patet ex actis Magiſtratuum noſtrorum IV Martii MDCV. & refert Graevius Oration. in L Acad: Traj. natal. quem non recte intellexiſſe videtur Halma Toneel der Vereenigd. Nederl. qui hoc legatum a noſtro Buchelio relictum adfirmat. Sororem Janam habuit, cui in prima juventa defunctae tumulum poſuit in templo Hieroſolymitano, quem exhibet Sweert. Delic. orb. Chriſt. p. DXXVI. Fundamentis literarum in urbe patria jactis, Leidenſem Academiam adiit, ibique Juſtum Lipſium humaniores literas docentem, & Hugonem Donellum jus civile interpretantem, ſedulo audivit. Deinde Germaniam, Italiam & Galliam peragravit, ibique celebriores Academias inviſit, & amicitiam cum viris doctis contraxit; & Pariſiis cum Ludovico Carrione Paulum Meleſium ſe adiiſſe ipſe teſtatur in Ms. ad tom. II. Boiſſard. Icon. pag. XCI. cui exemplari, quod venerandus pater poſſidet, multa adſcripſit. Juriſconſulti titulo ornatus, & in patriam redux, in albo advocatorum ſe adſcribi paſſus eſt, & aliquot annos cauſas in foro egit. Duxerat uxorem Voorſtiam, cujus ſoror Gertrudis nupta erat Aelio Everardo Vorſtio, qui celeberrimus Medicinae Profeſſor Leidae fuit, uti conſtat ex Anton. van der Linden Oration. funebr. in obit. Adolphi Vorſtii p. VIII. quae exſtat apud Witten Mem. Medic. pag. CCXXV. Et ipſe adfini Aelio Ever. Vorſtio epitaphium poſuit, quod inter Epicedia poſt Orationem funebrem Petri Cunaei legitur pag. XXV. & apud Sweert. Ath. Belg. pag. CXV. quae uxor marito ſuperſtes obiit in initio Septemb. an. MDCXLIV. Ex hoc matri-

trimonio unicum tantum filium habuit, qui cum anno XVI. aetatis obiiſſet, a moleſto illo patrocinandi exercitio ad amoeniora ſtudia, unde abierat, reverſus, in inquirendis mediae aetatis antiquitatibus & rebus geſtis maxime elaboravit. Et licet forum reliquiſſet, tanta tamen erat ejus in jure dicundo, reſponſionibus dandis, & controverſiis dijudicandis peritia & dexteritas, ut Ordines noſtri ejus conſilio carere non poſſent, & ſaepiſſime in ſupremo Reviſionis (uti vocant) Tribunali adhibuerint, quas partes bis anno MDCXXXVIII. obiiſſe ex actis Ordinum noſtrorum reſcivi: imo Ordines ejus, ut Juriſconſulti celebris, reſponſum, ad quaeſtionem, an quis ducere poſſit filiam ſororis defunctae ſuae uxoris? efflagitaſſe, narrat Voetius de Polit. Eccleſ. part. I. lib. III. tract. I. ſect. II. cap. IV. Et cum alienior ſemper fuerit a Reipublicae negotiis, uti teſtatur Barlaeus Epiſt. CCCXLV. privatam egit vitam, nulloſque honores geſſit, niſi quod ad duos annos nomine noſtrae civitatis Societati Indiae Orientalis praefectus fuerit, uti patet ex decretis Ordinum XXV. Auguſt. MDCXIX. Fuit vero vir eruditiſſimus, patriarum antiquitatum inveſtigator indefeſſus, & Poëtices laude florentiſſimus. Caſparo Barlaeo *vir antiquitatis peritiſſimus* in Epiſt. LXXV. *vir graviſſimus* in Epiſt. CXXIX. *Antiquitatum & ſecretorum Bataviae ſcrutator ſtudioſiſſimus* in Epiſt. CLIV. audit, & variae Barlaei ad noſtrum Buchelium exſtant Epiſtolae. *Doctiſſimum ſibique amiciſſimum virum* vocat Voſſius lib. III. de Hiſtor. Lat. cap. VII. a Matthaeo de Jure Gladii XXV. p. CCCCXXVII. & tom. IX. Analect. p. XIX. *Vir antiquitatum peritiſſimus & ſublimis judicii* dicitur & a Gouthoven Chron. p. CCXXVI. *Geleert in de Griekſe en*

La-

Latynſe tale, en de Poëſye, een zeer geleert Antiquarius, en ervaren in de Nederlandſche outheden en hiſtorien. Beverwyk Beſchryv. van Dort p. LXXIV. eum nominat *Hooggeleert en zeer ervaren in des Vaderlands outheid.* a Voetio vocatur *Antiquitatum omnium callentiſſimus* tom. III. Diſp. Theol. p. CCCCLI. *Eximius juriſconſultus & in arte Heraldica verſatiſſimus* tom. IV. Diſp. Theol. p DCLXVIII. *eximius antiquarius* de Polit. Eccleſ. part. I. lib. IV. tract. II. cap. II. & de Prognoſt Cometar. cap. V. eum pronuntiat *Juriſconſultum exercitatiſſimum, in hiſtoriis atque antiquitatibus, ſi quisquam, verſatiſſimum, & verae religionis ſtudio, nec non prudentia, candore, morum gravitate & integritate in hac urbe ſpectatiſſimum, cujus* (addit) *familiaritate & favore, cum viveret, quod mihi aliquot annos frui datum ſit, in magna parte felicitatis pono.* Inſigni elogio eum ornat Conringius de Finib. Imperii II, XXVIII. p. DCCXL. vocans *virum ingenuum & antiquitatum patriae peritiſſimum,* & variis in locis ejus induſtriam, ſummam fidem & eruditionem laudat & praedicat H. v. R. in notis ad Heuſſ. Hiſt. Eccleſ. notandus vero ridiculus & pudendus error Gundlingii, qui in Hiſtor. Imp. pag. CCLXXVII. noſtrum cum Aegidio Bucherio Jeſuita Atrebatenſi his verbis confundit: *Wilhelm Heda in Epiſcopis Ultrajectinis wo über Bucherius ein Jeſuit ſchône noten gemachet hat.*

Obiit Senex aetatis LXXVI. anno MDCXLI. Id. Julii. ſepultus ad S. Gertrudem, ubi tale ejus monumentum exſtat:

Qui jacet hic cunctos Themidi devoverat annos,
Et patriae arcanum noverat omne ſuae.

Ur-

Urna ſenis Bucheli eſt, Becam qui ſcripſit & Hedam.
Hos ſibi dum reddit, redditur ipſe Deo.

Scripta, quae reliquit, ſunt:

Deſcriptio urbis Trajectinae, quae Tabulae Typographicae ejusdem urbis adhaeret, editae an. MDCV.

Diatriba de veteri regimine, quam Johannes de Laet ſuae Belgii foederati Reipublicae anno MDCXXX. inſeruit.

Deſcriptio florum, fruticum, herbarum a C. R. Roſſoto F. aeri inciſorum an. MDCXIV.

Adjecit & *Appendicem Atlanti Gerhardi Mercatoris a Jodoco Hondio* edito Amſt. MDCXXX.

Ejus *Epiſtola ad Petrum Scriverium* exſtat inter Inſignium virorum Epiſtolas editas a Meelio p. CXXVIII.

Duae ejus *Epiſtolae ad Ger. Jo. Voſſium*, ubi quaedam erudita ad ejus libros de Hiſtoricis Graecis & Latinis adnotat, exſtant in Epiſtol. Voſſii LXXI. & CIX.

Poſt ejus mortem prodiit *Hiſtoria Ultrajectina, ſive Joannes a Beka & Guielmus Heda de Epiſcopis Trajectinis.* Traj. MDCXLIII. opera Gisberti Lappii a Waveren, qui & *Lamberti Hortenſii Seceſſionum Ultrajectinarum libros, & Petri Suffridi Appendicem ad Hiſtoriam Ultrajectinam* addidit, & cujus ſunt notae marginales ad Hortenſium, ut docet Matth. de Nobilitat. lib. IV. cap. XXXII. p. MCXXXVII. Hanc editionem recenſet Struvius in Bibliotheca Antiqua MDCCV. p. CCCCXXXVII.

Scripſit quoque *Tractatum ſingularem*, ſive *Diatriben de Durdrechto*, uti ipſe teſtatur in notis ad Hedam p. XIV. & in Epiſtola ſcripta Beverovicio apud Matth.

 Epiſtol.

Epiſtol Syllog. Ep. LXIV. ubi tres ejus Epiſtolae ad dictum Beverovicium exhibentur; & Epiſt. CXXVI. exſtat Epiſtola ad Joan. Iſac. Pontanum, qua cum eo communicat varia monumenta & diplomata ad res Gelricas ſpectantia; & Epiſt. CXXXI. qua oſtendit Vechtam flumen, Mudam & Veſopum olim ad Dioeceſim pertinuiſſe.

Adſcripſit etiam carmina *Herologiae Anglicae H. H.* id eſt *Henrici Hollandi*, ut manus ejus teſtatur, quem librum & ſe revidiſſe & recenſuiſſe dicit. exemplar illud poſſidet venerandus Pater.

Auctor quoque eſt libelli, cui titulus *Naſſoviſche Orangieboom*, qui prodiit Trajecti MDCXV. ut manus in exemplari, quod reverendus Pater habet, teſtatur.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. LXXVIII. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXLI. Halma Toneel der Vereenigde Nederlanden & H. v. R. ad Heuſſ. Hiſt. Eccl. t. II. p. CXLIII.

BURCHIUS (ADRIANUS VAN DER) Adriani primum Senatoris in ſummo Mechlinienſi dicaſterio, poſtea Senatus Trajectini, deinde Flandriae Praeſidis, & Conſilii ſtatus Senatoris (de quo vide doctiſſimum & diligentiſſimum van de Water Utrecht Placcaetb. tom. II. pag. MLII.) ex Barbara van Schore filius, cujus gentiles ad ſummum honoris gradum evectos eſſe conſtat ex Joſepho Comite de Schoore, qui inter alios titulos etiam Marckhovii dynaſta vocatur, & exſtitit Praetor Brugenſis, in ea dignitate mortuus die XXVII. Martii MDCCXXIII. vid. Sanderi Flandr. Illuſtr. tom. II. lib. I. pag. XX. Johannis Mechlinienſis Senatus & Conſilii privati Praeſidis, & Lamberti Decani ad Mariam virginem frater, & patruus Franciſci van der Burchii ex fratre

fratre ejus Johanne nati, qui Epiſcopus Gandavenſis quintus exſtitit, & poſtea factus eſt Archiepiſcopus Cameracenſis. vid. Carpent. Hiſt. de Cambr. tom. I. pag. CCCCXXI. & ſeqq. & Sander. Flandr. Illuſtr. tom. I. lib. IV. pag. CCXXVI. & lib. V. p. CCCLVI. Noſter Adrianus patricius Brugenſis dicitur a Sandero de Clar. Brugenſ. & licet natales Trajecto non debere videatur, ob honores tamen ibi geſtos & fata, quae hic ſubiit, merito inter Trajectinos enumerari poteſt. Fuit Curiae noſtrae Graphiarius creatus circa annum MDLXXII. uti conjicit eruditiſſimus van de Water Utrecht Placcaetb. tom. II. pag. MLXI. quo munere ſe abdicare coactus cum fratre Lamberto & aliis, quos enumerat Borrius Hiſt. Belg. lib. XXI. licet emendatae religioni addictis, ſed qui Hermannum Duyfhuys Paſtorem S. Jacobi ſequebantur, & rigidae diſciplinae aliorum, qui *Conſiſtoriſtae* vocabantur, ſe ſubdere nolebant, per Leiceſtrianae factionis ſatellites urbe cedere coactus eſt anno MDLXXXVI. & non tantum extra urbem, ſed & foederatum Belgium exire juſſus, exilii auctore conſule Prouning a Deventer, qui ipſe peregrinus contra jus & fas principatum obtinens, fretus auctoritate Comitis Leiceſtriae, omnia pro arbitrio agebat. vid. Borr. d. l. & Matth. de Jur. Glad. cap. XXXVI. ubi libellum ſupplicem, quem ille aliique eandem ſortem nacti, Comiti Leiceſtrio obtulerunt, refert. Et cum primo in agro Clivienſi aliquamdiu moratus erat, deinde Leidae habitavit, uti conſtat ex Elegia elegantiſſima ſcripta ad Janum Douſam, & Epiſtola ad Jacobum Haeſium, quae exſtant in ejus Funeribus & Triſtibus p. XVII. & XVIII. Poſtea Trajectum redux ibi vivere deſiit anno MDCVI. Plurimi enim peregrini Leiceſtriae

Comitis aſſeclae, cum contra jura civitati huic propria inter Senatores adſciti eſſent, omniaque pro arbitrio agerent, tandem Comes Nieuwenarius praefectus hujus civitatis, iſtorum hominum inpotentiam pertaeſus, dum Leiceſtrius in Angliam trajeciſſet, effecit, ut dictus Gerardus Prouning a Deventer, qui varias turbas non tantum hac in civitate, ſed & in Republica ſuſcitavit, regimine amoveretur, & ita Burchius noſter aliique revocati. vid. Vener. Pat. in not. ad tom. I. Syll. Epiſtol. p. CCCCXCVIII. Uxor ei fuit Cornelia Grapheae, quam anno MDLXX. vitae ſociam elegit, quas nuptias elegantiſſima oda celebravit Philippus Morus, quae exſtat in Poemat. noſtri Burchii p. CXVII.

Fuit vero vir doctiſſimus & Poetices laude celeberrimus. Edidiſſe dicit Clar. Graev. poſt Orat. in L. Natal. Acad. Traj. p. CCCXCIX

Laudes Hieronymi Columnae & Aſcanii Columnae Antwerp. MDLXXXII. 4. Verum Graevio inpoſuit titulus per compendium hoc modo propoſitus apud Val. Andr. pag. XIX. *Laudes Hieronymae Columnae, Aſcanii Columnae &c.* Nam Sanderus in Flandr. Ill. tom. II. lib. III. pag. CLIV. auctor eſt, eum *Laudes illuſtriſſimae Hieronymae Columniae, Aſcanii Columnii & Sarae Arragoniae filiae, vario genere carminum a diverſis poetis Italis potiſſimum celebratas, diligenter collegiſſe, & cum aliquot miſcellaneis ſuis Poematibus Antwerpiae apud Chriſtophorum Plantinum* MDXCII. *excudi curaſſe.* Ubi tamen Sanderus dupliciter erraſſe videtur, primo in anno editionis, niſi haec altera ſit editio. Deinde quod *Saram Arragoniam* vocet, quae *Jana* dicenda videtur; nam apud Imhof. in Genealog.

Illuſtr.

Illuſtr. in Ital. Famil. p. CCXXII. vocatur *Johanna Arragonia Ferdinandi D. de Montalto F.*

Edidit & *Epigrammatum ſacrorum centurias duas.* Leidae MDLXXXIX. 8. quibus tertiam centuriam adjecit ibid. MDXC. 8. Sanderus vero d. l. refert duas centurias edidiſſe anno MDXC. & tertiam an. MDXCI. Haec Epigrammata laudat Torrentius apud Matth. Epiſt. Syll. CXXVIII. & CXXIX.

Hortulum precum ad Magiſtratum Trajectinum.

Farraginem piarum ſimilitudinum, cui ſub finem additus *Hymnus Paſchalis*, in quo breviter *vita*, *mors & reſurrectio Chriſti* MDXCIII. 8.

Charites ſive *Sylvas piorum amorum.* Leidae MDXCV. 8. in quas Elegia Jani Douſae filii legitur tom. II. Delic. Poëtar. Belgic. p. CCXVII.

Fidem ac ſpem, ſive de duabus illis virtutibus ſententias & exempla. ibid. MDXCVII. 8.

Pia Decaſticha, ſeu ſententiarum & exemplorum centurias tres. Antwerp. MDXCIX. 8.

Piorum Hexaſtichon centurias IV. Item *de modo orandi Deum centuriam.* Antverp. MDCIII. 8.

Pios luſus, in quibus Oſcula & Oculi, ac poſt illos Triſtia & Funera Traj. MDC. 4.

Solatia ibid. MDCII.

Varia Burchii carmina exſtant tom. I. Delic. Poëtar. Belg. p. DCCCLXI. & ſeqq. reprehendit eum Aub. Miraeus, quod carmen in obitum Jani Douſae, qui religioni Papiſticae tam noxius fuit, ſcripſiſſet, apud Matth. Epiſt. Syllog. XXIV.

Recenſuit quoque *Petri Apollonii Collatii Presbyteri Novarienſis de Excidio Hieroſolymitano lib.* IV. & notas nonnullas ad marginem addidit Antverp. MDLXXXVI. 8.

8. ſive Leidae, uti teſtatur Baelius in Lexico t. II. p. CXCIV. & carmen in eum Petrum Apollonium edentem luſit Douſa, quod exſtat Epigr. lib. V. p. CXLI.

Valerium Maximum quoque plurimis in locis correxiſſe ad MSS. teſtantur Sweertius Athen. Belg. p. XCIV. & Sander. d. l. forte in exemplari ſuo, nam numquam editionem hujus auctoris ejus cura prodiiſſe credo, quia nulla ejus mentio apud doctiſſimum Torrenium in Praefatione nuperae editionis. Verum noſtrum, ut & Lambertum MSS. Valerii Maximi Codices Lipſio ſuppeditaſſe grato animo agnoſcit Lipſius in initio notarum ad Valer. Maximum.

Epiſtolarum ejus ineditarum ad Johannem Meurſium meminit Morhovius Polyh. I, XXV, §. IX.

Lipſii Epiſtolas noſtro ſcriptas producit Gabbema Clar. Vir. Epiſt. p. CCLXXV, CCLXXXII, CCLXXXVIII, CCLXXXIX, CCXC, CCXCIII, CCXCIV. & CCXCVII. vid. & Lipſ. Epiſt. Select. Cent. I. Miſcell. Ep. LVII. & Cent. III. Ep. XL. & LX. qui & filio ejus Adriano ſenatoriam dignitatem gratulatur Cent. III. Epiſt. LVIII. quem conſiliarium in Senatu Gelriae vocat Ibid. Epiſt. LXV.

Vid. Douza I. Carm. Varior. XI. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. XVIII. Sander. de Clar. Brugens. lib. I. p. XIII. & Flandr. Illuſtr. d. l. Graevius d. l. & Witte Diar. Biograph. ad. an. MDCVI.

BURCHIUS (LAMBERTUS VAN DER) natus anno MDXLII. Mechliniae, non Trajecti, ut male Goudhoven & eum ſecutus Halma. Filius Adriani, quem Philippum II. in Angliam comitatum & Londini obiiſſe ſcribit in Dedicatione Hiſtoriae Sabaudicae. Frater Adriani, de quo modo egimus. Anno MDLV. Canonicus, & die IX. Decembris an. MDLXXVIII, non

MDLXXXVIII. ut perperam vitio Typographico legitur apud Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXL. Decanus ad D. Mariam Trajecti electus, ejusdem collegii Canonicorum Scholaſticus creatus eſt anno MDCV. die XXVIII. & XXIX. Aprilis. Anno MDLXXXII. cum fratre Adriano aliiſque per aliquot tempus urbe cedere coactus fuit, uti ſupra in Adriano notavimus. Fuit avitis ſuperſtitionibus addictiſſimus, unde odio puriorum, ſacrorum vix & admodum difficulter induci potuit, ut ſubſcriberet Unioni initae Trajecti anno MDLXXIX. uti narrat Matth. Fundat. Eccleſ. lib. I. p. CXLIII. qui quoque tradit ipſi deberi, quod incolume adhuc templum D. Mariae, quod & teſtatur Johan. de Witte apud Matth. Epiſt. Syllog. CLVII. Cum anno MDLXXX. oſſa Conradi Epiſcopi, aedis D. Mariae fundatoris, a tumultuante plebe, & ubique imagines ex templis evertente, e ſepulcro elata canibus objicerentur, ille reliquias collegit, & anno MDXCII. arculae includi & veteri monumento inponi, hoc adjecto elogio, curavit.

Eruta A. D. MDLXXX. *ſub martis Menſis initium Conradi Epiſcopi Ultrajectenſis, hujus aedis fundatoris ex arca plumbea (in qua ſeculis P. M. quinque pacifice quieverant) peſſimorum quorundam hominum, non in vivorum ſolum, ſed mortuorum etiam debacchantium oſſa, & varie diſperſa projectaque, Decanus & Canonici ejusdem aedis, ut optime de hoc collegio, & provincia univerſa merito patrono gratiam aliquam reponerent, in unum denuo collecta, hactenus in ciſtula lignea diligenter aſſervata, in priſtinum quietis locum quarto Cal. Octobris anno* MDXCII. *D. A. repoſuerunt, teſte me Lamberto van der Burchio aedis ejusdem Decano.*

Fuit

Fuit vero vir eruditiſſimus, de quo & ejus fratre Adriano haec teſtatur Lipſius in not. ad Valer. Maxim. in Praefat. *Lambertus & Adrianus van der Burchii Trajectini, viri clariſſimi, eximium par fratrum, docti ipſi, & in doctos valde proni.* & in Epiſt. Select. Cent. I. Epiſt. XLII. *Lambertus Burchius vir, qui literas & literatos unice amat, ideoque dignus, qui ab iis unice ametur.* a Sweertio Athen. Belg. p. DIX. *vir ſingularis judicii multaeque lectionis*, a Sandero de Clar. Brugenſ. lib. I. p. XIII. *vir prudens & literarum ſtudioſiſſimus* dicitur. Et *virum doctiſſimum* vocat Buchelius ad Hedam p. CXLII. ubi tradit eum omnia archiva B. Mariae perſcrutatum eſſe. Lucas Fruterius albo Lamb. Burchii hoc carmen, quod legitur tom. II. Delic. Poetar. Belg. p. CCCCXXIII. inſcripſit

Scilicet in ſcriptis amor incorruptus amicis
Delitet, atque animi eſt Chirographum ipſa manus.
Tu tamen hoc, Burchi, dici cupis atque videri.
Depugnaſque iſtis rebus ineſſe fidem.
Atqui ego non pugno Tibi, Tu, qui vincere noſti
Fruterios, vinci turpe in amore putas.

Obiit hac in urbe XVII. Aug. MDCXVII. ſepultus in templo D. Mariae ſub ſarcophago, quem ipſe ſibi poni curavit cum hoc Epitaphio:

LAMBERTUS VAN DER BURCHIUS *hujus ſaerae aedis Decanus, Adriani van der Burchii Equitis aurati, Regii per Flandriam Senatus Praeſidis, Conſilii ſtatus Senatoris, & Regii ſigilli cuſtodis, Barbarae Schorae F. mortalitatis memor vivus*

S. S. Q. M. H. P.

Obiit

Obiit anno reparatae ſalutis CIↃ IↃCXVII. XVI. *Cal. Septembris.*

Vixit annos LXXV. *dies octo.*

Scripſit

Sabaudorum Ducum, Principumque Hiſtoriae Gentilitiae libros duos. Leidae MDXCIX. & Antv. MDCIX. 4.

De Vita, variis ſucceſſibus & triſti exitu Guidonis Comitis Flandriae. Traj. MDCXV. 8. quem librum inſcripſit cognato Franciſco van der Burchio Archiepiſcopo Cameracenſi, qui ei gratias agit literis, quae exſtant apud Matth. Epiſt. Syll. CXIV.

Preces rythmicas latinas ad Divam Virginem.

Aedis D. Mariae Virginis in civitate Ultrajectenſi admirandam originem. Traj. MDCXVII. exſtat & apud Matth. Epiſtol. Syll. CLVI. qui libellus duorum tantum foliorum quatuor menſibus ante ejus mortem prodiit. Satis jejune ibi quaedam de origine hujus aedis tradidiſſe teſtatur Buchelius ad Bekam pag. XLIV.

Caſtellae Regum Hiſtoriam ſtirpemque in lucem emittere promiſit Lipſio. vid. tom. I. Syll. Burm. Epiſt. CCCCLXXI. & *Hiſtoriam Comitum Flandriae* tomis IV. diſtinctam, Mechliniae Latemium adſervare tradit Sweert. Athen. Belg. p. DX. & Heuſſ. t. II. Hiſt. Eccl. p. CXL.

Literas duas Joh. Wittii ad noſtrum ſcriptas edidit Matth. Syllog. Epiſt. XXI. & XXII. Literas Lipſii noſtro ſcriptas exhibet Gabbema Epiſt. Clar. viror. pag. CCLXXVI. CCLXXVIII. CCLXXXV. & CCXC. ut & Jani Douſae p. CCCXV. Epiſtola Lipſii ad noſtrum exſtat Centur. III. ad Belgas Epiſt. I. & Epiſtol. ſelect. cent. II. Miſc. Epiſt. VI. Epiſtolam Joannis Meurſii ad noſtrum producit Crenius Animadv. Phil. & Hiſtor. part.

v. pag. xxv. & literas ejus ineditas ad Johannem Meurſium ſeniorem memorat Morhovius I Polyh. xxv. §. IX.

Vide Valer. Andr. Bibl. Belg. pag. DCXI. ubi exhibet carmen, quod Lambertus de parentibus luſit, Graev. Orat. in L. Acad. Traj. nat. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXVII. Sander. Flandr. Illuſtr. tom. II. lib. III. p. CLV. vener. Pat. in not. t. I. Syll. Epiſt. p. CCCCXCVIII. & diligentiſſimum van de Water Utr. Placcaetb. t. I. p. CCLXI.

BURMANNUS (FRANCISCUS) Leida-Batavus, natus anno MDCXXXII. patre Petro & matre Joſina Balde, ex Palatinatu ob religionem, ubi Frankenthaliae Paſtoris & Eccleſiaſtae munus pater geſſerat, ea urbe ab Hiſpanis expugnata, profugis In prima pueritia cum patrem, qui Embricenſis Eccleſiae paſtor poſtea fuit, amiſiſſet, a matre optima traditus eſt curae & diſciplinae celeberrimi Feſti Hommii, cujus ſub ductu ſtudiis in Academia Leidenſi abſolutis, cum XXIII. aetatis annum ageret, Hanovienſi Eccleſiae praefectus eſt anno MDCLII. Deinde Leidenſes anno MDCLXI. eum vocarunt, ut ibi Subregentis nomine Collegium Ordinum gubernaret. Quo munere non intellecto Witte in Diar. Biograph. eum *ſcholae patriae rectorem* fuiſſe perperam tradit. Vix annum Leidae tranſegit, cum Theologiam docendi provincia an. MDCLXII. & Paſtoris munus anno MDCLXIV. Trajecti ei ſint oblata. Ut lectiones publicas in Hiſtoria ſacra faceret, decretum VI. Martii MDCLXXI. Bis Lugdunum vocatus abnuit, aucto ipſius ſtipendio, quod poſtea inminutum. vid. Vener. Pat. in Syll. Epiſt. t. IV. p. CCCXII. CCCXIII. & CCCXXX. *licet ſcholae ejus celebrarentur magno concurſu ſtudioſorum, cum ejus collegarum fere ulubris eſſent infrequentiores,*

tiores, uti ſcribit Graevius Heinſio d. l. cauſſas odii vide ibid. p. CCCCLXXXIX, DCXXV, & DCXXVI. Uxorem habuit Mariam Heidanam, Abrahami Heidani celeberrimi Theologi Leidenſis filiam. Obiit II. Idus Novemb. MDCLXXIX. mortem ejus adnuntiat Heinſio Graevius tom. IV. Syll. Epiſt. Burm. p. DLXXI his verbis: *Heri exſpiravit noſter Burmannus, magnam jacturam fecit Academia, magnam ego; amiſi enim amicum unum omnium, ſi a te diſceſſero, certiſſimum, nec Academia inveniet facile tanto viro dignum ſucceſſorem.* Parentavit ei Celeb. Graevius, de qua oratione Graevius ipſe Heinſio ſcribit Syll. Epiſt. t. IV. p. DCXXVII. *Et valetudo, qua, cum Burmanno parentarem, tum conflictabar, & moeror ingens, qui me tenebat, nihil me ſiverunt pangere, quod amico tanto & tua dignum ſit exſpectatione.* & amplum ei elogium dat Orat. in L. Acad. Traj. nat. Deplorat quoque ejus mortem Heideggerus litera ſcripta Graevio, quae exſtat tom. IV. Syll. Epiſt. Burm. p. DCLX. Ejus ſymbolum fuiſſe *Quid miſeri ſumus?* notat Crenius Anim. Philoſ. & Hiſtor. part. XI. pag. CXLII. Goeſius in *Pilato Judice* male eum habuit, rationes vide apud van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. XX. & in tom. V. Syllog. Burm. p. CCCIII. Cum reverendus Parens in animo habeat ſingulari diſſertatione vitam patris ſui conſcribere, nos plura de eo non addemus. Scripſit lingua Belgica:

Graevii oratio in obitum Francisci Burmanni

Commentarium in Pentateuchum Moyſis, qui primo an. MDCLX. in 8. deinde Traject. MDCLXVIII. 4. prodiit, & Germanice verſus Francof. MDCXCIII. & Caſſellis MDCCV. 4.

In libros Joſuae, Ruth, Judicum. Traj. MDCLXXV. 4. Germanice Francof. MDCXCV. & Caſſellis MDCCV. 4.

In libros Samuelis. Traj. MDCLXXVIII. 4.

In libros Regum, Chronicorum, Ezrae, Nehemiae, Eſther. Amſtel. MDCLXXXIII. 4. Germanice Francof. MDCXCV. & Caſſellis MDCCV. 4. Hos commentarios in libros hiſtoricos veteris Teſtamenti commendat Celeb. van Til Biblioth. Theol. ſelect. pag. XV.

Explicatio octo priorum capitum Geneſeos Belgice Traject. MDCXCVIII. 4. memoratur a Le Long Biblioth. ſacr. t. II. p. DCLVIII. quam tamen numquam vidi.

Lingua Latina conſcripſit *Synopſin Theologiae.* Traject. MDCLXXI. & Amſt. MDCXCIX. II. vol. 4. quam & Genevenſes recuderunt, & in Belgicam linguam hanc Synopſin vertit Theodorus Smoutius Traject. MDCLXXXVIII. II. vol. 4. Laudat hanc Synopſin van Til d. l. pag. LXXXVII.

Cum beatus Avus Carteſii methodum in Philoſophicis ſequeretur, et ipſi cum Coccejo in explicatione decalogi conveniret, perpetuas rixas et controverſias cum collegis Theologis exercuit, et cum *de Moralitate Sabbati hebdomadalis* diſſertationem anno MDCLXV. edidiſſet, Eſſenius ſe ei oppoſuit, et variae diſſertationes Academicae ab utroque habitae et conſcriptae ſunt.

Ejus quoque nomine prodiit *Narratio de controverſiis nuperius in Academia Ultrajectina motis, & depulſio eorum, quae contra objecta fuerunt, in quibus praecipue de natura mentis humanae, & congenitae vitioſitatis in infantibus agitur.* Traject MDCLXXVII. 4. Contra quam Narrationem anno ſequenti prodiit *Prodromus majoris operis, ſive Diſputatio Theologico-Scholaſtica inter animam filii abortivi ejusque parentem Franciſcum Burmannum, deſcripta per doctorem angelicum & in lucem edita per Gerardum de Vries.* Hornae

MDCLXVIII.

mdclxviii. quam tamen ſe inſcio editam teſtatur de Vries, cujus eſt *Narrator confutatus ſive animadverſiones in Narrationem de controverſiis &c.* Traj. mdclxix. 4. Et eodem anno edidit Johannes Regius *Vindicias narratoris confutati, quibus argumenta a Clar. de Vries pro novitate & abſurditate dogmatis de infantibus in utero matrum actu peccantibus &c. confirmantur.* His nihil reſpondit Avus optimus, ſed ejus loco in arenam deſcendit Petrus Allinga, cujus nomine prodiit *Mantiſſa ad duodecim Erotematum decades, examinans cuncta, quae nuperrime Gerardus de Vries diſſeruit ſub titulo Narrator confutatus.* Traj. mdclxxix. 4.

Exercitationes ejus *Academicas* edidit Abrahamus ab Halen Paſtor in pago de Oude Tonge in inſula over Flackee, Roterod. mdclxxxiii. II. vol. 4. quas recenſent Lipſienſes in Act. Erudit. Supplem. tom. I. ſect. ix. p. ccccl.v. & Le Long Bibl. Sacr. p. dclviii.

Ejus *Tractatum de paſſione Chriſti, cui accedit ſermo inauguralis de doctrina Chriſtiana Eccleſiae novi Inſtrumenti per omnia ſecula* edidit Johannes a Lent ejus diſcipulus Herbornae mdcxcv. 4. Cumque Bibliopola Ribbius hunc recudere vellet, rogavit Verſteeg S. S. M. Candidatum, ut curam editionis habere vellet, &, ut juſtae molis eſſet, quaedam de ſuo adderet. Quod cum praeſtitiſſet, & liber nomine Avi prodiret, reverendus Pater coram magiſtratibus conqueſtus, illi Bibliopolae interdixerunt, ne nomine Avi tractatum hunc ederet. In lucem itaque emiſſus eſt nomine dicti Verſteegh Amſt. mdccx. 4. licet fraude Bibliopolae Amſtelodamenſis, cui exemplaria Ribbius vendiderat, quaedam ſub Avi nomine exierint. Erant vero reverendi Avi dictata.

Franciscus Burmanni oratio 3 de causis Belgica Ora- Academicae 4. Trajecti 1674

Orationes Academicae conjunctim prodierunt cum Oratione funebri Graevii Traject. MDCC. 4. Belgice verſae ibid. eodem anno 4.

Vid. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXXVIII.

BURMANNUS (FRANCISCUS) Franciſci filius & Petri Frater. Natus an. MDCLXXI. Trajecti, non Leidae, ut male Le Long Bibl Sacr. t. II. p. DCLVIII. In humanioribus literis celeberrimo Graevio praeceptore uſus, deinde Leidam adivit, ut Clariſſimum Volderum Philoſophiam & Matheſin docentem audiret. In Theologia Hermanno Witſio, et Hermanno Halenio, qui noſtra in Academia eo tempore celeberrimi Theologi erant, Wajeno, Vitringa et Roëllio, et Renſerdio in linguis Orientalibus in Academia Franequerana, deinde Braunio in Academia Groningana, et Salomone van Till, qui eo tempore Gymnaſium Dordracenum ornabat, doctoribus uſus, poſtea Francium praecepta exterioris eloquentiae tradentem audivit. Studiis Academicis abſolutis an. MDCXCV. cura Eccleſiae Coudumenſis in Friſia ipſi committitur, ubi cum per triennium haeſiſſet, anno MDCXCVIII. Brielenſes eum ſibi vindicarunt, et anno MDCCII. Legatis noſtris in Angliam a ſacris fuit, & anno ſequenti Enchuſam vocatus, ibi biennium tranſegit, donec anno MDCCV. ab Amſtelodamenſibus expetitus, eo lares tranſtulit. Quibus cum per decem annos adfuiſſet, tandem anno MDCCXV. Theologiam docendi in noſtra Academia provincia ipſi demandata eſt. Quam ſpartam egregie ornavit ad an. MDCCXIX. quo obiit anno aetatis XLVIII. relictis ex Eliſabetha Thierens quatuor filiis inpuberibus, quorum natu maximus *Johannes* hodie Amſtelodami Botanices Profeſſor Medicinam exercet, ſecundus

Fran-

Franciſcus Neomagi verbi divini miniſtrum agit, tertius *Abrahamus* Amſtelodami mercaturam facit, & quartus *Petrus* humaniores literas in Academia Franequerana profitetur

Memoriae fratris optimi venerandus Pater nummo argenteo inſculpi curavit hoc diſtichon:

Doctrinis aequandus avo, pietate parenti,
Nec meritis, aevi ſed brevitate, minor.

Quod *elegans* vocant Editores Bibliothecae Bremenſis Claſſ. III. Faſcic. II. p. CCCLXXVIII. Elegantiſſima oratione ei parentavit Cl. Drakenborchius.

Scripta ejus ſunt:

Burmannorum pietas gratiſſimae beati parentis memoriae communi nomine exhibita, adjiciuntur mutuae Philippi Limburgi & Franciſci Burmanni Epiſtolae. Traj. MDCCI. 8. contra Philippum Limburgium. Hic Amſtelodami Profeſſor Arminianorum in *Theologia* ejus *Chriſtiana* edita anno MDCLXXXVI. patrem Franciſcum Spinoſiſmi incuſaverat. Quam injuriam Johannes van der Wayen in Praefatione *Rittangelii librae veritatis* praemiſſa vindicavit, cui Limburgius oppoſuit *Defenſionem;* contra quam patruus meus edidit hunc librum.

Der Spinoſiſten hoogſte goet, vergeleeken met den hemel op aerde van den Heer Frederik Leenhof. Enkhuyſ. MDCCIV. 8.

Vriendelyke uytnoodinge door twee brieven aan den Heer Fredericus van Leenhof gedaan, om zig te zuyveren van zyne Spinoſiſterye, of, om daar van overtuigt, van dezelve opregtelyk af te ſtaan, en van hem met

met een brief beantwoord, en van de hand geweeſen. Belgice & Latine ibid. MDCCV. 8.

De Harmonie ofte overeenſtemminge der vier H. Evangeliſten Amſterd. MDCCXIII. 4.

Theologus, ſive de iis, quae ad verum & conſummatum Theologum requiruntur, Oratio inauguralis. Traject. MDCCXV. 4.

Oratio de perſecutione Diocletiani, ejuſque exitu glorioſiſſimo. Traj. MDCCXIX. 4.

Variae diſſertationes Academicae de *Poeſi ſacra.* 4.

Memoria ejus exſtat in Claſſ. III. Bibl. Bremenſ. Faſcicul. IV. pag. DCCLXIII. & ſeqq. cujus editores in Faſcicul. II. p. CCCLXXX. ut & Nov. Literar. Lipſ. an. DCCXX. p. CCCXI. ſuſpicantur auctorem libri, cujus hic titulus: *de Leere en eere van myn Heer Willem Deurhoff verdeedigt tegen alle ſoorten van Dominees, Predikanten, Vermaaners, Krankbeſoekers* &c. qui Bremenſes etiam ediderunt quaedam ejus dictata in ſcholis domeſticis *in Pſalmos*, quae ſunt deformatiora, ut talia eſſe ſolent.

BUSIUS (PAULUS) licet hic, quantum ſcio, nullos ingenii ſui foetus reliquerit, nam libri, quos ei adſcribit Freher. Theatr. Vir. Illuſt. part. II. ſect. IV. p. DCCCCXXXII. a *Paulo Buſio* Swollano, qui Franequerae juris Profeſſor fuit, compoſiti & editi fuerunt; cum tamen fuerit vir eruditus, & doctorum Maecenas egregius, varioſque, imo ſupremos, in Republica noſtra honores geſſerit, ejuſque mentio paſſim in Annalibus patriis occurrat, minime memoriam ejus praetermittendam exiſtimavi. Natus eſt Amersfortiae an. MDXXXI. Juvenis in Academiam Dolanam, quam multi ex Belgio eo tempore frequentabant, miſſus, amicitiam ibi con-

Pauli Busii commentar. in Pandectas, Daventriae 1656. in 4.

contraxit cum Domino in Toulouſe Alegondii fratre natu maximo, Domino in Mathenes, & Reinero Cant, qui poſtea Amſtelodami Conſulatum geſſit. Studiis ex voto abſolutis, lauream juridicam in Academia Andegavenſi meruit anno MDLVI. & cum Hagae cauſarum patronum ageret, Leidenſes eum, ut ſindici partes ſuſtineret, ſibi vindicarunt. Quo munere fungens anno MDLXIX. clam Germaniam petiit, ibique Wilhelmum Principem Arauſionenſem de ſtatu Belgii certiorem fecit, uti narrat Hooft lib. V. Hiſtor. p. CCIX. & Anonym. vita Wilhelmi I. Princip. Arauſion. tom. II. pag. CLIII. Et paulo poſt una cum Dominis in Kennenburch, Poelgeeſt & Mathenes, nomine Hollandiae in collegio Ordinum generalium Bruxellae delegatus eſt. Deinde anno MDLXXII Senator & Advocatus ſive Sindicus Hollandiae, Cuſtos magni ſigilli & Principi Guielmo Auriaco a conſiliis, & legationem nomine Principis & Ordinum pro pacificatione Bredana, vid. Hooft Hiſtor. lib. X. p. CCCCXI. & anno MDLXXVI. in Angliam, Hooft ibid. p. CCCCXLV. & eodem anno pro pacificatione Gandavenſi, Hooft ibid. p. CCCCLXII. & anno MDLXXXV. in Angliam cum Jano Douſa, qui elegantiſſimam in eum Elegiam, quae lib. I. Eleg. III. legitur, cecinit, ſuſcepit. Hooft lib. XXIII. p. MXXV. Academiae Leidenſis recens natae Curator fuit, quem honorem ei gratulatur Lipſius Epiſtol. ſelect. cent. I. Miſcell. LXXXIX. anno MDLXXVI Comarchus Rhenolandiae creatus, & Comite Leiceſtrio in Hollandiam adpulſo, in Conſilium Ordinum noviter erectum adſcitus eſt. Quibus omnibus muneribus graviſſimis naſcentis Reipublicae temporibus fideliter perfunctus fuit. Anno vero MDLXXXIV. quo Ordines decreverant ſum-

H mam

mam Reipublicae Regi Galliae tradere, eo invito & reluctante, ut ſe munere Senatoris & Advocati Hollandiae abdicare liceret, petiit & impetravit. vid. Hooft lib. XXI. p. DCCCCLIII. Licet vero Belgis noſtris ſuaſiſſet magis e Republica eſſe ſe Reginae Angliae Eliſabethae ſubjicere, quam Gallis, & a Comite Leiceſtrio in collegium Ordinum cooptatus eſſet, artibus tamen Leiceſtrii Comitis, in ruinam libertatis tendentibus, ſe oppoſuit, ideoque ejus juſſu hic Trajecti in carcerem detruſus eſt; in quo per ſex menſes contra omnia jura detentus, tandem Leiceſtrio in Angliam reverſo, juſſu Ordinum generalium, invitis & reluctantibus Leiceſtrii adſeclis, liberatus fuit, uti narrant Borrius lib. XXI. & XXII. Hiſtor. Hooft lib. XXIV. p. MLXXI. MLXXIII. & ſeqq. & lib. XXV. p. MCXXXIII. Saepius a Rege Daniae aliisque Principibus, ut ipſis a conſiliis eſſet, lautiſſimis conditionibus invitatus, abnuit, Rempublicam difficillimis illis temporibus deſerere nolens. Tandem in ſenium vergens, emit proedium Equeſtre Ter Vliet in dioeceſi noſtra, ibique obiit anno MDXCIV. aetatis LXIII.

Vid. Melch. Adam. vit. Germ. Juriſconſ. p. CXLVI. Bor. lib. XXXI. Hiſtor. vener. Pat. Syllog. Epiſt. t. I. p. CXXIV. & CXXV. in not. Verhoeven apud Matth. rer. Amerſf. ſcript. p. LI. qui pag. LIII. eum anno MDLXXXV. Trajectum evocatum, & *Curiae Provincialis conſiliarium* deſignatum eſſe ſcribit, quod falſum, quum numquam inter Senatores Curiae provincialis Trajectinae ſed inter Senatores Conſilii ſtatuum adlectus fuerit.

C.

C.

CANTERUS (GULIELMUS) Lamberti (cujus vitam ipſe deſcripſit Lib. II. Novar. Lect. cap. XXVI. qui Groningae natus, a Carolo quinto inter Senatores Trajectinos adſcriptus, obiit an. MDLIII. de quo vid. ſuffr. Petr. de Script. Friſ. Decad. IX. n. I. & App. ad Bek. in Henrico Bavaro. & Melch. Adam vit. Philoſ. p. XC. & Freher. Theatr. vir. Ill. part. II. ſect. IV. p. DCCCXXIX.) filius, & Theodori frater natu major. vid. Merula ad Enn. p. DI. nobilitate & doctrina inluſtris, natus eſt Trajecti die XXIV. Julii an. MDXLII. Patrem puer amiſit, ut ipſe teſtatur in Elegia ad Cornelium Valerium & Johannem Auratum

Vix mihi tum puero fuerant duo luſtra peracta,
Cum pater ante annos optimus eripitur.

Traditus fuit diſciplinae Georgii Macropedii, ex cujus praeceptis cum ſolida utriuſque linguae fundamenta hauſiſſet, anno XII. aetatis Lovanium mittitur, ubi Cornelio Valerio Latinae linguae Profeſſori per quatuor annos adhaeſit. Et cum majorem linguae Graecae cognitionem ſibi comparare exoptaret, auctore Valerio, anno XVI aetatis Pariſios petiit, ubi Johannem Auratum Regium Graecarum literarum Profeſſorem audivit, hoſpitio ejus uſus. Verum cum maximi motus in Gallia orirentur, ille optimum praeceptorem deſerere coactus eſt, & cum per duos annos ipſi adfuiſſet, Italiam, Germaniamque peragravit, & celebriores Bibliothecas perluſtravit, amicitiamque cum variis viris eruditis contraxit. Exſtat ejus Elegia elegantiſſima,

ad Cornelium Valerium & Johannem Auratum praeceptores, qua gratiſſima mente agnoſcit eorum bene merita, edita poſt librum Novarum Lectionum & tom. I. Delic. Poëtar. Belg. p. DCCCCXXXII. In patriam redux Lovanii lares fixit, ut ibi privatam vitam ageret, & omne vitae tempus ſtudiis inpenderet. Ab omni enim ambitione alienus, licet juris utriuſque eſſet peritiſſimus, gradus tamen ac titulos averſatus eſt, ut ita a muneribus & honoribus inmunis viveret: & male Quenſtedius de Patriis Illuſtr. viror. pag. CXXIV. eum *juriſconſultum* vocat, cum numquam Doctoris titulum habuerit. Solum itaque literis & ſibi vixit, & ſtudia ſua ita diſpenſabat, ut certis horis certa penſa abſolveret, horas antemeridianas lectioni, pomeridianas ſcriptioni adplicans, adeo exacte, ut ſingulas ad clepſydram revocaret, ac lectionibus ſingulis ſcriptionibuſque adtribueret, uti teſtatur Lipſius cent. I. Miſcel. I. & Buchner. de vitiorum inter eruditos occurrentium ſcriptoribus cap. I. p. XV. Omnem vitam caſte egit, nullius umquam foeminae conſuetudine uſus; conviviis etiam & commeſſationibus abhorruiſſe, & nullos niſi eruditos ad colloquium admiſiſſe, dicitur. Obiit vero in flore aetatis, anno aetatis XXXIII nondum inpleto an. MDLXXV. Bibliothecae ſuae, quam inſtructiſſimam habebat, aliorumque bonorum haerede relicto fratre Theodoro: vid. Beyerlink. Op. Chronogr. ad an. MDLXXII. Horariam illam & melancholicam ſtudiorum rationem Canterum perdidiſſe conjicit Lipſius tom. I. Syll. Burm. Ep. V. ubi videnda quae notat venerandus Pater, ut & ibid. Epiſt. DLXVII. Longa tabe ſeum exſtinctum adfirmat Sweertius in Athen. Belg. Thuanus vero lib. LXI. Hiſt. p. CLI. edit. in 4. illum ex rerum Belgicarum infauſto au-

augurio moerorem concepiſſe, & mortem inmaturam contraxiſſe tradit, ubi eum male nondum XXXIV aetatis annum expleviſſe addit, cum ut modo diximus, ante XXXIV aetatis annum defunctus fuerit; qui porro de eo teſtatur, quod *propria induſtria tantum profecerit, ut editis quam plurimis ſcriptis inter eruditiſſimos ſui ſeculi numerari meruerit.* Sepultus eſt Lovanii in templo D. Jacobi ad auſtralem partem, & frater Theodorus ipſi hunc tumulum poſuit:

NOBILI VARIAQUE ERUDITIONE UTRIUSQUE LINGUAE MONUMENTIS CLARO VIRO
GUILIELMO CANTERO
ULTRAIECTINO.
QUI XXXIII. ANN. NATUS MINUS LXVI. DIEBUS OBIIT XV. KAL. IUNII MDLXXV.
FRATRI SUO CARISS.
THEODORUS CANTERUS POSUIT.

Vid. Sweert. Delic. Orb. Chriſt. p. CCCCLXXVIII. & Grand Theatr. Sacr. de Brabant t. 1. p. CV. & Cornelius Valerius mortem diſcipuli luxit hoc carmine:

Mortuus ante diem longo digniſſimus aevo
Guielmus heu! Canterus heu meus occidit.
Quo mihi diſcipulo juvenis non carior alter,
Quo jam viro conjunctior nemo fuit.
Huic ſtudium a puero conjungere Graeca Latinis,
Sermone linguam excolere, pectus artibus.
Exarare ſtylum, doctorum volvere ſcripta,
Notare & obſervare paſſim plurima.

Ardua dehinc adiit myſteria fontis Hebraei,
Lingua expolitus omnium ſanctiſſima.
Heu mihi quantus erat graviore aetate futurus
Qui luſtra ſex, annoſque tres modo vixerit.
Occidit ille quidem ante diem, ſed docta manebunt
Monumenta, multis comparata laboribus.

Et Janus Gruterus tom. II. Delic. Poëtar. Belg. p. DCCXLII.

Arduo tibi parentent coeteri poëmate,
Aream ac laudum tuarum ſtrenue perambulent,
Cumque multa, cumque magna ore eloquente dixerint,
Plura adhuc tamen relinquant praedicanda poſteris.
Ipſe hoc diſtichon pro longis conſecro praeconiis:
Occubas Cantere, vere aetatis, ac magis ſenex
Eruditione nemo obiit, aut virtutibus.

Inſigne ejus elogium eſt apud Ludovic. Carrion. lib. I. Antiq. Lection. cap. XVIII. *Guielmus Canterus utriuſque linguae in paucis peritus, cujus nuper viri conſuetudo mihi fuit perjucunda, nunc praecipiti ſuperiore vere longa tabe conſumpti, & non ſine magno noſtro dolore, atque horum ſtudiorum incommodo, e vivi ſublati gratiſſima eſt memoria.* & Schol. in Valer. Flacc. lib. I. vſ. DCCXXX. *hominem Graece & Latine inſigniter doctum* vocat. Aegidius Periander tom. III. Delic. Poet. Belg. p. DCCC. de eo ita cecinit:

Eſt juvenis, ſed digna viro dedit alma juventus,
Si major, excultos exſuperabit avos.

Lipſius

Lipſius IV. Quaeſt. Epiſtol. XXV. ſcribit Theodoro Cantero: *Fratris tui Guielmi praecipiti morte jacturam & nos fecimus & Muſae, nos amici, illae adjutoris & quidem magni, ſi vita longior contigiſſet.* a Merula ad Ennium p. CCCLXXVII. & DI. dicitur *vir doctiſſimus & magnus*; de eo teſtatur Junius in Batavia cap. XVI. p. CCXXXVII. *Quid cive Trajectino Guielmo Cantero doctius? quid diligentius? quid foecundius? cui recte a puero inſtituto in re domeſtica lauta (quae felicitatis partem auxit) genius proſper Gallici nominis doctorum omnium conſuetudine frui, eorumque penetralia perreptare, ac cognoſcere muſaea dedit. Qua occaſione uſus adoleſcens, multiplici theſauro ſuum inſtruere penum potuit &c. a quo nil niſi praeclarum & abſolutum expectandum erit, ſi juſtos annorum curſus Parcae juveni permiſerint.* a Barthio lib. LI. Adverſ. XVI. dicitur *vir optime literatus & judicii praeſtans.* & Morhovius IV. Polyh. XI. §. IV. *Criticum ſagaciſſimum* vocat. Injurioſiſſime tanquam plagiarium traducit Rob. Titius lib. IV. Locor. Controv. cap. VI. jure merito ipſe traductus ab Yvone Villiomaro ſive Scaligero Animadv. in Titium p. LXXV. & CLXVII. de Cantero queritur Lambinus ad Lucretium VI. MCLXII. nam eum indicari patet ex Canter. Nov. Lect. VI. VIII. reprehendit quoque eum Joſeph. Caſtalio Dec. II. Obſerv. cap. I. his verbis: *In emendandis veterum auctorum ſcriptis eam videntur rationem ſequi nonnulli eruditi, ut ingenioſi in ea re appareant, quo fit, ut ubi minime oporteat, emendatio adhibeatur, & libri plerumque depraventur, animadverti Guielmum Canterum hoc in primis vitio laborare &c.* Carmen Jani Douſae ad Canterum exſtat lib. I. Carm. var. I.

Scri-

Scripſit varia, quae utriuſque linguae & artis criticae peritiſſimum fuiſſe luculenter probant.

Admodum adoleſcens ex Italicis Latio reddidit *Orationes funebres in obitus aliquot animalium*, quae poſtea editae Leidae cum poematibus Jani Douſae junioris an. MDXC. 8. quas Orationes Claudius Pontoſius Gallice vertit, uti notat Ludov. Jacobus de Scriptor. Cabilon. p. XXV.

Edidit *Novarum Lectionum libros quatuor, in quibus variorum auctorum explicationes, emendationes & fragmenta reperiuntur.* Baſileae MDLXIV. quibus deinde tres adhuc libros addidit Baſil. MDLXVI. 8. quas poſtea iterum recognovit, & uno libro auxit Antwerp. apud Plantin. MDLXXI. 8. & exſtant in Lampade Critica Gruteri. de quibus videndus Joſ. Caſtalio Dec. II. Obſ. cap. I. de his autem non admodum prolixe judicaſſe Joſephum Scaligerum exinde colligi poteſt, quod in fronte libri ſui adſcripſerat hoc Martialis epigramma:

Sunt bona, ſunt quaedam mediocria, ſunt mala multa
Quae legis hic, aliter non fit, Avite, liber,

Et probant hoc cenſurae Scaligeri marginibus exemplaris ſui adſcriptae, ubi paſſim haec occurrunt: *Ego totum hoc docui: haec de me habet*, & ſimilia. Quod exemplar poſſidet vir celeberrimus, mihique amiciſſimus Car. Andr. Dukerus. & plagii eum accuſat Voſſius part. II. Comment. Rhetor. lib. IV. cap. VI. ſect. V. n. X. quod ea, quae lib. VI. Nov. Lect. CXXV. de χύτρα pro oſculi genere Polluci memorata adnotavit, a Scaligero, etſi diſſimulet, edoctus ſit, notante Crenio Diſſert.

Diſſert. II. de Furib. librar. §. XIX. notatur quoque a celeb. Fabricio t. I. Bibl. Graec. lib. I. c. XXXIII. §. VI. quod libro V Nov. Lect. XVII. dixerit Homerum multa Sibillinorum loca imitatum fuiſſe.

Syntagma de ratione emendandi Graecos auctores, in quo, teſtante Suffrid. Petr. de Script. Friſ Dec. XII. VIII. p. CCXXXII. *infinita menda ex diverſis auctoribus tollit, tum abunde etiam declarat, quam non oſcitanter in evolvendis auctorum ſcriptis verſatus fuerit.* Quod Syntagma deinde in tertia editione novarum Lectionum auctius prodiit. Perperam Köningium in Bibliotheca veter. & nova hujus Syntagmatis fratrem Theodorum auctorem facere, recte notat Kleſekerus in Bibliotheca Eruditorum praecocium p. LVI.

Adnotationes in Lycophronis Caſſandram, quam & Latine ad verbum tranſtulit, adjectis adnotationibus, quibus loca difficiliora partim e ſcholiis Graecis, partim ex aliis ſcriptoribus explicantur. Adjecit & *Epitomen Caſſandrae* Graeco-Latinam, nec non ipſius *Caſſandrae* verſionem alteram carmine expreſſam per *Joſephum Scaligerum* Baſil. MDLXVI. 4. & apud Commel. MDXCVI. 8. & cum ejus verſione in corpore Poëtarum Genev. MDCXIV. fol. & integrae ejus notae exſtant in editione Potteri MDCXCVII. & MDCCII. ubi tamen omiſſam eſſe Dedicationem Graece ſcriptam, a Cantero praemiſſam, notat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XII. pag. LXXVII.

Fragmenta quaedam Ethica Pythagoreorum quorumdam ex Stobaeo deſumpta latinitate donavit Baſil. MDLXVI. 4. cum Ethicis Ariſtotelis Graeco latinis. His deeſſe principium, quod e Farneſiano codice deſcriptum auctius ſe habere, Schottus Grotio ſcribit in Claror. Vir.

I Epiſt.

Epiſt. XI a Joanne Brandt edit. Exſtare in Ariſtotelis Ethicis ad Nicomachum a Lambino illuſtratis Baſil. MDLXXXI. fol. teſtatur Fabric. t. II. Bibl. Graec. lib. III. c. x. §. XIII.

Ariſtidis Orationes Latine reddidit Baſil. MDLXVI. tom. III. quo opere magnam famam apud eruditos conſecutus eſt Canterus, & operam huic labori inpenſam pari fide & elegantia factam, laudat Caſaubon. ad Sueton. Aug. cap. LXXXIX. & Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XI. pag. CCXXV. Verſionem hanc *eruditam & praeclaram* pronuntiat Fabric. tom. IV. Bibl. Graec. lib. IV. cap. XXX. §. VII. qui tamen ibidem notat, in Praefatione Ariſtidis Canterum pleraque ex veteris ſcriptoris argumento, quod Aldus jam ediderat, licet non nominato, hauſiſſe. vid. Crenius part. II. Animadv. Phil. & Hiſt. p. CCXXV.

His tribus tomis acceſſit quartus, continens *Georgiae orationem in Helenam & orationem Palamedis: Thucidydis funebrem in Periclem: Lesbonactis hortationem: Andocidis de Pace: Herodis Attici de Republica: Antiſthenis Ajacis & Ulyſſis: Lyſiae contra Eratoſthenam: Dinarchi contra Demoſthenem, & Alcidamantis orationem Ulyſſis contra Palamedem*, cum *Syntagmate de ratione emendandi Graecos.* repetita eſt editio an. MDCIII. juxta Valer. Andr. MDCIV. ſecundum Morhov. VI. Polyh. II. XVI. MDCVIII. ex officina Pauli Stephani juxta Fabric. d. l. cui *Gnomologia*, ſive ſententiae inſigniores ex Ariſtide collectae praemittuntur. In qua editione deſiderari ὑποθέσεις Graecas veteris ſcriptoris, Canteri notas marginales, & Syntagma de ratione emendandi Graecos, notat Fabricius. Hujus Ariſtidis exemplar editionis Juntae, cujus margini plures emendationes adſcripſit Canterus, poſſidet venеran-

randus Pater, & illud in Angliam Samueli Jebb miſerat, qui Oxonii an. MDCCXXXIII. edidit Ariſtidem, & ne verbo quidem hanc Patris humanitatem praedicat, aut hoc exemplari ſe uſum indicat, licet paſſim conjecturas proponat a Cantero in his curis ſecundis occupatas. vid. Miſcell. Obſervat. vol. V. tom. II. pag. CCXXVIII.

Pepli Fragmentum, ſive *Heroum Homericorum Epitaphia* primus auctori ſuo *Ariſtoteli* reſtituit, Latine vertit, & animadverſionibus inluſtravit, additis *Auſonii Epitaphiis Heroum* Baſil. MDLXVI. 4. & Antverp. MDLXXI. 8. quam Canteri verſionem Stephanum & varios Ariſtotelis editores ſecutos docet Fabric. tom. II. Biblioth. Graec. lib. III. c. VI. §. XXXV.

Syneſii orationes aliquot de dono ad Paconium, conciones & conſtitutiones duas, & Hymnos aliquot. Baſil. MDLXVII. 8.

Notas & emendationes in Ciceronis Epiſtolas ad familiares. Antverp. MDLXVIII. 8. & non MDCLXVIII. ut male Lipenius Biblioth. Philoſ. p. CCCCLXIV. quae editio repetita eſt anno MDLXXII. additis novis locorum aliquot in Epiſtolis ad Atticum explicationibus & emendationibus.

Notas ejus *in Ciceronem de officiis* edidit Cornelius Valerius an. MDLXXVI. 8.

Scholia brevia in Propertium Antwerp. MDLXIX. 8.

Progenies illuſtrium virorum ex commentariis Graecorum in tabulas congeſiſſe tradit Labbaeus in Biblioth. Bibliothecarum p. LXX. prodiit hic liber Antv. MDLXXI. 8.

Ejus opera quoque prodiit *Eurypides.* Antverp. MDLXXI. 12. cum brevibus ipſius notis, carminumque

ratione explicata & appendice ſententiarum Euripidis a Stobaeo laudatarum, quas Latine reddidit. vid. Fabric. t. I. Bibl. Graec. lib. II. cap. XVIII. §. IV. ubi & alteram editionem Heidelb. MDXCVII. & Genev. MDCII. memorat.

Johannis Stobaei Eclogarum libros duos in Latinum vertit, quibus acceſſerunt *G. Gemiſthi Plethonis de rebus Peloponneſiacis Orationes duae*, ut & ejusdem *Plethonis de virtutibus liber*, quem tamen in linguam Latinam non vertit. Antverp. apud Plantin. MDLXXV. fol.

Conſcripſit quoque *Libellum variarum in Graecis Bibliis lectionum*, editum cum Bibliis regiis Antv. apud Plantin. vid. Morhov. v. Polyh. I. §. VIII. & le Long. Biblioth. Sacr. cap. I. p. XIII.

Confecit quoque ſeparatim *Tabellas duas*, alteram in *Ciceronis libros de Officiis*, primo ſeparatim a Sylvio excuſam uno ſemifolio, deinde tum ab eodem una cum ipſo Cicerone, tum ab Operino una cum ipſo Cicerone & Suffridi Petri in eumdem caſtigationibus: alteram in *Cornelii Valerii Phyſicam*, a Plantino eadem forma editam.

Poſt ejus mortem prodiit *Sophocles* Antv. MDLXXIX. 12. Leidae MDXCIII. & cum verſione Latina Viti Winſemii Heidelbergae MDXCVII. 8. ubi in titulo haec verba exſtant: *Carminum ratio ex Guil. Cantero diligenter obſervata, additis ejus in totum Sophoclem notis*, atqui in ipſo libro nihil notarum adparere mihi indicavit amiciſſimus Drakenborchius.

Aeſchylus Antverp. MDLXXX. 8. de qua editione videndus Morhov. VII. Polyh. II. §. V. Canteri notae recuſae ſunt in editione Londinenſi Stanleji an. MDCLXIII.

De ſumma ejus fide in verſionibus Graecorum au-

ctorum adhibita videri poſſunt Huetius de Clar. Interpret. p. CCLXXXIV. & Baillet Jugem. des ſcavans t. III. p. CCCCXXXII. edit. prior.

In Vineti editione *Auſonii*, ut & in Joſephi Scaligeri exſtare notas Canteri noſtri, teſtantur Fabric. Biblioth. Med. et Inf. Latinit. lib. I. p. CCCCXXII. & CCCCXXIII. & Crenius Animadverſ. Philol. & Hiſt. part. XI. pag. XCVIII. ubi Canterum vocat *virum multis eruditis monumentis in publico clarum*. In quibus tamen *Auſonii* editionibus nihil Canteri exſtare puto, niſi quod ex libris ejus Novarum Lectionum excerptum ſit.

Poëtam non infelicem fuiſſe probant varia ejus carmina, quae exhibentur tom. I. Delic. Poët. Belgic. p. DCCCCXXXII. & ſeqq.

Ejus *Hexaſticon ad Coelium Curionem de Bello Melitenſi* ei libro praemittitur.

Una Canteri epiſtola exſtat apud Muretum lib. I. Epiſt. XLII.

Notae ejus MSS. in *Plutarchum* exſtant in Bibliotheca noſtra publica. vid. Catal. p. LXXXVIII.

Heliodorum a Cantero innumeris locis emendatum inter libros ab Operino excuſos memorari, quanquam hanc editionem numquam viderit, teſtatur celeb. Fabricius t. VI. Biblioth. Graec. lib. V. cap. VI. p. DCCLXXXVI.

Novam *Servii* editionem pollicitus eſt Canterus lib. VI. Nov. Lect. c. V. vide & Giſanium apud Gabbem. Epiſt. p. DCXLVII.

Harpocrationem quoque edere voluiſſe, & *Aeſchyli* interpretationem molitum, notat Almelov. Biblioth. promiſſ. & lat. p. VIII. & LXVII.

Ad vertendas Chryſoſtomi Epiſtolas Canterum adhortatur Lindanus in Epiſt. a Gabbema edit. p. DCXL.

In animo quoque habuiſſe edere *Commentarios linguae Graecae*, ut & vertere quaedam opera *Chryſoſtomi*, & tranſtuliſſe *Ariſtidis Rhetoricae artis libros duos*, quatuorque poëmatum libros propemodum abſolviſſe, & *notas in Bibliothecam Geſneri* per *Simlerum* contractam, tradit Suffridus Petri, qui & addit notas has in Simlerum Canterum ſibi reliquiſſe, & offert eas communicandas cum iis, qui Bibliothecae adornandae dignam operam navare cupiunt, quod ignoraſſe videtur Baillet Jugem. des Scavans t. II. p. XVIII. qui dolet has notas ſe numquam vidiſſe.

Elogia hujus viri doctiſſimi, & ad ſtuporem usque in tam brevi vitae ſpatio eruditiſſimi, conſcripſerunt Miraeus Elog. Belg. cl. VIII. p. CXXVII. & de Script. ſecul. XVI. cap. CII. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCIX. Sweert. Athen. Belg. p. CCCI. Blount Cenſur. celebr. auctor. p. DCCXLVIII. Quenſtedius de Patriis illuſtr. viror. p. CCXIV. Graevius Orat. in L. Acad. Traj. natal. Fabric. t. III. Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. CCCCLX. & H. v. R. ad Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXLI. & vitam ejus ſatis fuſe deſcripſit Suffridus Petr. de Script. Friſ. Dec. XII. VIII. vid. et Freher. Theatr. vir. Illuſt. p. IV. p. MCCCCLXX. & M. Adam Vit. Philoſoph. p. CXXVI. et ſeqq.

CANTERUS (THEODORUS) Guielmi frater, Trajecti natus an. MDCXLV. Poſitis in urbe patria utriusque linguae fundamentis, augendae eruditionis cauſa Gallias adiit, et Lutetiae aliquamdiu Dionyſium Lambinum, Ariſtotelis Ethicorum libros interpretantem, ſe audiviſſe, ipſe teſtatur Lib. I. Var. Lect. cap. II. ubi cum viris doctis familiaritatem contraxit. In patriam redux inter Judices urbanos adſcriptus eſt an. MDLXXV. MDLXXVI. MDLXXVII. MDXC. & MDXCIII. inter civitatis recto-

ctores adſcitus an. MDXCIV. cum jam anno MDLXXXVIII. ut Conſul ſuffectus eſſet in locum Gerardi Prouning a Deventer, qui tot turbas hac in urbe movit, et injuſte contra leges Conſulatum geſſit, ut refert Borrius lib. XXV. Hiſtor. quem honorem quoque ann. MDLXXXIX. MDXCI. MDXCII & MDCX. obtinuit, quo anno Papae adſeclis et Auſtriacis nimis favens, depoſitus et exulare juſſus, Antverpiam ſeceſſit; ubi ſaepiſſime illum Graecae lectioni deditum ſe inveniſſe teſtatur Sweertius Athen. Belg. p. DCLXXXIX. Caſaubonum, cujus primae admiſſionis amicus dicitur ab Almelov. vit. Caſaub. p. VII. rogaſſe, ut Regem Franciae adpellaret, et ab eo peteret, ut gratia ſua apud Ordines eum ſublevaret, patet ex Epiſtolis Caſauboni DCCLV. DCCLXXVIII. et MXCVII.

Deinde Leovardiam in Friſia ſe contulit, ubi obiit anno MDCXVII. relictis duobus filiis *Lamberto* et *Johanne*, qui ſub Caſaubono literis operam dederunt, uti ex Epiſt. Caſaub. X. XIX. XXV. et aliis conſtat, et filia *Catharina*, nupta Johanni de Cock van Delwynen, Wilhelmi et Cunerae van Eck filio, ex quo matrimonio liberi nati ſunt.

Sepultus eſt non Hattemi, uti ſcribit Valer. Andr. ſed apud Vollenhoven oppidum Tranſiſulaniae, ubi poſtea viduae cadaver quoque translatum, et hoc Epitaphium poſitum:

THEODORO CANTERO Ultrajectino, olim in patria ſua omnibus honoribus perfuncto, poſtea in ultima ſenectute exuli, bonisque omnibus exuto, (talis rerum humanarum orbis) Leovardiae in Friſia poſt inchoatum annum aetatis LXXII *mortuo & hic ſepulto, Mon. hoc marito & patri uxor & liberi moerentes P. P.*

Men-

Menſe Octobri MDCXXIV. *Ultrajecti obiit Catharina de Swart, vidua Theodori Canteri, & delatum eſt cadaver in ſepulcrum mariti.*

Hunc Canterum *virum optimum, doctiſſimumque* vocat Schottus in Epiſt. ad Dav. Hoeſchelium, quam exhibet Heuman Poecile tom. 1. lib. IV. p. DLXV. *Graece Latineque impenſe doctum* pronuntiat Rodenb. in Dedicat. de Jur. Conjug. *vir eruditiſſimus, & judicii omnino exacti, diligentiaeque accuratae* dicitur in Praefatione ante Arnobium editionis Leidenſis an. MDCLI. 4. cujus Praefationis auctorem Thyſium ſuſpicatur Crenius t. IX. Animadv. Phil. et Hiſt. p. CXXXI. et *diligentiſſimus* a Stewechio ad Arnob. lib. VI. p. CXXXVI. qui Electa in libr. III. Arnobii Theodoro noſtro inſcripſit.

Foribus Bibliothecae inſcripſerat Imperatoris Juliani verba:

Ἄλλοι μὲν ἵππων ἄλλοι δὲ ὄρνεων
Ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι ἐμοὶ δὲ βιβλίων
Κτήσεως ἐκ παιδαρίȣ δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.

Alii quidem equos alunt, aut aves, aut canes ad venandum; mihi vero a puero iſtud deſiderium inſedit, ut multos adquirerem & poſſiderem libros, referente Matthaeo Dedicat. tom. II. Analect.

Edidit *Variarum Lectionum libros duos ad Georgium Ratallerum*. Antverp. MDLXXIV. quos anno vigeſimo aetatis ſe ſcripſiſſe ipſe teſtatur lib. I. cap. XVII. notante Crenio de Erudit. compar. p. XXXVIII. laudantur et in Scaligerianis p. LXIII.

Notas in *Arnobii Disputationes adverſus gentes*. Ibid.

MDLXXXII. 8. et ſecundam editionem Arnobii in lucem dare ei in animo fuiſſe ipſe ſcribit Lipſio in Syll. Burman. t. I. Ep. DLXVII. verum uberiores ejus commentarios, quos in notis ad librum VI. promittit, numquam lucem vidiſſe teſtatur Fabricius de Script. verit. relig. Chriſt. c. V. p. CCXXV. & tom. III. Bibl. Latin. lib. IV. cap. III. In editione Arnobii, quae Leidae MDCLI. in 4. prodiit, ejus notae reperiuntur. vid. Labbaeus de Script. Eccleſ. t. I. p. CV.

Collegerat *Fragmenta veterum Poëtarum Tragicorum, Comicorum & aliorum Graecorum*, quae jam Typographo tradita erant, ſed quid de iis factum ſe ignorare profitetur Valerius Andreas. Haec vero Canterus commiſerat Andreae Schotto, qui edenda tradiderat Petro de la Roviere Typographo, quo mortuo Schottus rogavit Grotium, *ut ab heredibus Roverii extorqueret, ne perirent hae Canteri vigiliae*, in epiſtola quam edidit Brantius p. XXXIII. & Heuman. Poecil. d. l. Ea vero perveniſſe in Bibliothecam Petri Francii notat Fabric. t. I. Biblioth. Graec. lib. II. cap. XI. §. XII. & *penes virum ſanguine, animo & ſtudiis ſibi conjunctiſſimum ſervari*, teſtatur vir celeberrimus Jacobus Philippus Dorvilius, qui humaniores literas ſumma cum doctrinae fama Amſtelaedami profitetur, in eruditiſſima Critica Vanno pag. CCLI. per quem intelligere fratrem *Petrum Dorvilium*, virum egregium & doctum, qui rariſſimo exemplo Mercurium cum Apolline feliciſſime conjunxit, & hanc collectionem ex auctione Scalburgiana, in cujus catalogo pag. CXLVIII. recenſetur, ſibi comparavit, per literas mihi ſignificavit, hujuſque theſauri inſpiciendi copiam fecit, vir amiciſſimus. Hac collectione Fragmentorum Clericum uſum fuiſſe, quum fragmenta Menandri &

Philemonis ederet, ſuſpicatur reverendus Pater in Praeſat. ad Phileleuth. Lipſ. Scaligerum Cantero correctiones in haec Fragmenta tradidiſſe, legimus in Scaligerian. p. LXIII.

Loca quaedam *Jamblichii de vita Pythagorae* haud infeliciter emendaſſe, tradit Fabric. t. IV. Biblioth. Graec. lib. IV. c. XXVIII. §. IV.

Edere voluiſſe commentarium *de Sacris opertaneis* patet ex Caſauboni Epiſtol. CCXLVIII. CCLXI. & CCCXXV. ut & *Sacra Eleuſina*, ex Lipſ. Epiſt. Select. cent. III. Miſcell. LXXV.

Ammianum Marcellinum edere in animo habuiſſe conſtat ex Epiſtolis Caſauboni IV, V, XXXVII & LXXXVIII. & multis locis reſtituiſſe ſcribit Sweert. Athen. Belg. p. CCLXXXIX. & ſcripſiſſe *Adnotationes ad Clementem Alexandrinum* teſtatur idem Sweertius, quarum apographum in inſtructiſſima ſua bibliotheca hodie habet celeberrimus Drakenborchius.

Literas ejus ineditas ad Johannem Meurſium ſeniorem adhuc exſtare docet Morhov. I. Polyh. XXV §. IX. ut & alias epiſtolas in Bibliotheca Gudii ibid. §. XVI. Epiſtolas quasdam Vulcanii, Gifanii, Scriverii, Meurſii, Merulae, J. Heurnii, Rosweidi, Dalii, Wittii, Gruteri & Schotti ad Theodorum Canterum edidit Matthaeus in Epiſtol. Syllog. Et epiſtolam Gifanii ad Canterum exhibet Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. III. p. CI. Lipſii ad noſtrum Epiſtola exſtat lib. IV. Epiſt. Quaeſt. XXV. & Epiſtol. Select. Cent. I. Miſcell. LXXXIV. & Cent. II. Epiſt. LXII. & LXXVII. & Cent. III. Ep. LXXV. & tom. I. Syllog. Burm. p. DCXIII, ubi & pag. DXC. & ſeqq. tres Canteri ad Lipſium exhibentur Epiſtolae.

Vi-

Vitam & elogia hujus Canteri nobis reliquerunt Suffridus Petri, Valerius Andreas in Bibl. Belg. p. DCCCXXVI. Sweertius Athen. Belg. Graevius Orat. in L Acad. Traj. nat. & Witte Diar. Biograph. ad ann. MDCXV.

CNYFIUS (JOHANNES) honeſtiſſima familia, quae varios Senatores & Conſules Trajecto dedit, ortus. Utriusque linguae rudimentis in urbe patria perceptis, Lovanium miſſus fuit, ubi Theologiae operam dedit. Theologicis ſtudiis abſolutis, ordinem Fratrum minorum de Obſervantia ingreſſus eſt. Cumque facundia & eloquentia polleret, variisque in locis conciones publicas haberet, famam optimi preconis & diſertiſſimi oratoris adeptus eſt, ita ut rogatu Chriſtophori Brunswicenſis Archiepiſcopi Bremenſis, aliorumque Germaniae Principum, Legatum ad ſedem Apoſtolicam egerit, & tam gratus fuerit Julio III Papae, ut in Praedicatorem generalem (uti vocant) adſumptus fuerit. Deinde anno MDLXI quum varii novi Epiſcopi in Belgio crearentur, noſter Groningenſium Epiſcopus renuntiatus eſt, vid. Borr. lib. I. Hiſtor. p. XIX.

Obiiſſe Kal. Octobr. MDLXXVI tradit Valer. Andr. alii, memorati ab Heuſſen. tom. V. Hiſt. Eccl. p. CCXCIII. anno MDLXXVIII defunctum adfirmant, quibus & adſtipulatur le Long Biblioth. ſacr. t. II. p. DCLXXIX. & p. DCCLIX ubi illum vocat *Joannem Guyeum*. Accuratiſſimus noſter Borrius in ann. MDLXXVI. verum non cum Valerio Andr. *in Kal. Octobr.* ſed *in noctem inter* VI *&* VII *Octobr.* mortem ejus refert lib. IX. Hiſtor. p. CLXXIV. qui eum *virum avarum* vocat. Edidit

Commentarios in Pſalmos miſerere & de profundis Belgice & Latine Antverpiae.

Vid. Suffrid. Petri Append. ad Hedam p. VIII. Va-

ler. Andr. Bibl. Belg. p. CCCCLXXXIV. Sweert. Athen. Belg. p. CCCCXII. Graev. Orat. in L Acad. Traj. nat. & Heuſſ. t. II. Hiſtor. Eccleſ. p. CXXXIX. & tom. V. p. CCXCII. qui & p. CCCL narrat, quomodo fruſtra tentaverit Abbatiam Iduwerdae apud Omlandos ſibi vindicare.

COCCEII (HENRICUS DE) Bremae natus XXV Martii an. MDCXLIV. in inluſtri Gymnaſio patrio humaniores literas & Jurisprudentiam docentes audivit ad an. MDCLXVII. quo Leidam deſcendit, ubi celebrioribus Philoſophis & Juriſconſultis adhaeſit. Studiis abſolutis patriam repetiit, & paulo poſt in Angliam transfretavit, annoque MDCLXX Oxoniae laurea doctorali redimitus eſt. Anno ſequenti Pariſios conceſſit, inde Germaniam petiit, & Heidelbergam ſe contulit, ubi XXV Aprilis MDCLXXVIII Profeſſio Juris Feudalis, & biennio poſt Pandectarum in eum conlata eſt. Deinde ab Electore Palatino anno MDCLXXXII in ſummum ſtatus Palatini conſilium receptus, & ad Adſeſſoris ſupremi dignitatem in judicio reviſorio Electorali evectus eſt. Adceſſit deinde anno MDCLXXXVII Decretalium profeſſio, quo anno fruſtra a Trajectinis vocatus eſt, abeundi facultatem negante Electore. Verum anno ſequenti Heidelberga a Gallis occupata, Trajectinis iterum profeſſionem obferentibus ſe addixit, & XI. Februarii MDCLXXXIX. auſpicatus eſt Oratione, *Utrum armis magis an magis legibus vel Reſpublica in genere defendi poſſit, vel in ſpecie Romana defenſa fuerit?* Vix biennium in Academia noſtra docuit, quam menſe Novembri an. MDCXC. reliquit, ab Electore Brandenburgico ad profeſſionem Juris primariam in Academia Viadrina vocatus. Ab Electore anno ſecundo hujus ſeculi Hagam miſſus eſt, ut ejus jura in bona relicta a Guielmo tertio Angliae Re-

ge-

ge tueretur. Quo negotio rite peracto, ab Electore ſive Rege Boruſſiae ad dignitatem equeſtrem promotus, & Regis conſiliarius intimus renuntiatus eſt. Anno MDCCXIII. ab Imperatore titulo Baronis imperii honoratus eſt. Obiit vero XVIII. Auguſt. MDCCXIX. aetat. LXXVI. relicto filio *Samuele*, celebri ob editum *jus controverſum*, cujus pars prima prodiit Francofurti MDCCXIII. & pars altera ibid. MDCCXVIII. 4. vid. Struvii Biblioth. Jur. cap. VII. §. XIX.

Scripta, quae reliquit, ſunt:

Tractatus de doli, culpae, & negligentiae praeſtationibus in quolibet negotio, ubi refutata vulgari ſententia, nova ex ſolidis tum naturae, tum legum principiis adſtruitur & demonſtratur. Heidelb. MDCLXXII. 4. vid. Struvii Biblioth. Jur. cap. VI. §. LI.

Collationes juridicae ad ampliſſimum virum Georgium Adamum Struvium, quibus tota culparum materia a prima origine pauciſſimis luculenter deducitur, defectus, qui in ea hactenus exſtitit, curate ſuppletur, & quae in deciſionibus Sabbathinis contra eam opponuntur, ſolide refutantur. Heidelb. MDCLXXVII. 4.

Notae & additiones ſuccinctae, ſive commentarius in Pauli Zachiae Quaeſtiones medico-legales, ex recenſione & cura Georgii Franci. Francof. MDCLXXXVIII. fol.

Juris publici prudentia compendioſe exhibita, qua materiae ejus, praecipuaeque hactenus agitatae controverſiae ab ſua origine & fonte deducuntur, facilique ratione exponuntur, & demonſtrantur. Francof. ad Viadr. MDCXCV. MDCC. & MDCCXXIII. 8. *Animadverſiones* in hanc Juris publici prudentiam edidit Fredericus Ludovicus de Berger. Lipſ. MDCCXXIV. 8. vid. Nova Liter. Lipſ. d. a. p. DLVII. de quo Juris publici compendio

 vid.

vid. Struv. Biblioth. Jur. cap. XIV. §. XLIII.

Hypomnemata juris Feudalis. Francof. MDCXCIII. 12. & *cum aliquot praecipuarum difficultatum enodationibus aucta.* Ibid. MDCCII. & MDCCXV. 8.

Hypomnemata juris ad ſeriem Inſtitutionum ſacrat. Imperatoris Juſtiniani. Francof. MDCXCVIII. 8.

Autonomia juris gentium, ubi natum inde inter gentes diſcrimen civitatis mediatae & immediatae, liberae & non liberae, aliaque ad illuſtrationem juris gentium ac publici ſpectantia, pleniſſime eruuntur. Acceſſere duae appendices, quarum prima continet reſolutiones eorum, quae pridem de Weſtphalia ejuſque ſtatu, altera eorum, quae denuo ad Hiſtoriam Palatinam mota ac edita ſunt. Francof. MDCCXIX. 8.

Prodromus juſtitiae gentium, ſive Exercitationes duae, quarum prima ſocialitatem Grotianam principium juris naturae neque eſſendi, neque cognoſcendi eſſe evincitur: ſecunda veram majeſtatis originem eruit. Liber ad illuſtrationem prooemii & libri I. *Tractatus Grotii de Jure belli & pacis neceſſarius, cui annexae ſunt poſitiones generaliſſimae pro explicatione juris gentium.* Francof. MDCCXIX. 4.

Variae porro diſſertationes in unum conlectae poſt ejus mortem prodierunt hoc titulo: *Henrici de Cocceji Sacrat. Reg. Maj. Boruſſicae Conſiliarii intimi, & in illuſtri Viadrina anteceſſoris primarii, Exercitationes curioſae, Palatinae, Trajectinae, & Viadrinae, in quibus praecipua Juris gentium capita explicantur, Leges civiles ex principiis naturae admodum ſolidis ac perſpicuis ſolide, delucide, perſpicueque illuſtrantur, nec non difficiliores Juris publici & Feudalis materiae nova methodo, adſperſis ubique ſolidioris litteraturae floſculis,*

tra-

tractantur. Accedit fatorum meritorumque Coccejanorum accurata delineatio. Limgoviae MDCCXXII. II. vol. 4.

Vide Cocceji vitam ante has diſſertationes. Bibliotheque Germanique tom. I. p. I. Reimann. Introd. in Hiſtor. Liter. t. III. p. IV, CLXVII. & CCCCLXVI. Nova Liter. Lipſ. an. MDCCXX. p. DCLIX. & Niceron Memoir. pour ſervir a l'Hiſtoire des hommes illuſtr. t. IX. p. CCLXXXI. & ſeqq.

COCQUIUS ſive COCK (GISBERTUS) Trajectinus, qui ab anno MDCLV. ad annum ſeptimum hujus ſeculi in pago Kokkengen ditionis Trajectinae paſtorem egit, quo anno animam creatori reddidit. Male vero a Lipenio Biblioth. Phil. p. CCCI. *Adrianus* nominatur, quem ſecutus eſt Struvius Biblioth. Philoſ. cap. VII. §. XXIII. qui tamen cap. VIII. §. VII. recte eum *Gisbertum* vocat.

Scripta ejus ſunt:

Hobbes Elenchomerius, ſeu vindiciae pro Lege & imperio & religione contra Hobbeſium. Traject. MDCLXVIII. 8.

Anatome Hobbeſianiſmi. Ibid. MDCLXXX. 8.

Pſalterium Davidis carmine elegiaco redditum. Ibid. MDCC. 8.

CONRADUS Epiſcopus Trajectenſis. Hic a Valerio Andrea Bibl. Belg. p. CXLI. inter eruditos memoratur. Quia vero natales ſuos Trajecto non debet, & tantum conjecturae ſunt, quae viri docti proferunt, quaſi auctor eſſet *Apologiae de unitate Eccleſiae conſervanda, & ſchiſmate inter Henricum* IV. *Imperatorem, & Gregorium* VII. *Pontificem maximum*, & fata ejus ex Heda & Beka notiſſima ſunt, de eo plura dicere ſuperſedeo.

ſedeo. Qui plura deſiderat, inſpiciat Flacc. Illyric. Catal. Teſt. Verit. p. ccxxxi. Placc. Theatr. Anonym. p. cxcix. qui ſummam ejus Apologiae ex Aventino profert, Freher. tom. ii. Rer. German. Scriptor. p. cliii. Oudin. de Scriptor. Eccleſ. ſupp. p. cccxxxviii. & celeb. Fabric. Bibl. med. & inf. Latin. lib. iii. pag. mclxxxiv.

CORTEHOEVIUS (THEODORICUS) Hujus meminit Valerius Andreas pag. dccccxxiii. neque praeter ea, quae de illo habet, aliunde reſciſcere potui. Originem duxit ex pago Cortenhoevio, ditionis Trajectenſis, qualem vero perſonam ſuſtinuit, ubi vixit, aut quando obiit, non tradit Valerius. Edidit

Bellum diſcors Sophiae ac Philautiae veritatis ac falſitatis. Antverp. mdxxx.

Item *Adagia Eraſmi* redegit in locos communes. Coloniae mdxxxiii.

COTOVICIUS (JOHANNES) Belgice COOTWYCK, Trajectinus, fuit Juris utriusque Doctor, & cum varias regiones, praecipue terram ſanctam, perluſtraſſet, domum reverſus, edidit *Itinerarium Hieroſolymitanum & Syriacum*, quo gentium variarum mores, inſularum, regionum, urbiumque ſitus, aliaque egregie deſcripſit. Antverp. mdcxix. 4. quod Itinerarium anno ſequenti in linguam Belgicam verſum prodiit. In Dedicatione dicit ſe ab ineunte aetate ardore peregrinandi adcenſum fuiſſe, nec quidquam magis in votis habuiſſe, quam diverſas orbis provincias perluſtrare, & adultum illud re ipſa praeſtitiſſe; nam univerſam Italiam, Galliam, Germaniam, Angliam, Dalmatiam, Croatiam, Epirum, adjacenteſque mari Adriatico & Mediterraneo Inſulas Corcyram, Zacyn-

thum,

thum, Cephaleniam, Cretam, Cyprum, aliaſque, atque omnem fere Syriam pervaſit, & anno MDXCVIII. quarto Novarum Sextilium Venetiis ſolvens, medio menſe Maji ſequentis iterum Venetias adpulit. Et jam anno MDCI. Venetiis moratum fuiſſe patet ex Erycii Puteani epiſtolis ei Venetias ſcriptis, quae exſtant Epiſt. Eryc. Putean. Centur. II. Epiſt. VIII. & XXXIV. & LXXXVII.

Hoc autem *Itinerarium* magni fit a viris doctis, cum fideliter & erudite ſit conſcriptum: & Cotovicium *inſignem deſcriptorem rerum quas in Palaeſtina & Syria vidit*, pronuntiat Barthius in Gloſſario Latino-barbaro, quod exhibet Ludewig. Reliq. MSS. t. III. p. CCCXIX. vituperat tamen Jobus Ludolphus apud Tenzelium tom. V. Colloq. p. CCCCXLIX. hunc librum hodie rariſſimum dicit Schelhorn. tom. V. Amoenit. Literar. p. CCLX.

Elogia hujus viri conſcripſerunt Miraeus de Scriptor. ſeculi XVII. cap. CLXXXVII. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCCLXXXVI. Sweert. Athen. Belg. p. CCCCXIV. Graev. Orat. in L. Acad. Traj. nat. & H. V. R. in not. ad Heuſſen. t. II. Hiſt. Eccl. p. CXLII. obiit in patria sua anno 1629.

CRESCENTIUS (DESIDERIUS) Hic dicitur Juriſconſultus Trajectinus, & collegiſſe *artes reconditas regendi reſpublicas & dominandi* a Boſio de Compar. prudentia civili §. XCII. apud Crenium de Philologia p. CCCXCIV. Qualis vero fuerit, quo tempore vixerit, aut librum hunc ediderit, non addit, neque apud alios ſcriptores ejus mentionem inveni.

CUYCKIUS (ANTONIUS) ſive CAUCHIUS Belgice VAN CUYCK, Trajectinus, Johannis Conſulis ex Eliſabetha van Moerendael filius. Hunc in patria juventuti erudiendae ſe totum tradidiſſe, & ludum

literarium moderatum fuiſſe teſtantur Sweertius & Valer. Andr. quod adfirmaſſe ſuſpicor, quia *Grammaticam* edidit; addit & Sweertius, *Excellebat enim omni dicendi elegantia, atque ingenuarum artium cognitione, tum poëtica facultate.* Idem Valerius Andr. pag. CCCCLXXIX *Syndicum Ordinum Provinciae Ultrajectinae* fuiſſe adfirmat. a Clar. Graevio Orat. in L Nat. Acad. Traj. p. CCCLXXVII. *Conſul, nec non Syndicus ordinum hujus Provinciae*, & in addend. ad illam orat. p. CCCXCVII. *Conſul Traiectinus* vocatur. Ambos tamen falli credo, cum in catalogo Conſulum, quem exhibet diligentiſſimus & eruditiſſimus van de Water Utr. Placcaetb. III. deel, ut & in eo, quem ante aliquot annos ex actis noſtris confeci, fruſtra quaeratur. Inter judices urbanos ſive ſcabinos adſumptus eſt anno MDLXVIII. eoque munere ad an. MDLXXV. functus eſt, verum ut Conſul non memoratur. Uxorem habuit Margaretam Boll, filiam Johannis Conſulis Trajectini, & Aleydis van Eede, quae demum obiit anno MDCXXIII. Quo vero anno noſter defunctus eſt, ignoro. Edidit *Grammaticam Latinam & Gallicam* Antverp. MDLXXVI. & Argent. MDLXVIII. 8.

Animadverſiones in Officia Ciceronis edidiſſe adfirmat Sweertius, ſed male, cum, ut mox videbimus, a patre Johanne hae *Animadverſiones* conſcriptae ſint.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. LXIII. Sweert. Ath. Belg. Sanderus de Clar. Anton. lib. III. p. CLIII. & Clar. Graevius d. l.

CUYCKIUS (JOHANNES) Trajecti natus, patre Antonio, & matre Gouburgi Pyll, Filia Brunonis Scabini Trajectenſis, & Bartradae N. vid. van Balen Beſchryv. van Dord. pag. MCXCIX. Fuit vir eruditiſſimus,

mus, & variis honoribus in urbe patria functus. Hoc tempore, quo noſter floruit, duo inveniuntur *Johannes Cuyckii*, qui ambo Senatoris, Scabini & Conſulis dignitatem obtinuerunt. Verum Clar. Drakenborchius ex ſtemmate Cuyckiorum, quod confecit elegantiſſimi ingenii vir, me docuit duos patrueles Johannes Cuyckios memorari, alterum Johannis & Aleydis van Jutphaes van Blockhoven, alterum Antonii & Gouburgis Pylliae, filios, ambos nepotes Johannis Cuyckii ex Johanna filia naturali Gerardi Dynaſtae Culenburgenſis, ex quibus Johannes, Johannis filius, Johannis nepos, nullos liberos ex Eliſabetha Ram ſuſcepit, qui in faſtis ſimpliciter *Johannes Cuyckius* dicitur. Alter vero *Johannes Antonii Cuyckius* vocatur, & Trajecti Senator fuit annis MDXXXIV, MDXXXV, MDXXXVIII, MDXXXIX & MDLXIII. (annuus enim eo tempore tantum erat magiſtratus) Scabinus annis MDXXXVI, MDXXXVII, MDXLI, MDXLII. & Conſul anno MDXLIV. Obiit noſter XV Kal. Dec. MDLXVI. relictis pluribus utriuſque ſexus liberis ex Eliſabetha van Moerendael, interque eos filio Antonio, cujus modo meminimus. Saepius hujus meminit Rosweidus in notis ad Paulinum, ejuſque conjecturas profert, & in praefatione *civem ſuum* vocat. Inſigni elogio illum ornat Manutius lib. IV. Ep. XXVII. & lib. V. Epiſt. IV. ut & Clar. Graevius Orat. in L. Acad. Traject. nat. his verbis: *Johannes Cauchius, urbis Trajectinae Conſul, Levino Torrentio, Adriano Junio, aliisque eruditiſſimis hominibus familiaris, cujus pauca quidem ſcripta ſuperſunt, ſed pererudita, ab ipſis Muſis & gratiis facta. Vir enim fuit acri ingenio & magna doctrina, ut ejus notae ineditae in Prudentium, in Varronem de lingua Latina, & in Soſipa-*

 trum

trum argumento ſunt, quae ſecunda fortuna in meas pervenerunt manus. Pleroſque enim ſcriptores Latinos eleganter caſtigavit, & doctis adnotationibus marginibus adſcriptis inluſtravit, ex quibus eos, qui modo memorati ſunt, in auctione quadam publica ſibi comparaverat Graevius, uti teſtatur ibidem poſt finem dictae Orationis, & meminit Graevius antiquae editionis Prudentii, cui multa adſcripſerat noſter, in Syll. Burmann. t. IV. p. XLIX. *Vir doctrina inſigni* dicitur a venerando Patre in notis Syll. Ep. t. I. Epiſt. LXXII. ubi vide, quae porro notat.

Prodierunt ejus *Animadverſiones in Officia Ciceronis* Antverp. apud Plantin. MDLXVIII.

Ejus ſtudio editus eſt *Cornelius Nepos* Traject. MDXLII. 8. quae editio emendatiſſima & rara habetur, licet eam non laudet And. Schottus Praefat. in vit. Excell. Imper. p. II.

Auſonium additis notis, & *Chariſium Soſipatrum* reſtituiſſe dicit Valer. Andr. & notas *in Paulini poëmata* conſcripſiſſe teſtatur Sweert. Athen. Belg. p. CCCCIX.

Cenſorinum & *Prudentium* edere voluiſſe patet ex Manut. Epiſt. p. CCCLI. & ex praefatione Nicolai Heinſii ante Prudentium. vid. & Hadr. Junii Epiſt. p. CCCCXLV. qui *Commentarium de re nummaria* ab eo promiſſum efflagitat. Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. pag. CCCCLXXIX. & Sweert. Athen. Belg.

CUYCKIUS (TIMANNUS) Antonii filius, quem male Valerius Andreas Harlemi primam adſpexiſſe lucem adfirmare exiſtimo, cum pater ejus Antonius Senatoriam dignitatem, & avus Johannes Conſulatum Trajecti geſſerint. Fuit vero Senator in ſupremo hujus diocoeſis tribunali, qui honor ipſi oblatus anno

MDCXI.

MDCXI. Obiit vero XIV Junij MDCXXVI. ſepultus in Eccleſia civili, relictis liberis ſuperſtitibus ex uxore Maria van Mierlo. Scripſit

Adnotationes ad Aymonis Cravettae reſponſa juris. Traject. MDCXXIII. 8.

De eo hoc teſtimonium tulit Clar. Rodenburchius in Dedicatione de Jure conjugum: *Cuyckium conſtans fama juriſconſultiſſimum virum praedicavit; cui utinam in mentem non veniſſet ad alterius, Cravettae puto, labores notas adſpergere? cum de ſuo nobili monumento contexendo non impar eſſet.* & Matth. de Jure Gladii cap. XVII. p. CCXCV. eum *Conſiliarium doctiſſimum* vocat, ubi conſilium quoddam ejus exhibet. vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. pag. DCCCXLI. & Graev. Orat. in L. Acad. Traj. natal.

D.

DALIUS (NICOLAUS) ſive VAN DALE. Hunc inter eruditos Trajectenſes enumerat Heuſſ. tom. II. Hiſtor. Eccleſ. pag. CXLI. Quis vero, qualiſve fuerit, non addit, unicum tantum locum Lipſii Epiſt. Cent. I. Miſcell. XLII. adducens, ubi Lipſius mortem hujus Dalii dolet, ex quo tamen loco Trajectinum fuiſſe confici nequit. Trajecto tamen natales ſuos debere conſtat ex Albo Jani Douſae, quod exſtat in Bibliotheca viri optimi, mihique amiciſſimi Joannis Alexandri Roëll, ubi haec ejus manu adſcripta inveni:

GRATIIS SACR.

JANO. DUSAE. CL. V. OPTUMO. POETAE. OB. CIV. SER. PATR. KARISS. PUBLICORUM. STU-

DIORUM. IN. BATAVIS. CUR. AD HUMANITATEM. EIUSQUE. STUDIA. PROMOVENDA. NATO. NIC. DALIUS. EIUSDEM. ET. MAGNI. IUSTI. LIPSI. AUSPICIIS. HON. AUC. ET. IN. CONLEGIUM. DOCTORUM. ACADEMIAE. LUGDUNENSIS. ADOPTATUS. PATRONO. CLIENS. HOC. ADF. SUI. MONIMENTUM. L. M. P. EX. A. D. III. KAL. SEPT. CIϽ IϽLXXX.

Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum eſt.
Inde adeo ex quo liber ſum & juris mei,
Antiqua 'ſt tamen, & amica digna ſymbola;
Sed volt tabellis Phoebus abſtineam manum.
Si contra ſaxim, Marſyae memor ut ſiem,
Neglexi, & ſenſi miſer Medici haut medicas manus.
Frons ipſa teſtis, id mi DUSA relliquum 'ſt,
Ni farre averſum & mica molliris Deum,
Ut igni, aut unda perdat me, aut cute exuat.
Nic. Dalius Ultr.

Ex Epiſtola vero Lipſii, quam edidit venerandus Pater tom. I. Syll. pag. XXVIII. patet ſucceſſorem datum Cornelio Neoſtadio Leidae in Profeſſione Inſtitutionum, ubi dicitur *rarae ſpei adoleſcens*, *ſed ut morbus minatur*, *non vitalis*. quae ſcripta eſt Kal. Decemb. MDLXXX. & verum augurem fuiſſe Lipſium mors brevi ſecuta docuit; nam idem Lipſius d. l. ab Heuſſeno adducto anno ſequenti phthiſi obiiſſe nuntiat. Ex actis vero Curatorum Academiae Leidenſis XI. Aprilis MDLXXXI. quae deſcripta ad nos transmitti curavit vir opti-

optimus, eruditus, & Muſarum cultor egregius David van Royen, Academiae Batavae Curatoribus a ſecretis, conſtat Profeſſorem Inſtitutionum egiſſe cum honorario ducentorum florenorum annuorum, & IX Januarii an. MDLXXXI. obiiſſe. Ob quod breve Profeſſionis tempus Meurſius in Athenis Batavis nullam ejus mentionem feciſſe videtur. Hujus Dalii Epiſtolam ſcriptam Theod. Cantero exhibet Matth. Epiſtol. Syllog. XVI. An vero deſcenderit ex nobiliſſima familia *van Dalen*, quae Italicae originis, in Brabantiam venit, eamque ob crudelitatem Ducis Albani deſerere coacta, in Belgium & Saxoniam inferiorem lares transtulit, & de quo multa congeſſit Joan. Henr. von Zeelen Athen. Lubecenſ. part. II. pag. VIII. & ſeqq. adfirmare nequeo.

DIEMERBROEKIUS (ISBRANDUS) natus die XIII. Decembris an. MDCIX Montfortii, patre Gisberto, quinquies in patria Conſule, & matre Magdalena Saſſia. Titulus imaginis, quae in curia Academiae conſpicitur, praefert eum natum eſſe die XXIII. Decem. quod ſecundum ſtilum Gregorianum intelligendum videtur, quum tamen dies emortualis ibidem ſecundum ſtilum Julianum conceptus ſit. Puer Trajectum mittitur in ludum literarium, quem eo tempore moderabatur Antonius Aemilius. Inde Leidam tranſiit, ubi Danielem Heinſium humaniores literas, Caſparum Barlaeum Philoſophiam, et Ottonem Heurnium Medicinam docentes, ſedulo audivit. Deinde Galliam adivit et Andegavi dignitate Doctoris Philoſophiae et Medicinae decoratus, in patriam reverſus, ſedes fixit Neomagi, ubi eo tempore peſtilentia magnas ſtrages edebat, et famam dexteritatis in eo malo depellendo et experientiam nactus, conſcripſit librum *de Peſtilentia*, qui

qui et hodie inter praeſtantiſſimos de hac materia habetur, ibique per aliquot annos Medicinam fecit. Deinde Trajectum lares tranſtulit, ducta die xviii Octob. mdcxlii. uxore Eliſabetha van Geſſel, et ſucceſſor datus Gulielmo Strateno extra ordinem vii Junii mdcxlix. deinde vii Aprilis mdcli. Ordinarius Profeſſor, Anatomiam et Medicinam ſumma cum eruditionis fama docuit. Cum vero in religione dogmata Arminii ſequeretur, Magiſtratus declararunt hanc vocationem non contrariam prioribus decretis, juxta quae in neminem honores, beneficia aut munera conferre licebat, niſi puriori emendatae religioni eſſet addictus; quod probat ſummam doctrinam et rei medicae peritiam ipſi aditum feciſſe ad cathedram publicam. Obiit xvii Novemb. mdclxxiv. & Oratione funebri merita ejus proſecutus eſt celeberrimus Graevius.

Scripta ejus ſunt:

De Peſte libri quatuor, truculentiſſimi morbi hiſtoriam ratione & experientia confirmatam exhibentes. Arenaci mdcxliv. & Amſtelod. mdclxv. 4. & cum aliis *Tractatibus Medicis variis* Genevae mdccxxi. 4. vid. Journal des Scavans Septemb. mdccxxi.

Anatome corporis humani plurimis novis inventis inſtructa, variiſque obſervationibus & paradoxis, cum Medicis, tum Phyſiologicis adornata. Traj. mdclxxii. 8. Genevae mdclxxix. 4. Lugd. mdclxxix. 4. quas duas poſteriores editiones innumeris naevis, quibus prior ſcatet, ſedulo repurgatas, & multis figuris aeneis de novo emendatis, ditatas eſſe, adfirmat Merklin. in Linden. renov. p. dccxvi.

Gallice versa per Prost. Lugduni 1727. 2 vol. in 4. est peu estimé [illegible] Eller tom. 7. pag. 536.

Diſſertationes de morbis Capitis & Thoracis Traj. mdclxiv. 12.

De

De variolis & morbillis.

Hiſtoria rariſſimorum morborum & vulnerum.

Poſt mortem ejus *Opera Anatomica & Medica* edidit filius Timannus Diemerbroekius, qui hac in Urbe Apothecarius fuit, Traject. MDCLXXXV. fol. vid. Act. Erudit. Lipſ. Januar. MDCLXXXVI.

Trajecti anno 1685. fol. et Geneva 1687. 2. vol. in fol.

DOUSA (THEODORUS) celeberrimi Jani Douſae, qui egregiam patriae & elegantioribus literis praeſtitit operam, ex Eliſabetha van Zuylen van der Haer filius natu minimus. Natus eſt anno MDLXXX. die XXV Febr. an. MDCXII. uxorem duxit Gertrudem van Rheede, filiam Gerardi Dynaſtae de Nederhorſt, vid. Gouthoev. Chron p. CLXX. & Mechtildis Peunis van Dieſt, ex qua plures liberos ſuſcepit, quaeque ad decrepitam aetatem perveniſſe, & demum IV. Februar. MDCLXXXIV. obiiſſe dicitur. die VII Junii d. a. emit praetorium nobile dictum Berkeſtein. Annis MDCXIV & MDCXV. adlectus eſt inter judices urbanos. die XVI Februarii MDCXLII. adſcriptus ordini equeſtri regionis Trajectinae, ejuſque nomine die IV Auguſti ejuſdem anni extra ordinem delegatur inter Senatores ſupremi tribunalis. Obiit VII Junii MDCLXIII. Edidit

Georgii Logothetae Acropolytae Chronicon Conſtantinopolitanum, Graece & Latine, notisque inluſtravit Leidae MDCXIV. 8. cujus apographum frater ejus Georgius Conſtantinopoli ſecum in Belgium adtulerat, quem ex Georgii Cantacuzeni bibliotheca id redemiſſe teſtatur in Praefatione & in notis pag. LX, ubi & promittit *Epiſtolas Zonarae* & alia, quae frater Conſtantinopoli conlegerat. In qua editione tamen non feliciter verſatum eſſe notat Cl. Fabricius tom. VI. Bibl. Graec. lib. V. cap. V. p. CCCCLI. Edidit poſtea Leo Allatius

M Pa-

Paris MDCLI. fol. & praemiſit *Diatriben de Georgiis.*

Farraginem quandam Echoicam variarum linguarum, variorumque auctorum. Traj. MDCXXXVIII. 8.

Neque infelicem poëtam fuiſſe conſtat ex adlocutione ſuper Beka, Heda, & Hortenſio recuſis, ad Gisbertum Lappium a Waveren, quae in editione Buchelii ante Hortenſium conſpicitur.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCCXXVII. & Niceron. Memoir. des homm. illuſtr. t. XVIII. pag. CCX.

E.

ECK (CORNELIUS AB) Arenaco-Gelder, hauſtis utriusque linguae fundamentis, praecipue Jurisprudentiae operam dedit, inque ea praeceptoribus uſus Bockelmanno & Johanne Voetio, qui Leidae jus civile profitebantur, eos progreſſus fecit, ut laurea doctorali an. MDCLXXXII. inſignito, Franequerae oblata ſit profeſſio in utroque jure an MDCLXXXV. Anno MDCXCIII. Magiſtratus noſtri ipſi jus civile docendi provinciam demandarunt. Anno ſequenti Friſii, animadvertentes quale detrimentum abitus ejus Academiae adtuliſſet, ut rediret, fruſtra invitarunt. Cumque poſt mortem Johannis Voetii Profeſſoris Leidenſis Curatores noſtri metuerent, ne ipſi ſucceſſor daretur, adeptus titulum Profeſſoris juris hodierni & aucto honorario, operam ſuam Academiae noſtrae addixit, & ſumma cum laude ad mortem uſque, quae contigit XXVI Februarii MDCCXXXII. maxima cum frequentia auditorum docuit. Ex infelici matrimonio filium, & ni fallor, filiam ſuſcepit, qui ante patrem obierunt.

Ejus ſcripta ſunt:

Diſpu-

Diſputatio juridica de Morte ſub praeſidio Johannis Voet. Leidae MDCLXXXI.

Diſputatio inauguralis de ſeptem legibus Pandectarum, ſeu crucibus Juriſconſultorum Ibid. MDCLXXXII.

Oratio inauguralis de praeſtantia & neceſſitate juris civilis, habita Franequerae MDCLXXXVI.

Vindiciae juris Academici decreto & auctoritate Senatus Academiae Franekeranae ſcriptae & vulgatae, contra viri ampliſſimi Ulrici Huberi JCti & ſupremae Friſiorum curiae exſenatoris enarrationem Authenticae habitae C. ne filius pro patre &c. Franeq. MDCLXXXVIII. 8.

Pro ſenatu, pro ſe, ac ſuis juris Academici vindiciis ſtricturae breves ad Epiſtolam & reſponſionem viri ampliſſimi D. Ulrici Huberi &c. de lite corollarii, quam ipſe more ſolito movit &c. Ibid. d. a.

Epiſtola ad amicum, quam ſuis diſſertationibus Juridico-Theologicis nuper praefixit Ampl. Ulricus Huberus, ubi de parentibus Juſtiniani Imper. diſſeruit. Ibid. eod. an.

Principia juris civilis ſecundum ordinem Digeſtorum Franeq. MDCLXXXIX. Traj. MDCXCIV, MDCXCVII, cum duabus *Orationibus de ſtudio Poëtices conjungendo cum ſtudio juris Romani*, & MDCCXIII. 8. quae *principia ſolide elaborata* teſtatur Struvius Biblioth. Jur. cap. VII §. XIV.

Oratio de vita, moribus & ſtudiis M. Antiſtii Labeonis & C. Ateji Capitonis. Franeq. MDCXCII.

Orationes duae de ſtudio Poëtices conjungendo cum ſtudio juris Romani, prima habita Franequerae MCCXCIII altera Trajecti MDCXCVI.

Oratio de ratione ſtudii juris recte inſtituendi. Traject.

ject. MDCXCIII. quam *elegantem* vocat Struvius Biblioth. Jur. c. VII. §. XI.

Theſes juris controverſi. Traj. MDCC. 8.

Oratio de religione & pietate veterum Juriſconſultorum. Traj. MDCCXVII.

Edidit & praefatione auxit *Guielmi Fornerii & Antonii Contii tractatus de Feudis, & elementa Juris feudalis Franc. Hottomanni, opus poſtumum hactenus nondum editum.* Leovard. MDCXCIV.

Ut & *Joh. Frederici Böckelmanni Anteceſſoris Leidenſis tractatum poſtumum de Differentiis juris civilis, Canonici, & hodierni,* addita praefatione *de uſu & abuſu juris Canonici & hodierni in inſtitutione Academica.* Traj MDCXCIV. 8. & eruditas adnotationes adjeciſſe teſtatur Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. CXX. ſcilicet in editione ſexta, quae prodiit Jenae MDCCXXV. qua uſus ſui; nam in prioribus, ut recte monet Ever. Otto in Praefat. ante hunc Tractatum Böckelmanni pag. XL. Struvius perperam ſcripſerat, *Optimum eſt ſcriptum Cornelii van Eck de Differentiis Juris Civilis Canonici & Hodierni, quod cum adnotationibus eruditis edidit Jo. Fred. Bockelmannus.* Ipſumque Clar. van Eck declinaſſe laudes ſibi inmerenti tributas, opuſque auctori ſuo ſine adnotationibus reddidiſſe, ibidem notat Otto, qui praeterito anno hunc Böckelmanni Tractatum notis inluſtratum in uſum Auditorum evulgavit Trajecti in 8.

Vid Biblioth. Bremenſ. cl. III. faſc. I.

ENS (JOHANNES) natus Quadyci in Weſtfriſia die IX May MDCLXXXII. Studiorum curſum in Academia Leidenſi ſub Perizonio, Marckio, Tillio, & Cl. Fabricio abſolvit, & inter S. S. Miniſterii candidatos rece-

receptus, primo paſtor in pago Beets in Hollandia boreali, inde in inluſtri ſchola Lingenſi Theologiae Profeſſor creatus eſt, & anno MDCCXIX. cura eccleſiae noſtrae ipſi demandata, ſcholaſque domeſticas in Theologia aperire facultas data, & anno ſequenti Theologiae Profeſſor extra ordinem, & anno MDCCXXIII. ordinarius creatus, obiit VI Januarii an. MDCCXXXII nondum quinquaginta annos natus. Uxorem duxerat, quae diu ante maritum obiit, & ex qua nullos liberos ſuperſtites reliquit. Fuit vero vir eruditiſſimus, multae lectionis, graecae linguae & hiſtoriae eccleſiaſticae peritiſſimus, ſed moribus inpolitioribus, qui ſingulari ratione & ſibi propria vitam agebat; numquam vero ſtato tempore veſcebatur, bibebat, aut cubitum ibat, & quamvis vir eſſet robuſtus, ex male diſpoſita ratione & modo vivendi morbum, & inde ſecutam mortem, contraxiſſe creditur.

anno 1724. 31 Maii Rector Magnificus.

Scripta ejus ſunt:

Bibliotheca ſacra, ſive diatribe de librorum novi Teſtamenti canone. Amſtel. MDCCX. 8. de qua vid. Act. Erudit. Lipſ. ann. MDCCXI. p. CCCLI. & Nova Liter. Lipſ. an. MDCCXV. p. CCV.

Aanmerkingen over Jeſaias kapit. XI *en* XII, *tot verſtand der woorden in den regten zin, het oogmerk, de vervulling of verwagting en gebruik.* Amſterd. MDCCXIII. 8.

Oratio inauguralis de perſecutione Juliani Traj. MDCCXX. 4.

Oratio de Academiarum omnium praeſtantiſſima. Ibid. MDCCXXVIII. 4.

Auctor quoque eſt libelli *Satans Verantwoordinge* ſcripti contra eos, qui Voetii doctrinam ſequuntur. ut & *het*

Ouderlings proteſt en raet, Zions worſtelingen, en de Spiegel der voorbeelden ontdekt en opgehelderd, tot bewaringe van eenigheid en bevorderinge van de vreede der kerke, door Daniel van der Heide. Amſt. MDCCXV. cujus auctorem profeſſus eſt in diſſertatione Theologica publice in Gymnaſio Lingenſi anno MDCCXIX habita de *D. Jac. Fruytier adverſus D. van der Heyde Apollogia.* reſpondit ei Fruytier libro Belgico, cui titulus: *Afgeperſte verantwoordinge van Jacobus Fruytier Predikant te Rotterdam, tegen twee faamroovende ſchriften van D. Johannes Ens Predikant te Utrecht, het eene uytgegeeve onder een vermomde naam van D. van der Heyde, het andere uytgegeven en gedrukt te Lingen.* Rotterd. MDCCXX. 8.

Poſt ejus mortem prodiit ejus liber *de Formulis* lingua Belgica an. MDCCXXXIII. 4.

ERP (HENRICA AB) virgo exſtitit nobilis. Abbatiſſa fuit coenobii dicti Vrouwenklooſter in ſuburbanis Trajectinis ſiti. In Abbatiſſae dignitate ſucceſſit Gertrudi van Groeneſtein poſtridie feſti ſancti Aegidii an. MDIII. & non MDV. ut male Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXLIX. uti conſtat ex ejus Annal. p. CLXXXII. Obiit die XXVI Decemb. MDXLVIII. & non MDXXVIII. ut apud Matthaeum in Praefat. t. I. Anal. vitio typographico exaratum invenio. Conſcripſit vero lingua vernacula Belgica *Annales coenobii ſui*, quos edidit Matth. tom: I. Analect. veter. aevi, in quibus ad ann. MDXXXIX. fratris ſui Johannis van Erp meminit. Qui *Annales* poſt ejus mortem continuati ibidem leguntur.

ESIUS ſive HESIUS (RICHARDUS) Hujus quidem meminit Valerius Andreas, ſed locum ubi natus, non addit. Trajectinum vero fuiſſe dicit Witte in Diar.

Diar. Biograph. ad an. MDCXXX. Fuit Jeſuita, & per XLIV annos Venetiis vixit, ubi literas humaniores docuit, & obiit Placentiae in ultima ſenectute annos LXXXIII. natus an. MDCXXX. uti Witte d. l. vel MDCXXXI. quod Valerius Andreas Bibl. Belg. p. DCCXCIV adfirmat. Inſigue ejus elogium eſt in epiſtola Riccoboni ad Muretum in Gymnaſio Patavino lib. IV. cap. II. p. CVI.

Scripta ejus ſunt:

Inſtructiones Grammaticae Latinae.

Inſtructiones linguae Graecae.

Compendium linguae Graecae ex Nicolao Clenardo.

Compendium linguae Latinae ex Emanuele Alvaro.

De quantitate ſyllabarum.

Proſodia.

Rudimenta, & alia ejus generis ſcripta.

Simmiae Rhodii Bipennem, quae Theocrito addi ſolet, e Graeco Latine reddidit.

Vid. & Alegambe Biblioth. Script. S. J. ubi eadem, quae Valerius Andreas de noſtro habet de verbo ad verbum leguntur, & licet uterque liber eodem anno prodierit, ideoque incertum videatur, quis plagiarius dicendus, ego tamen Valerium Andream hoc crimine abſolvi non poſſe exiſtimo, quum Alegambe prius exiiſſe conſtet ex cenſuris & judiciis, quae partim an. MDCXL. MDCXLI & MDCXLII. praeferunt, ita ut an. MDCXLII. prodiiſſe, ſed ſequentis anni numerum praefixum, ut ſolent Typographi, veriſimile ſit. Valerii vero Dedicatio poſterioris editionis, nam in priore ejus non meminit, eſt Septemb. MDCXLIII.

ESSENIUS (ANDREAS) Bommelanus Gelder, natus eſt menſe Februario an. MDCXVIII. Primis Lati-

nae

nae Graecaeque linguae in ſchola patria jactis fundamentis, Trajectum mittitur, & Antonio Aemilio, qui eo tempore Gymnaſium noſtrum moderabatur, traditur. In Academiam tranſlatus, in Philoſophia praeceptorem habuit Arnoldum Senquerdium, in Matheſi Bernardum Schotanum, & in Theologia praeter Mainardum Schotanum, celeberrimum Gisbertum Voetium, uti ipſe teſtatur in Oratione funebri in obitum Gualteri de Bruyn, & patet ex tom. I. Diſput. Theol. Voetii p. DCCCCLXXXV. & tom. II. p. DCCCCLXIV. DCCCCLXXIX, DCCCCXCIII. & ſeq. Inter S. S. miniſterii candidatos adſcriptus anno MDCXXXIX. & anno ſequenti die VII Junii una cum Paulo Voetio Liberalium artium magiſter creatus eſt. Deinde ei commiſſa fuit cura eccleſiae in Nederlangbroek ditionis Trajectenſis an. MDCXLI. deinde S. S. Theologiae lauream conſecutus eſt anno MDCXLV. uti didici ex Voet. Polit. Eccleſ. part. II. lib. II. tractat. III. cap. VII. quam ipſi carmine graeco gratulatus eſt Aemilius. vid. Aemil. Orat. & Poemat. pag. CCCXCIX. Anno MDCLI. eccleſiae noſtrae paſtor datus, & anno MDCLIII. ſimul cum Gualtero de Bruyn S. S. Theologiae Profeſſor creatus opera Gisberti Voetii, uti innuere videtur Schookius in Praefat. Exercitat. var. edit. poſt. cujus verba haec ſunt: *Ex quo cathedram Academicam obtinuit, ut placere queat illi, a quo promotus eſt, non dubitavit inter primarias ſuas virtutes adoptare pertinaciam, & opinionem infallibilitatis.* Profeſſionem auſpicatus eſt Oratione inaugurali *de Tractatione verbi divini*, quae an lucem publicam adſpexerit, ignoro. Uxorem duxit Luciam Spruyt die III Januarii MDCXL. Obiit XVIII Maji an. MDCLXXVII. & laudes ejus decantavit Joh.

Voe-

Voetius, uti conſtat ex epiſtola Graevii tom. IV. Syll. Epiſt. Burm. p. CCCCXIX.

Scripta, quae reliquit, ſunt:

Triumphus crucis, ſive fides catholica de ſatisfactione Jeſu Chriſti; aſſerta & vindicata ab exceptionibus atque objectionibus Socinianis, nominatim vero ab illis, quas Jo. Crellius Francus in reſponſione ſua ad librum celeberrimi viri Hugonis Grotii de eodem argumento protulit. Amſtel. MDCXLIX. & Belgice Roterodami MDCLI. 8. vid. Voet. tom. V. Diſput. Theol. p. CCCVIII. qui & in Biblioth. ſtud. Theol. lib. II. pag. DLVI. *ſcriptum* hoc *eruditum* vocat. Hunc laborem tantum inveniſſe in erudito orbe adplauſum, ut ob operis ſoliditatem ad Profeſſionem Theologicam evectus fuerit auctor, ſcribit Celeb. van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. LXXXIX. Hunc librum Ordinibus noſtris dedicavit, prius libello ſupplici licentia petita & impetrata, uti didici ex actis Ordinum IX Julii MDCXLIX.

De moralitate Sabbathi. MDCLVIII.

Diſquiſitio de moralitate Sabbathi hebdomadalis MDCLXV.

Diſſertationes de Decalogo & die Sabbathi adverſus Abrahamum Heidanum. Traj. MDCLXVI. 4. quibus reſpondit Heidanus, & Eſſenium *indignum, qui Aeneae magni dextra cadat*, ſcribit Naeranus in Epiſt. praeſt. viror. Epiſt. DCX.

Vindiciae quarti praecepti in Decalogo. Ibid. MCDLXVI. quae Diſſertationes ſcriptae ſunt contra avum b. m. Franciſcum Burmannum, qui celeberrimi Cocceji ſententiam tuebatur.

Defenſio conſilii Theologici Ultrajectini de Canonicatibus, Vicariatibus &c. MDCLVIII. 4. cui Mareſius libel-

 lum

lum oppoſuit hoc titulo *Vindiciae de Canonicis Ultrajectinis adverſis Eſſenium.* Groningae MDCLX. 4.

Syſtema Theologicum. Traject. MDCLIX. III. tom. II. vol. ubi in Praefatione tomi ſecundi promittit *Syſtema practicum.*

Synopſis controverſiarum Theologicarum, & Index locorum totius ſacrae ſcripturae, quam Amſtelaedami MDCLXI. Traject. MDCLXII. MDCLXXVI. & MDCLXXVII. prodiiſſe adfirmat Lipenius Biblioth. Theolog. real. p. CCCCXLI. & CCCCLX.

Compendium Theologiae dogmaticum. Traject. MDCLXIX. & MDCLXXXV. 8.

Apologia pro miniſtris in Anglia non conformiſtis.

Diſſertatio de ſubjectione Chriſti ad legem divinam. cujus meminit Voetius tom. III. diſp. Theol. p. DCCCXX. & Lipen. t. II. Bibl. Theol. p. DCCLXXXVI.

Doctrina de noſtra redemptione per meritum Jeſu Chriſti.

Inſtructio ſalutaris de Judaeis.

Refutatio vere catholica contra Pontificios, ſcripta contra auctorem ſcripti vernaculi, cui titulus *Montſtopper.* vid. Voet. tom. V. Diſp. Theolog. p. CCCCXXXVII.

Oratio de Celſitudine perſeverantiae, quam male anno MDCXIII. prodiiſſe adfirmat Lipenius d. l. p. CCCCLXXIV. niſi inter vitia typographica, quibus Lipenii Bibliotheca ſcatet & abundat, adnumeremus.

Oratio funebris in obitum Gualteri de Bruyn. Traj. MDCLIII.

Oratio funebris in obitum Gisberti Voetii. Ibid. MDCLXXVII. 4.

Varias quoque diſſertationes Theologicas conſcripſit pro more illius temporis, quo non tam raro, ut

hodie,

Triumphus Crucis ultrajecti 1664. in 4 . . . . quoj. Gelliam [illegible]

hodie, ſed per quaecumque fere hebdomada exercitia publica a Profeſſoribus exhibebantur.

Germanice prodiiſſe ejus *Adnotationos ad parabolam*, quae habetur Matthaei XVII. com. XXIV. anno MDCLXXII. 8. tradit Lipen. d. l. p. CCCCXCI. Edidit vero Elſenius, notante Mollero Iſagog. ad Hiſtor. Ducat. Sleſvic. & Holſat. part. II. cap. V. §. ult. Belgice *Conſiderationem Parabolae Matthaei* XIII. *comm.* XXIV. *&* *ſeqq.* contra Johannem Labadie ejuſque adſeclas, quae in linguam Germanicam verſa prodiit Caſſellis anno MDCLXXI. 8. quam indicare Lipenium credo.

EYCKIUS (ARNOLDUS) Hic a Valerio Andrea vocatur *bonarum literarum in Gymnaſio Ultrajectino Profeſſor*, & a Sweertio in Athen. Belg. *bonarum artium profeſſor.* quem titulum an unquam habuerit dubito, cum eo tempore nulli adhuc Profeſſores hic cogniti. Diligentiſſimus Reitzius, qui hodie ſumma cum induſtria ſcholas noſtras moderatur, in Oratione de origine Gymnaſii Hieronymiani, quam anno MDCCXXXIV. publice habuit, eum anno MDLXXXII. ſcholae Hieronymianae non praefectum fuiſſe, quum Sarcerius eo tempore hoc munus obiret, probat, illiſque adnumerat, qui animi cauſa publice hic literas profeſſi fuerunt, & ex Valerio Andrea in Johanne Heurnio oſtendit jam anno MDLV hic loci literas docuiſſe. Si pro anno MDLV ponamus MDLVIII. (uti quoque mentem vigilantiſſimi noſtri Reytzii fuiſſe exiſtimo ex computatione annorum Heurnii, qui anno MDXLIII. natus, anno MDLVIII. & non MDLV quindecim annorum aetatem adtigit) forte ſtatui poſſet Eickium ſucceſſorem Macropedio datum, qui eo anno obiit, ut in Macropedio videbimus; & in ea ſtatione permanſiſſe ad an-

num MDLXXVIII. quo Rectori & praeceptoribus miſſio data, aliique in eorum locum ſuffecti videntur. Conjecturae huic anſam praebent verba decreti, quae inveni in actis noſtrorum magiſtratuum XXIII Septemb. MDLXXVIII. quae ita ſe habent: *Aangeſien het quaat regiment, dat een wyle tyts gehouden is in de ſchole van Sint Hieronymus tot athterdeel van de gemeente deſer ſtad, ſoo is by den Rade gereſolveert, dat men de ſchole tot behouff van de ſtad aenſlaen ſall, ende voirts uytſien ende vernemen na goede ende bequame Rector ende Meeſters, dair by de jonge kynderen wel gedient, ende de voirſcreve ſchole wederom in zyn oude fleur ende ere gebrocht mach worden, op alſulke ordonnantie, als tanderen tyden dair van geconcipieert is, ende men noch verder concipieren ſal moghen.* Si porro initium praefecturae ſcholaſticae Sarcerii ad annum MDLXXVIII. & non ad annum MDLXXVII. ponamus, omnia recte convenient. Niſi dicamus in alia ſchola Eyckium juventutem erudiiſſe; in eccleſiis enim ſcholas fuiſſe notum eſt. vid. Matth. t. III. Analect. p. CCCCXLIII. Quidquid ſit, conſtat juventutem primis utriuſque linguae rudimentis inbuiſſe, & *clarus in puerorum ingeniis formandis vir* dicitur a M. Adam. Vit. Medic. p. CLXIV. Epitaphium ipſi poſuit Arnoldus Buchelius, quod habet Aicher part. III. ſcen. VI. Theatr. Funebr. p. CCCXCIX.

Eickius hic jaceo, quem Trajectina juventus
Viventem coluit, poſteritaſque colet.
Moribus & geſtis, vivo inſuper ore docebam
Nuper, nunc ſileo, ſed mea ſcripta docent.

Edidit *Grammaticam Graecam* partim metro, partim pro-

proſa, & *Tabulas* in eandem. an. MDLXXXII. typ. Plantin. 4. ubi in carmine ad Magiſtratus Trajectinos Th. Canteri & Adriani van der Burch auſpiciis has *Tabulas* editas profitetur.

Decalogum Moyſis verſu elegiaco reddidit forma tabulae.

Libellum Epithalamiorum.

Conſcripſerat quoque libellum *de Miraculis, diverſis tumultibus & caſibus iſtius temporis*, quem magni aeſtimare ſolebat, ſed injuria inter libros ejus venditus, & ubi latet ignorari dicitur.

Ejus carmina non magni aeſtimantur, & quidam ſtringens ex obliquo poëmata Eyckii hoc diſtichon compoſuit:

Cum tua duritie ſuperent Epigrammata quercum,
Jure tuum cingat querna corona caput.

Vid. Val. Andr. Bibl. Belg. p. LXXX. & Sweert. Ath. Belg.

F.

FRIECK (EVERHARDUS) Hic a Valerio Andr. Biblioth. Belg. p. CCXII. & Heuſſ. tom. I. Hiſt. Eccl. p. CXXV. dicitur Juriſconſultus, & Decanus ad S. Salvatorem Ultrajecti, vixiſſe circa annum MCCCLXXX. & ſcripſiſſe ad inſtantiam Gerardi magni *Concluſiones*, quibus vitam in communi degentium multis argumentis adprobat. Nullum tamen hujus nominis inter Decanos Eccleſiae Salvatoris Trajectenſis memoratum video. Suſpicor itaque Valerium Andream, &, qui praeeuntem more ſuo ſecutus eſt, van Heuſſen, erraſſe,

raſſe, ac legendum eſſe *Everhardus Foeyck* vel *Foeck*, qui in Decani dignitate ſucceſſit *Gerardo Foeck* mortuo die VIII Martii an. MCCCLXXXIII. ipſe vero *Everhardus* diem obiit XXVI Martii an. MCCCCXVIII. Vid. van de Water Placcaatb. tom. I. pag. CCXLVIII. Certe ne is intelligi poſſit, ratio temporis non adverſatur.

G.

GEROBULUS, lingua vernacula OUTRAADT, (JOHANNES) Trajectinus, qui primis emendatae religionis temporibus variis in locis patriae noſtrae egregium eccleſiaſten egit, ut Delfis, Fliſſingae, Harlingae, Daventriae, Harderovici, ac tandem Trajecti, ſuffectus anno MDXC auctoritate Magiſtratuum Johanni Utenbogartio, qui anno praecedenti cum Wernero Helmichio miniſterio remotus erat.

Scripta ejus ſunt:

Waaragtig verhaal van den ſtaat der Gereformeerde Kerke, die den Zoone Gods binnen Utrecht door 't Euangelium vergadert wort, mitsgaders van alle anderen mindere dingen, tot hulpe en onderhoudinge van den zelven ſtaat aldaar gebruikelyk en in train zynde. MDCIII. Qui libellus hodie rarior fundationes variarum Eccleſiarum Trajectenſium aliaque ſcitu digna comprehendit.

Bericht voor de kranken. Amſt. MDCXVI.

Contra Cornhertium *Vindicias Catechiſmi Heidelbergenſis* conſcripſiſſe tradit Voetius Polit. Eccleſiaſt. part. I. lib. II. Tract. III. cap. I. & Biblioth. Stud. Theolog. lib. I. cap. XVII. pag. CXCVII. edit. poſt.

Paraphraſim Pſalmorum Theodori Bezae vertiſſe, didici

didici ex Revio Davent. Illuſt. p. DXV. qui ex Praefatione inſcripta Principi Arauſionenſi & Ordinibus Generalibus praecipua ejus fata enarrat.

GESSELIUS (JOHANNES CORNELIUS) Amersfortius, Liberalium artium magiſter, & ſcholae patriae moderator. Burgersdicum celebrem illum Leidenſem Philoſophiae Profeſſorem ejus diſcipulum fuiſſe patet ex Cunaei Oratione funebri in Burgersd. quae exſtat apud Witte Memor. Philoſ. p. CCCXXVII. ut & Rudolphum Snellium. vid. Vorſtii Orat. Funebr. Rud. Snellii p. VII. Cum vero huic ludo literario per quinquaginta annos praefuiſſet, anno MDCXIX, quia decretis & canonibus Synodi Dordracenae ſubſcribere recuſabat, ſpartam deſerere coactus eſt, & obiit in ultima ſenectute anno MDCXXVII. Ex uxore Wittia, quæ ipſi ſupervixit, filium Timannum, alioſque reliquit. Edidit

Cornelii Valerii dialecticam Erotematibus diſtinctam. MDLXXXIV. 8.

Colloquia puerilia Latino-Belgica, aliaque in uſum diſcipulorum, uti refert Verhoeven apud Matth. rer. Amersf. ſcript. p. LX. qui & carmine funus ejus proſecutus eſt, quod ibidem legitur.

Meminit & hujus Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DVI.

GESSELIUS (TIMANNUS) Amersfortius, Johannis filius, Medicinae Doctor, & ſcholae Amersfortenſis Prorector. Quum vero Arminii dogmata ſequeretur, & decreta Synodi Dordracenae ſubſcriptione ſua confirmare nollet, miſſio ipſi data, & urbem patriam relinquens, primum Neomagum, deinde Trajectum ſe contulit, ibique medicinam exercuit, & conſenuit, omnibus propter animi moderationem & doctrinam charus, & Celeb. Voetius in Polit. Eccl. part.

I. lib. IV. tract. I. cap. x. p. DLIV & DLV. eum pronuntiat non tantum *virum eruditum ex cœtu Remonſtrantico*, ſed & *ab haereſi Antitrinitaria alienum.* & Cl. Graevius Orat. in Obit. Diemerbroekii haec de eo teſtatur: *Quem non tantum artis, quam exercebat conſummata ſcientia in magna apud omnes gratia poſuit, & dignatione: ſed & longe ſuper vulgus eruditorum & mortalitatis terminos evexit cognitio hiſtoriae Eccleſiaſticae, quam pereruditis libris illuſtravit, qui in doctorum manibus & ore verſantur. Eum comitabatur rara pietas, & bene merendi de omnibus prolixa voluntas, in primis de Chriſtianorum, tot opinionum & ſententiarum divortiis in tot partes diductorum, religione, de cujus concordia dies noctesque cogitabat.* &c.

Scripta ejus ſunt:

Epiſtola de ſuperficie veſicae cruſta lapidea obducta multitudine calculorum, inpreſſa cum *J. Berovicio de Calculo* Leidae MDCXXXVIII. 12. vid. Linden. d. ſcript. Med. l. I. in Tim. Geſſel.

Hiſtoria ſacra & eccleſiaſtica ordine Chronologico & via compendiaria digeſta. Traj. MDCLIX. II. vol. 4. quam obtulit Ordinibus noſtris, qui hanc Dedicationem ſibi gratiſſimam dono ſexcentorum florenorum agnoverunt. Hanc *Hiſtoriam* commendandam, quia ejus ſcopus eſt non tantum veritatem geſtorum proponere, ſed etiam *moderationem & concordiam lectorum animis offerre, laudare & quaſi inplantare*, teſtatur Jo. Fabric. t. v. Hiſtor. Bibl. Fabric. p. CCLXIX. Boeclerus vero in Bibliographia Critica cap. VII. §. VIII. miratur Geſſelium in hac *Hiſtoria Eccleſiaſtica* non dubitaſſe magno cum periculo & damno exiſtimationis ſuae, fabulam de dono Conſtantini M. reponere, addens; *mirum proinde eſt*

eſt ſcriptorem, qui in tam magno argumento aliquid praeclari promittit, tales nugas in media luce literarum adferre.

Hiſtoria rerum memorabilium in orbe geſtarum ab anno mundi usque ad annum Chriſti MCXXV. Ibid. MDCLXI. de qua Vid. Fabric. de Scriptor. Verit. relig. Chriſt. c. XXXI. p. DCI. quam *Hiſtoriam* antequam in publicum emittebat, primum legendam tradidiſſe Chriſtiano Rodenburchio, & Henrico Moreelſe, eruditiſſimis ſummi Tribunalis quondam Senatoribus, & quorum prudentiſſimis conſiliis nonnulla addita, deſcripta, & emendata, lubens fatetur in Praefatione. *Addenda*, quae vocat, deſumpſiſſe ex Antonio Godavio Gallo quodam teſtatur Schurzfleiſch. Epiſt. LIII.

Antiqua & vera fides & ſola ſervans. Traject. MDCLXIV. 4.

Sub nomine *Simplicii Chriſtiano-Catholici* edidit *Synopſin.* Amſtelod. MDCL. 12. vid. Placc. Theatr. Pſeudon. p. DLXVIII. quam deinde edidiſſe hoc titulo *Simplicitas Fidei Chriſtianae* Traj. MDCLXVI. 4. teſtatur Fabric. tom. V. Hiſt. Bibl. Fabric. p. XIII.

Liber ejus poſtumus *De diſtractione Imperii & Eccleſiae*, memoratur a Graevio Epiſtol. ad Heinſ. tom. IV. Syllog. Burm. p. DCCXV.

Vid. Verhoeven apud Matth. rer. Amersf. ſcript. p. LXII. & Fabric. d. l.

GILBERTUS (DAVID) Hujus mentionem inveni apud Cel. Voetium in Biblioth. Stud. Theol. lib. II. pag. DLII. & Polit. Eccl. part. II. lib. II. tract. I. cap. I. ubi dicitur Ultrajectinus, & fixiſſe lares Amſtelaedami, ibique obſtitiſſe ſtultis conatibus *Jacobi Bohmen*, vulgo dicti *Philoſophi Teutonici*, qui Eccle-

ſiam, ejuſque doctrinam, paſtores & doctores, & omne externum eorum miniſterium contemnendo, ad ſpiritum & inſpirationes ſuis ſimiles revocare ſtudebat. Contra libros hujus Jacobi Belgice *Admonitionem* edidit Gilbertus, & cum ei Johannes Theodorus van Tſchesch Eques Sileſius *Defenſionem Jac. Bohmen* opponeret, noſter anno MDCXLIV. repoſita *Admonitionis ſuae apologia*, phanaticam illam Philoſophiam compreſſit.

GOOR (ARNOLDUS A) Meurſenſis, Liberalium artium Magiſter & Theologiae candidatus, VII Septemb. MDCXXXV facultatem impetravit per hebdomada duas lectiones in Philoſophia Practica habendi, deinde in recens erecta Academia Trajectina extraordinarii Profeſſoris titulo XI Julii MDCXXXVIII ornatus, Philoſophiam per breve tempus docuit; cumque a Principe Arauſionenſi Quaeſtura Comitatus Meurſenſis cum aliis dignitatibus (Lantrentmeeſter, Rechter en Leengriffier van 't Graaſſchap Meurs) ipſi oblata eſſet, miſſionem impetravit VIII. Octobr. MDCXXXVIII. ibique obiit. Edidit

Diſputationes Ethicas. Traj. MDCXXXVII. 4.

Collegium Diſputationum Philoſophiae practicae. Ibid. MDCXXXVIII.

GORLAEUS (DAVID) Trajectinus. Philoſophus non incelebris fuit, iiſque, qui Ariſtotelem impugnare auſi ſunt, adnumeratur. Floruit vero initio ſeculi decimi ſeptimi. Ejus ſub nomine prodierunt

Exercitationes Philoſophicae, quibus Philoſophia Theoretica fere univerſa diſcutitur, & plurima ac praecipua Peripateticorum dogmata evertuntur. Leidae MDCXX. 8. quae poſt ejus mortem editae, de quibus hoc judicium fert Morhovius t. II. Polyhiſt. lib. I. cap.

XII. §. V. *Liber eſt exiguus, ſed tamen cum aliquo ingenio ſcriptus. Incipit a Philoſophia in genere, hincque ad Metaphyſica & Logica pergens, multa illic ſtatuit a Peripateticis diſcrepantia. Procedit deinde ad Phyſica, in quibus ſuas ſequitur hypotheſes, Ariſtotelicaſque impugnat; quarum praecipuae ſunt illae, coelum nihil aliud eſſe, quam extenſionem aeris: duo fecit mixtorum elementa, terram & aquam: ignem e numero elementorum excludit, merumque facit accidens, quod etiam primarium Carteſianorum dogma eſt.* vid. & lib. II. part. I. cap. XV. § II. Gisb. Voetius aegerrime tulit, quod Henricus Regius doctrinam hujus Gorlaei de Unione animi & corporis propagaret ac defenderet, uti narrat Baelius in Lexic. t. II. p. DLXXVII.

Meminit hujus quoque Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CLXXIII. & Sweert. Ath. Belg. p. CCV. vid. & Reimman. Introd. in Hiſt. Lit. Germ. lib. II. ſect. III. pag. CCCCXXXV.

GOTHOFREDUS (HALOINUS) Inluſtre hujus viri elogium nobis dedit Celeb. Voetius Polit. Eccl. part. II. lib. III. Tract. IV. cap. III. pag. DCCLVII. Cujus verba, etſi longiora, quum & fata ejus continent, hic deſcribenda exiſtimavi. Ita vero ſe habent: *Memorandus mihi Haloinus Gothofredus Ultrajectinus, Philoſophiae & Theologiae Doctor, qui anno* MDCIX. *in miniſterio eccleſiae Heusdanae immatura & luctuoſa, & illi, & eccleſiis Belgicis, morte ad meliorem vitam tranſlatus fuit. Vir erat magni ingenii, & pro illa aetate excellentis eruditionis, vitae & converſationis caſtigatae, orthodoxiae tenax & zelotes, poſtquam Arminianas, quae tunc ſerpebant, novitates probe exploraſſet ac perſpexiſſet, uti ego tunc Theologiae in Academia*

mia Leidenſi ſtudioſus coram ex ipſo, & ex ſcriptarum in I. *Cap. ad Romanos concionum in aedibus viduae poſt obitum ipſius lectione didici, & juxta mecum ſatis certi erant auditores ex habitis illis concionibus, in quibus praemonebat contra novos illos ſpeculatores. Propterea etiam ſuſpectus ac formidoloſus miniſtro illi in urbe Ultrajectina, qui conſilio & ductu Johannis Utenbogard anno* MDCVIII. *introductus, Remonſtantismum hic moliebatur, & jam aures Senatus urbici, aut vocalium in illo Senatu, nec non Ill. Dom. Ordd. per miniſtrum illum politicum (qui omnium apud ipſorum dominationes potens tunc cluebat) occupaverat. Quo factum ut tam excellentis ingenii, tam eximiae eruditionis, tam felicium donorum concionandi, tantae in ſtudiis & pragmatia eccleſiaſtica, diligentiae tam* ἀνεγκλήτου *vitae & converſationis, nulla haberetur ratio, cum occaſio eſſet ad Ultrajectinae hujus urbis eccleſiam eum traducendi, cum tamen civis eſſet, &* ἴδιος *in ſtudiis Academicis in Belgio, & in exteris Academiis ac promotionibus peculiari favore, patrocinio & liberalitate Ill. DD. hujus Provinciae Ordinum nutritus, tantisque eruditionis & virtutis teſtimoniis ornatus, ex peregrinatione rediiſſet, & tam probe & fideliter in eccleſia hujus Provinciae in aggere Martini (Meertensdyk) miniſterio aliquamdiu defunctus. Et ut videas quomodo praeſtantiſſimi quique tepidis aut novaturientibus non aſſentientes & ſubſervientes, ab iisdem arceri ſolent, miniſtro Heusdano Nicolao Houweningen, qui miſſionem ipſius petitum venerat, non tantum Ill. Ordd. (ſine quorum conſenſu & approbatione tales* ἴδιοι *peculiariter obſtricti ad miniſteria in hac Provincia obeunda dimitti non ſolent) conſenſus procuratus fuit; ſed & dicto miniſtro Heusdano,*

prae-

praeter expenſas in divortio hic factas, inſuper honorarium centum florenorum donatum fuit. Qui poſtquam bene & ἀδαπάνως hic habitus eſſet, & onere illo non gravante ſaburratus, non verebatur illis, qui haec procurarant ante diſceſſum dicere, ſi hinc abducens Doctorem Theologiae tanto honorario mactor, quantum mihi exſpectandum ſi doctorem Theologiae vobis adducerem. Haec ab eodem miniſtro Heusdano mihi aliiſque ita narrata memini. Ut redeam eo, quod dicere inſtitueram: Haloinus hic Gothofredus in peregrinatione ſua magiſterio Philoſophiae decoratus, Heidelbergae ſceleton Ethicae, Oeconomicae, Politicae, ex Ariſtotelis textibus ubique annotatis, publicis diſputationibus ſub praeſidio ſuo ventilandum propoſuit, & typis deſcriptum vulgavit. Idem in illuſtri ſchola Herbornenſi (quae tunc non minus ac Academiae, imo ſupra Academias aliquot florebat) totam Logicam a ſe contextam diſputationibus publicis ſub praeſidio ſuo ventilandam propoſuit, & typis deſcribendam dedit. Inde digreſſus ad Academiam Baſileenſem ſe contulit, ibique aliquamdiu ſtudia Theologica proſecutus, titulo Doctoris Theologi inſignitus fuit, ſolenni diſputatione III *Septemb. anno* MDCIII. *conſcripta & habita hoc titulo: Theorema Theologicum Conſubſtantiationis & Tranſubſtantiationis dogma iisdem argumentis everti & refelli. Ubi decem adducit rationes, quibus utrumque dogma evertatur. Hanc diſputationem dedicarat Ill. Provinciae Ultrajectinae Ordinibus his verbis: Cum Deo, vobisque, viri illuſtres, viſum ſit, me ex Academiis evocatum functioni eccleſiaſticae mancipare, ex voluntate veſtra peracta, domum meditor, meque coram vobis ſiſto, hoc unum teſtatum faciens, mihi nihil aliud curae futurum, quam ut poſt Deum vobis*

patriaeque meae inſervire queam, cum vos ſitis illi, qui me primum in illuſtri collegio Paulino ſub excellentiſſimo viro domino Franciſco Meyero, poſt autem in celeberrimis & inclytis Germaniae Academiis ad humanarum et ſacrarum literarum ſtudia liberaliter foviſtis etc. Oblitus fui indicare in manus meas deveniſſe exemplar tomi Ariſtotelici, qui Practica continet, graeci ex editione Wecheli in 4. quem laudatus noſter Haloinus Heidelbergae triverat, paſſim ſubductis lineis & notulis marginalibus, plerumque loca concordantia Ariſtotelis indicantibus, conſcribillati, praecipue in Politicis, & Ethicis Nicomachicis. Ut vel hinc, & ex Diſputationibus practicis in 8. editis videas, non trivialiter tantum compendium aliquod Ethicum aut Politicum legendo, ſed ipſum Ariſtotelem Graece loquentem verſando, & imprimendo, verſatum fuiſſe. Ignoſcat lector memoriam illius viri civis Ultrajectini & aliquamdiu in eccleſia patria eccleſiaſtae fideliſſimi, atque ibi in domino defuncti, hac occaſione celebranti.

GOUDA (JOHANNES DE) parentibus patriciis noſtra in urbe natus anno MDLXXI. & diverſus a *Johanne de Gouda* Carmelita, qui & *Johannes Palaeonydorus* ſive *de Veteri aqua*, a loco natali Oudewater vocatur. Societati Jeſu Tornaci nomen dedit anno MDLXXXVIII. deinde per XXV annos Bruxellis & Antwerpiae eccleſiaſtae munere functus eſt, *tanta*, inquit Miraeus, *dicendi facilitate ac venuſtate, tanta ſimul efficacia dipſutandi, ut ex merito haereticorum malleus, & murus catholicorum audiret, quem dicendi ſplendorem virtutibus maximis ornavit.* Hanc famam apud Papicolas meruit, quia in ſermonibus, quos ad populum habebat, adſidue eos, qui purioribus ſacris nomen dederant,

rant, traducebat & calumniabatur. Deum enim in concionibus ſolitum fuiſſe provocare tradit Voetius tom. III. diſp. Theol. p. MCXX. qui & tom. V. p. DCCXLVIII. notat Theologos ſcripturarios *Fratres Biblicos*, & foeminas Biblia legentes *Sorores Biblicas* & *Sacerdotes Novi Teſtamenti* per contemptum vocare ſolitum fuiſſe. vid. & Voet. Polit. Eccleſ. part. I. lib. III. Tract. III. cap. I. §. IV. Obiit Bruxellis XXVIII. Decemb. MDCXXX. aetatis LIX.

Acerrimus hic avitarum ſuperſtitionum vindex varia ſcripta contra emendatae religionis antiſtites, Belgico ſermone evulgavit. Sub ejus nomine prodierunt:

Apologia pro venerabili Euchariſtiae ſacramento, & vera panis ac vini in corpus & ſanguinem dominicum tranſubſtantiatione contra Fredericum & Samuelem Lansbergios miniſtros Roterodamenſes. Antv. MDCIX. 8. continens diſputationem privatim habitam cum Lansbergio Roterodamenſi verbi divini Praecone, cujus meminit Voetius de Polit. Eccl. part. III. lib. III. Tract. IV. ſect. I. cap. I.

Victrix tranſubſtantiatio contra eosdem. Ibid. MDCXI. 8.

Demonſtratio cl. mendaciorum Henrici Boxhornii. Ibid. MDCX.

Pro cultu & invocatione ſanctorum adverſus Boxhornium, Perkinſonum & Bogardum. Ibid. MDCXI.

Pro iisdem propoſitionibus adverſus Henricum Boxhornium Apoſtatam & Miniſtrum Bredanum, ſive Reſponſio ad Veredarium & ſomniatorem Boxhornium MDCXIV.

Apologia pro VIII. *propoſitionibus catholicis Franciſci Coſteri adverſus Henricum Brand Miniſtrum Zirixaeum.* Ibid. MDCXI.

Examen Fr. Gomari, Joh. Utenbogardi & Dan. Caſtellani.

Apologia pro conſultatione Joannis Leſſii, quaenam fides ſit capeſſenda, adverſus Michaelem Hogium. Ibid. MDCXII. 12.

Contra Hoji calumnias & mendacia. MDCXIII. 8.

Explicatio brevis myſterii S. Euchariſtiae. Sylvae ducis MDCXII. 12.

Examen de officio et auctoritate Magiſtratus Chriſtiani in rebus fidei eccleſiaſticis.

Refutatio pugnae oblatae catholicis a quatuor Miniſtris Calvinianis Sylvaeducenſibus, qui ſtatim a capta per haereticos urbe eo convolaverant. Antverp. MDCXXX.

Elogia hujus Jeſuitae nobis reliquerunt Alegambe Biblioth. Script. Societ. Jeſ. Miraeus de Script. ſec. XVII. cap. CCXXVI. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DIX. Sweert. Athen. Belg. p. CCCCXXXII. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXX. & Heuſſ. t. II. Hiſt. Eccl. p. CXXXIX.

GRAEVIUS (JOHANNES GEORGIUS) Naumburgi in Saxonia die XXIX Januar. an. MDCXXXII. natus, Graecas Latinaſque literas in Gymnaſio Portenſi didicit; hinc in Lipſienſem Academiam miſſus eſt, ubi Andream Rivinum, & Johannem Strauchium cognatum ſuum, (ſub quo defendit VII Id. Febr. an. MDCL. Diſſertationem II. ad Tacit. de Morib. Germanorum, quae legitur inter ejus diſſertationes editas Francof. MDCLXXXIII.) Hiſtoriarum & literarum humaniorum Profeſſores audivit. Deinde Daventriae per duos annos Johanni Frederico Gronovio, cui eum commendaverat Reineſius: vid. Epiſt. Reineſ. ad Daum. XXXII. & XXXIII. adhaeſit. Inde Amſtelaedamum petiit, ubi eo tem-

tempore Alexander Morus eloquentiae praecepta tradebat, & David Blondellus ſacras & profanas hiſtorias docebat. Quibus praeceptoribus cum per biennium uſus eſſet, ſummo deſiderio Galliam & Italiam videndi flagrabat, uti patet ex tom. IV. Syll. Burm. Ep. IV. Quod cum non ſuccederet, anno MDCLVI. Duisburgum ſe contulit, ubi literas humaniores docendi provincia ipſi demandata, & anno ſequenti accitus a parentibus aegrotantibus, patriam adiit, eodemque anno rediit. vid. Ibid. Epiſt. IX, XI, XII & XIV. Deinde Daventrienſes anno MDCLVIII. Gronovio Leidam evocato ſucceſſorem dant, ubi cum per triennium moratus eſſet, Trajectenſes XIX Aug. MDCLXI. eum ſibi vindicant, ut Aemilio ſuccederet, ubi ſumma cum doctrinae & eruditionis fama maximo concurſu auditorum literas humaniores profeſſus eſt. Bis ab Amſtelodamenſibus expetitus ſplendidiſſimo honorario & toties a Leidenſibus, imo a Veneta Republica, ut Octavio Ferrario ſuccederet, & ab Electore Palatino in Academiam Heidelbergenſem, abnuit, & Trajectinis ſe addixit. Vid. Syll. Burm. tom. III. p. DCCCXLVII & DCCCXLVIII. tom. IV. Ep. LVII, LXII, LXIII, CVIII. & ſeqq. & t. V. pag. CXVII.

Symbolo uſum fuiſſe, *ſi vis amari ama*, notat Crenius Animadv. Phil. & Hiſt. part. XI. pag. CXLII. & firmat monumentum, quod inter diſcipulos ejus, quorum humeris ſepulchro inlatus eſt, diviſum fuit, cui idem ſymbolum inſculptum legitur. Fratrem habuit in India degentem, uti patet ex tom. IV. Syll. Burm. p. DLXXIV. qui an idem, qui primo a ſecretis, deinde Conſul Lipſienſis fuit, ignoro. Uxorem duxit Odiliam de Camp, virginem Duſſeldorpienſem, quae maritum

octies & decies parentem fecit. Ex tanto autem liberorum numero non niſi quatuor filiae parentibus ſuperſtites fuerunt. Filium habuit *Theodorum*, qui anno MDCXCI. Lector Eloquentiae & Hiſtoriarum creatus, *Callimachum* edere propoſuerat, ſed praematuro fato extinctus, uti notat vener. Pat. ad Sueton. Claud. cap. x. patri abſolvendum reliquit an. MDCXCVII. II. vol. 8. de qua elegantiſſima & hodie rara editione vid. Fabric. t. II. Bibl. Graec. lib. III. c. XIX. §. v. qui recte Graevium noſtrum *virum numquam ſatis laudandum, & elegantiſſimae doctrinae* pronuntiat in Bibliogr. Antiq. lib. I. cap. VI. vid. & c. XI. §. XX. & lib. II. c. VIII. §. v. & lib. IV. cap. XV. §. VII. Mortem hujus filii dolet & eum ſolatur Schurzfleiſch. Epiſt. DLXXXIII. & carmine elegantiſſimo Broekhuſius Poëmat. p. LV. Notas tamen in *Callimachum* non a filio, ſed ab ipſo patre confectas exiſtimavit Baelius in Epiſtol. p. CCCLXXIV. cujus verba ſunt: *on ne croit pas, que les notes ſoient d'autre main, que de celle de ſon illuſtre pere, qui vouloit mettre ſon fils en reputation par ce tendre ſtratageme.* referente Kleſekero in Biblioth. Erudit. Praecoc. p. CVIII. Leporinus in Memoria Wolfiana p. XXXIX. narrat Wolfium rogaſſe Graevium, quare religionem mutaverat, (Lutheranam enim antea profeſſus erat) illumque, non lubenter ea de re interrogatum, reſpondiſſe, *eſſe delicta juventutis*, aliaque narrat, quae Graevii religionem ſuſpectam faciunt. Obiit autem anno MDCCIII. & oratione funebri parentavit ei venerandus Pater. Duo haec Epitaphia in honorem Graevii a viro quodam docto compoſita, exhibet Bernard Nouvell. de la Repub. des lettres, Mars MDCCIII.

Siſte.

Siſte. gradum.
Quiſquis. es. viator.
Quis. hic. jaceat. ni. barbarus. es. ad. te. pertinet.
Hic. jacet:
JOANNES. GEORGIUS. GRAEVIUS.
Eruditorum. ſui. temporis.
ſe. ſolo. judice. excepto.
Princeps.
Orbis. literati.
Perpetuus. absque. invidia.
Dictator.
Quidquid. Graecia. quidquid. Roma.
Invenit. ſcripſit. reliquit.
Optimi.
Scivit. docuit. exornavit.
Ingeniorum. fautor. fervidiſſimus.
Quas. ſcrinio. pectoris. continebat. opes.
Omnibus. elargiens.
Omnes. eo. quo. pervenerat. evehere. ſtudens.
Hoc. omnium. quae. tentavit. unum. non. eſt.
aſſecutus.
Omnibus. faventi. faverunt. omnes.
Bellum. indixit. nemo.
Ne. virtuti. videretur. bellum. indixiſſe.
Doctior. fuerit. an. melior.
Ornamenti. plus. antiquis.
expenſo. tulerit. an. accepto.
utrumque. reliquit. incertum.
de. tota. poſteritate. meritiſſimus.
aevi ſui. ſplendor. &. amor.
I. nunc.
Et. quidquid. fuit. vel. eſt.

Labore. improbo. ſcrutare.
memoria. tene.
ingenio. vince.
Principes. Europae. ſummos. in. amicitia.
bonos. in. clientela.
gentes. omnes. in. diſciplina.
Fama. bonitate. doctrina.
Si. potes. tua.
Merere. tene. habe.
Haec. omnia. praeſtitit.
GRAEVIUS.
&
FUIT.
Aliud
Siſte. viator.
Hic. jacet:
JOANNES. GEORGIUS. GRAEVIUS.
Tantum. eſt.
Ubi. ſim. ignorare. poteras.
Quis. fuerim. non. potes.

Varii vero Auctores & virorum doctorum opera ejus cura & induſtria prodierunt, quibus magnam gratiam apud eruditos iniit.

Primum ejus nomine prodierunt *Caſauboni Epiſtolae*, Brunsvici an. MDCLV. ſed eo invito & deprecante, Typographus nomen ejus in fronte libri inſcripſit. vid. Syll. Burm. tom. IV. Ep. VI.

Edidit *Luciani Soloeciſtam*. Amſtel. MDCLXVIII. 8. quo labore plus olei & operae perdidiſſe quam ad Juſtinum, ipſe fatetur t. IV. Syll. Burm. Epiſt. XLII. hoc libello maximam famam adeptus eſt, & linguae Grae-

cae

cae peritiam egregiam oſtendit; ſed anno MDCLXXXVII. prodierunt duobus voluminibus *Omnia Luciani opera*, de qua editione non tam benigne ſenſerunt viri docti. vid. Acta Lipſ MDCLXXXVII. p. DLXX. & Cleric. Hiſt. Univerſ. t. VI. p. CCCIII. vid. & Fabric. t. III. Bibl. Graec. lib. IV. c. XVI. §. III. Praefationem in *Lucianum* laudat Weiſſius. Epiſt. XLV.

Heſiodum. Amſtel. MDCLXIX. 8. cum notis, quas *Lectiones Heſiodeas* vocat, repetitis in editione Clerici. vid. Fabric. t. I. Bibl. Graec. lib. II. cap. VIII. §. XXI. quas notas *eruditiſſimas* teſtatur Morhovius lib. VII. cap. II. §. III. Polyh. liter. & *exquiſitiſſimas* vocat Wachius in not. ad Caton. brev. ſentent. XI. pag. LXVIII. editionis Arntzenii.

Juſtinum. Traj. MDCLXIX. 12. & cum notis variorum Leidae MDCLXXXIII. Amſt. MDCXCIV & MDCCVII. 8.

Catullum, Tibullum, Propertium, cum integris Scaligeri, Mureti, Achillis Statii, Rob. Titii, Hieron. Avantii, Jani Douſae patris & filii, Theod. Marcilii, & ſelectis Paſſeratii aliorumque notis. Traj. MDCLXXX. 8.

Suetonium Traj. MDCLXXII. in 4. & Amſtel. MDCXCVIII. 8. & cum notis variorum Hagae MDCXCI. Traj. MDCXCIV. & MDCCIII. 4. de qua editione vid. Fabric. Bibl. Latin. t. I. lib. II. cap. XXIV. Ejuſque notae repetitae in nupera editione, quam evulgavit venerandus Pater.

Florum. MDCLXXX. MDCXCII. & MCCII. 8. in qua editione illud praecipue laudat Morhovius lib. IV. Pol. XIII. §. VI. quod ſubjecerit imagines & nummos, in quibus vel imperatores vel alii clariſſimi viri, vel actus denique reipublicae & antiquitates repraeſentantur, quibus oculo una cum hiſtoria objectis tenacior inhaeret

memoria rerum illarum; & quod praemiſerit *Diſſertationem de Flori ſtilo*, in qua per totum Florum excerpit inepte ac adfectate dicta, a quibus cavere debent, qui illum legunt. Notae Graevii exſtant & in nitidiſſima editione Flori, quam adornavit Cl. Dukerus Leidae anno MDCCXXII. 8. ubi in Praefatione egregie Graevii judicium de ſtilo Flori vindicat contra Begerum.

Ciceronis Epiſtolas ad familiares, cum notis integris P. Victorii, P. Manutii, Hier. Ragazonii, Dionyſii Lambini, Fulvii Urſini, nec non ſelectis Jo. Fred. Gronovii, Bernardi Rutilii, Jani Gebhardi, aliorumque, & antea ineditis Mureti atque H. Valeſii. Amſt. MDCLXXVII. & MDCXCIII. II vol. 8. & cum ſolis Graevii notis Amſtel. MDCLXXXIX. 12.

Ciceronis Epiſtolas ad Atticum, cum notis integris P. Victorii, P. Manutii, Malaeſpinae, Lambini, Fulvii Urſini, Sim. Boſii e chirographo ejus auctioribus, Franc. Junii & Popmae, ineditis etiam antea Iſaci Caſauboni, Mureti & Jo. Fred. Gronovii, ſelectisque Conradi atque aliorum. Ibid. MDCLXXXIV. II vol. 8.

Ciceronem de Officiis, cum integris animadverſionibus Lambini, Fulvii Urſini, Car. Langii, Franciſci Fabricii, & Aldi Manutii, tum ſelectis aliorum Mureti, Rachelii &c. Amſt MDCLXXXVIII. & ex recenſione & cum notis Graevii Ibid. MDCXCI & MDCXCIX. 8. de qua editione vid. Morhov. Polyh. IV. cap. XI. §. VII. & Fabric. Bibl. Latin. tom. I. lib. I. cap. VIII.

Ciceronis Orationes, cum ſcholiis Q. Aſconii Pediani ad MSS. emendatis, & anonymi veteris Scholiaſtae, notisque integris Franc. Hottomanni, Dionyſii Lambini, Fulvii Urſini, Pauli Manutii, & ſelectis tum aliorum, ut Faerni, Mureti, Lauredani ſive Sigonii, tum Nicolai

colai Abrahami. Amſtel. MDCXCIX. VI vol. 4. de qua vid. Fabric. d. l. Hanc editionem *mendoſiſſimam* adpellavit Crenius Anim. Phil. & Hiſt. part. XVI. p. CXLI. quod iniquius quam verius ab eo pronuntiatum teſtatur Fabricius t. II. Bibl. Latin. lib. I. cap. VIII. Peſſime tamen contextum Orationum in hac editione emendatum, pluribuſque quam oportuerat vitiis deformatum eſſe, non negaturum, qui hac editione uti conſuevit, mihi adfirmavit eruditiſſimus Drakenborchius.

Julium Caeſarem, cum commentariis Dyoniſii Voſſii, G. J. filii, additis Caeſaris fragmentis, Jo. Scaligeri notitia Galliae, & notis ſuper appellationibus locorum aliquot & gentium apud Caeſarem. Amſtel. MDCXCVII. 8. Quam editionem non mediocriter commendare ſubjunctos *de vita Caeſaris commentarios* Julio Celſo perperam a nonnullis tributos, ſcribit Fabric. t. I. Bibl. Lat. lib. I. cap. X. repetita eſt haec editio Leidae MDCCXIII. 8.

Phaleucos luſit in *Abrahami Weſelii commentarium ad novellas conſtitutiones Trajectinas.* vid. tom. IV. Syll. Burm. Ep. CLXXV.

Edidit & *Theſaurum Antiquitatum Romanarum*, qui prodiit ex officina Petri van der Aa & Franciſci Halmae Leidae & Trajecti an. MDCXCIV. & ſeqq. XII vol. fol. de quo vid. Fabric. Bibliogr. Antiq. cap. III. §. X. laudat & van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. LXXXIV.

Martini Lexicon Philologicum, cui ſubjecit *Iſidori Gloſſarium* cum notis ſuis. Traj. MDCXCVII. fol. Vid. Act. Erud Lipſ. Apr. MDCCIII.

Meurſii Ceramicum Geminum. Traj. MDCLXIII. 4.

- - - *Cretam, Cyprum & Rhodum.* Ib. MDCLXXV. 4.

- - - *The-*

- - - *Theſeum, ſive de ejus vita, geſtisque librum.* MDCLXXXIV. 4.

- - - *Themidem Atticam* MDCLXXXV. 4.

- - - *de Regno Laconico.* MDCLXXXVII. 4.

Monumenta illuſtrium virorum & Elogia aucta antiquis monumentis in agro Trajectino repertis. Traj. MDCLXXI. fol.

Petri Petiti diſſertationem de Nepenthe Homeri, ſive de medicamento Helenae, luctum omnemque animi aegritudinem abolente, & aliis quibusdam eadem facultate praeditis. Traj. MDCLXXXIX. 8.

Ferrarium de ritu ſacrarum concionum. Ibid. MDCXCII. 8. cum Praefatione quam *eruditam* vocat Hausmannus Introd. in Notit. Scriptor. Homileticorum cap. III. §. III.

Franciſcum Junium de Pictura veterum. Roterod. MDCXCIV. fol. de qua editione vid Acceſſion. ad Morhov. lib. V. Polyh. cap. II. §. XIV. Praemiſit Graevius *Vitam Junii*, in qua non exacte temporum computationem obſervatam adfirmat Niceron. Memoir. des homm. illuſtr t. XVI. p. CCIV.

Huetii poemata Latina & Graeca. Traj. MDCXCIV. 8. vid. Morhov. lib. VII. cap. III. §. X.

Albertum Rubenium de vita Fl. Manlii Theodori.

Danielis Eremitae aulicae vitae ac civilis lib. IV. & *ejusdem Opuſcula varia.* Ibid. MDCCI. 8.

Syntagma Diſſertationum rariſſimarum, Hiſtorico-Philologicarum, quas viri doctiſſimi ſuperiori ſeculo elaborarunt. Traj. MDCCII. 4. vid. Act. Erud. Lipſ. Martii MDCCII.

Corpus Inſcriptionum Gruteri edere in animo habuit, quod deinde Amſtel. MDCCVII. II vol. cum Praefatione

ne venerandi Patris prodiit, quam Praefationem ſequitur Epitaphium, elogia & imago Graevii.

Theſaurum Italiae edere quoque in ſe ſuſceperat, quorum tres tomi poſt ejus mortem prodierunt, quibus Praefationem praemiſit celeberrimus Perizonius, reliquis venerandus Pater.

In editione *Lactantii*, quam Bauldry adornavit, conſpiciuntur & notae Graevii. Et animadverſiones ejus *in Auſonium* exſtant in editione Tollii, quam evulgavit MDCLXXI. & *in Rutilium* in editione Almeloveniana an. MDCLXXXVII. 12.

Homerum edere conſtituiſſe docet ex Boſii epiſtolis ad Reineſium Fabricius Bibl. Graec. t. I. lib. II. cap. III. §. XIX. ut & *Polyaenum* tom. III. lib. IV. c. XV. §. VII.

Novam molitum eſſe *Philoſtrati* editionem probat Fabricius t. IV. Bibl. Graec. lib. IV. c. XXIV. §. XI.

Politicam Ariſtotelis cum Paraphraſi Danielis Heinſii evulgare voluit. vid. Syll. Burm. t. IV. Ep. I. ut & *Vitas Scheelii, Gronovii & Terburchii*. Ibid. Ep. DCXXIII.

Promiſerat quoque ſe *Nicolai Heinſii vitam* literis mandaturum, eamque ob cauſam ei commiſſa erat inſignis conlectio Epiſtolarum, quas viri docti ad Nic. Heinſium conſcripſerant, ut & commentarii legationis, quam nomine reipublicae foederati Belgii Heinſius in Suecia obierat; quae omnia haeredes Heinſiani, Graevio mortuo, receperunt.

Juſſus ſcribere *Hiſtoriam Gulielmi* III. ſtipendio annuo mille florenorum, de qua omnia egregia ominantur auctores novae Bibliothecae Germanice editae t. I: p. XXXII. quum jam ad an. MDCLXXII. pervenerat, obiit.

Ejus *Praefationes & cxx. Epiſtolas* cum oratione venerandi Patris in illius obitum, edidit celeberrimus Fabricius Hamb. mdccvii. 8.

Orationes ejus edidit venerandus Pater Leidae mdccxvii. 8. qui & tom. iii & iv. Sylloges Epiſtol. varias ejus elegantiſſimas Epiſtolas, praeſertim mutuas cum Nicolao Heinſio, cum orbe erudito communicavit.

Ejus nomine prodiit *Cohors Muſarum, ſive Hiſtoria rei literariae, nec non Hiſtoria Bibliothecalis, cum ſynopſi rei nummariae & ratione temporum, accurante Wolpherdo van Buren.* Traj. mdccxv. 8. quam recenſent Lipſienſes Act. Erud. Novemb. mdccxvi. graviter vero hunc editorem reprehendit reverendus Pater in Praefat. ante Orat. Graevii. vid. & Journal literaire tom. vii. pag. ccccxxxi.

Ejus *Praelectiones de Judiciorum Romanorum ordine*, edi optat Slevogtus in Diſſertatione de in jus vocatione antiqua & nova, notante Fabricio Bibliogr. Antiq. c. xv. §. xii.

Graevium cum ſcriptores Latinos, quos Claſſicos vocant, ederet, Juntarum, ubi potuit, editiones inprimis conſuluiſſe, teſtatur Zeltnerus in Theatro virorum eruditorum, qui ſpeciatim Typographis laudabilem praeſtiterunt operam pag. xi. in quo tamen fallitur, quum hoc ſolum Juſtinum ſpectet, quem ex editione Juntae multis locis emendavit. Zeltnerus ibidem Graevium vocat *Clariſſimum olim Germanorum in Belgio decus*, & *virum Graece & Latine doctiſſimum* pronuntiat Schurzfleiſch. Epiſt. ccccxcvii. & *politioris doctrinae primipilus* dicitur a Struvio Biblioth. Numm. cap. i. ſect. vii.

Eli-

Elogium Graevii vid. in Act. Erudit. Lipſienſ. April. MDCCIII., ubi mortem ejus adnuntiant, & Fabric. t. III. Hiſt. Biblioth. Fabric. p. CCLXXIV. & Niceron. Memoir. pour ſervir a l'Hiſt. des homm. illuſt. t. II. p. CCXXXIX.

H.

HADRIANUS SEXTUS Papa Romanus. Hujus viri natales, infantiam, ſtudia, honores, fata & merita anno MDCCXXVII. in editione *Analectorum Hiſtoricorum de Hadriano* VI. expoſuimus, ideoque Lectorem, qui ea ſcire deſiderat, ad illa ablegamus.

HAEFTENUS (BENEDICTUS) Trajectinus, in baptiſmo praenomen *Jacobi* acceperat, quod poſtea cum religionem Benedictinam Affligemii profeſſus erat, mutavit, nomenque *Benedicti* adſumpſit. Affligemii enim primaevam & ſtrictiorem regulae Benedictinae obſervantiam, ſive reformationem, anno MDCXXVII. recepit, ibique Praepoſitus conſtitutus, obiit anno MDCXLVIII. & hoc ipſi monumentum poſitum, quod legitur in Le Grand Theatr. Sacr. de Brab. t. I. p. II. p. CCCXLIV.

Aeternae memoriae reverendi admodum Domini
D. BENEDICTI HAEFTENI
Hujus Monaſterii Praepoſiti, morum integritate,
Candore, modeſtia, eruditione, ſcriptis
Clariſſimi.
Qui poſtquam ſuis ad ſuſcipiendam hic
Caſſinenſem
Obſervantiam praeiviſſet,

Rebus multis domi, foriſque praeclare geſtis
Migravit ad Chriſtum anno MDCXLVIII.
Pridie Kal. Auguſti, aetatis anno XL.
Dignitatis XXXII.
Hic quicumque legis moriturus, & ipſe precare
Mortuus aeterna pace quieſcit, Amen.

Ubi tamen male aetatis annus inpreſſus legitur, nam anno MDCXVI. jam Praepoſitus electus dicitur in ſerie Praepoſitorum, quae pag. CCCXLVI. exhibetur. Si vero defunctus ſit anno aetatis XL, anno VIII. aetatis Praepoſitura ei demandata eſſet, quod abſurdum. Dolendum vero, quod in libro, qui non niſi magnis ſumptibus comparari poteſt, talia vitia occurrant.

Scripta ejus ſunt:

Paradiſus, ſive Viridarium Catechiſticum, odis, ſive cantionibus Belgicis & Latinis ad muſicos tonos conſitum. Antverp. MDCXXII. 4.

Schola cordis, ſive averſi a Deo cordis ad eundem reductio & inſtructio, cum iconibus aeneis. Ibid. MDCXXIX. 8.

Panis quotidianus, ſive Meditationes ſacrae in ſingulos anni dies diſtributae. Ibid. MDCXXXIV. 12.

Propugnaculum reformationis Monaſticae Ordin. S. Benedicti. Cui reſpondendo oppoſuit *Scutum inexpugnabile aequitatis* Carolus Rymius ad S. Petrum in monte Blandinio Gandavi Abbas.

Diſquiſitiones Monaſticae, quibus S. Benedicti regula, & religioſorum rituum antiquitates variae dilucidantur, praemiſſa S. Benedicti vita. MDCXLIII. fol.

Venatio ſacra, ſive de Arte quaerendi Deum libri

XII.

XII. Qui liber poſt ejus mortem prodiit Antverp. MDCL. fol.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. cx & DCCCLVIII. Miraeus de Script. ſec. XVII. cap. CCXXXVIII. H. V. R. ad Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXXXVIII. ubi adducit elogium, quod ipſi dedit Edmundus Martene, qui eum *virum aeterna memoria dignum* pronuntiavit.

HAGHEN (THEODORUS AB) Trajectinus, Fuit hic Phyſicus atque Aſtrophilus, qui frontiſpicium illud literatum, cui varia ex ſacris literis inſculpta legebantur, e regione pontis Praeſidiarii hac in urbe aedificaſſe dicitur. Edidit

Prognoſticon ſtellare ab orbe condito in diem usque noviſſimum juxta errantium ſiderum habitudines. Traject. MDCLII. 4.

Haec de eo nobis reliquit Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCCXXIII. neque apud alios ejus mentionem inveni.

HALEN (HERMANNUS AB) natus Trajecti III Kal. Sept. an. MDCXXXIII. Perceptis utriusque linguae fundamentis, primum Philoſophiae, deinde Theologiae operam dedit. In qua praeceptoribus uſus Voetio, Hoornbeekio & Eſſenio, tantum profecit, ut inter candidatos receptus, anno MDCLVIII. praeficeretur Eccleſiae in pago Kleyn Ammers dicto, unde anno MDCLXIV. ad Eccleſiam Trajectinam transfertur, ſimulque cum avo beatae memoriae Franciſco Burmanno verbi divini preconis munus auſpicatur. Anno MDCLXXXI. extra ordinem Theologiae Profeſſor creatus, biennio poſt inter ordinarios recipitur, & tam in Eccleſia quam in Academia praeclari Theologiae doctoris partes ſuſtinuit ad annum naſcentis hujus ſeculi primum, quo Kal. Martiis animam Deo reddidit,

dit. Et memorabile eſt, quod licet ſchola ejus non magna juvenum frequentia celebraretur, nullos tamen ex ea dimiſerit, qui non ad ampliſſimas ſtationes pervenerint, & inter diſertiſſimos in patria noſtra miniſtros habiti ſint.

Oratione funebri memoriam ejus commendavit venerandus Pater.

Edidit paucarum paginarum libellum, continentem, ſi bene memini, *Judicium de uſu Rationis in rebus Theologicis.* Traj. MDCLXXXVI. 8.

In animo habuiſſe concinniorem Theologici ſtudii ordinem ſcripto conſignare; ſed opus hoc media fere parte typis deſcriptum mortem interrupiſſe, teſtatur optimus Parens in Oratione funebri.

HARAEUS (FRANCISCUS) vulgo *van der Haer*, Ultrajectinus. In Academiam Lovanienſem miſſus, alumnus fuit Collegii Standonici, uti legimus apud Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. p. CLXXIV. Theologiae operam dans, audivit Johannem Molanum Theologiae Profeſſorem Lovanienſem, uti ipſe teſtatur in Praefatione de Vitis Sanctorum. Quum Theologiae Licentiatus honorem obtinuiſſet, Duaci per aliquot annos Rhetoricam docuit. Deinde peregrinationem inſtituit, Germaniam Galliam & Italiam perluſtravit, inde Muſcoviam cum celeberrimi nominis Jeſuita Antonio Poſſevino petivit. In patriam reverſus primo Canonicus ad S. Johannem Sylvaeducis, deinde Trajecti quiete aliquamdiu vixit, paulo poſt Namurci in S. Albini, dehinc Lovanii in D. Jacobi, Canonicatum obtinuit, & obiit Lovanii XII Jan. MDCXXXII. ſepultus in Eccleſia primaria Sylvaeducenſi, ubi adhuc ſupereſt hoc monumentum, quod ſibi & collegae Simoni Verepaeo poſuit. D.

D. O. M.
DEXTRE ET GNAVITER

Sibi ſuòque D. SIMONI VEREPAEO Dommelano, hujus Eccleſiae Sylvaeducenſis Canonico, D. FRANCISCUS HARAEUS Ultrajectinus, S. Theol. Licent. vivens poſuit, memor Lethi.

Italos, Suecos, Gallos luſtrando quid egi?
Chriſte, tua eſt virtus hinc meliora ſequi.
Lector eram, brevibus deſcripſi geſta piorum;
Paſtorem inde gregis luſtra habuere duo.
Poſt Verepaee fuit, tuus ut collega vocarer,
O utinam dignus nominis & meriti?
Te ſchola docta colit, colit & pia turba precantum,
Tu mihi & aeternae duxque comeſque viae.

Vid. Le Grand Theatr. Sacr. de Brab. tom. IV. p. XLIII.

Scripta, quae edidit, ſunt:

Compendium ex Laurentii Surii tomis VII *de Vitis Sanctorum.* Antv. MDXCI. 8. quod Lugdunenſes iteratis typis evulgarunt. Optima editio duplo auctior, perpetua chronologia & variis notis inluſtrata, prodiit Coloniae MDCV. fol. ubi in praefatione auctor malam fidem Lugdunenſium exponit, & nullo delectu quasdam hiſtoriolas inſperſas queritur. vid. Poſſevini App. Sac. t. I. p. DLXXXIV.

Olympiades & Faſti concordi ſerie hiſtoriae ſacrae & non ſacrae uſque ad Chriſtum paſſum. Coloniae. MDCII. 4. altera editio ſub hoc titulo prodiit, *Concordia Hiſtoriae ſacrae & profanae per Olympiades & Faſtos a Roma con-*

condita uſque ad Chriſtum paſſum ex optimis auctoribus ſtabilita. Antverp. MDCXIV. 4.

Chronologia brevis ab orbe condito ad Chriſtum paſſum, clare demonſtrans Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam Dan. IX. *praenuntiatum.* Quem librum Antverpiae in 8. excuſum, licet annum non indicet, ſcribit Imbonatus in Biblioth. Latino-Hebraica pag. CCCLVI.

Chronicon univerſale.

Pro libertate Ordinum Belgii *Vindiciae* ſive *Sincera declaratio cauſarum belli Belgici.* Francof. MDCXX.

Annales Ducum Brabantiae totiusque Belgii. Antv. MDCXXII & MDCXXIII. III tom. fol. in quibus eum nimis partibus Hiſpanorum ſe addictum oſtendere, teſtatur Boeclerus in Bibliographia Critica cap. XIII. §. VI.

Catena aurea in quatuor Euangelia, adſumpto nomine *D. Thomae Aquinatis.* Antverp. MDCXXV. 8. quam anno MDCXVI. prodiiſſe adfirmat Lipenius Bibl. Theol. real. p. DCXXXIV. cui tamen minime fidere poſſumus, quum infinitos errores in eo deprehenderim.

Biblia Sacra vulgatae editionis Sixti V *juſſu recognita, cum expoſitionibus priſcarum vocum literalibus & myſticis.* Antverp. MDCXXIX. fol. hanc editionem ad annum MDCXXX. refert Fabricius t. VII. Bibl. Graec. lib. V. cap. XVII. pag. ult. ut & Mayerus in Biblioth. Biblic. Diſſert. V. §. XIV. qui & repetitam editionem anno MDCL. in fol. memorat.

Expoſitio S. S. Patrum in Epiſtolas S. Pauli. Antv. MDCXXX. 8. quam anno MDCXV. prodiiſſe ſtatuit Le Long Bibl. Sacr. t. II. p. DCCLXIV.

Lipenius in Bibl. Theol. t. II. p. DCCII. meminit ejus *Tractatus de Sacramentis.* Venet. MDXCIX.

Bel-

Belgico idiomate evulgavit *Spiritualem Medicum*, ſive *den Geeſtelyke Medicynmeeſter*, an. MDLXXXIX. juxta Sweertium, vel MDXCIX. 8. juxta Valer. Andr.

Ut & *Diſcurſum de initio belli Belgici ab anno* MDLXVI. *uſque ad annum* MDCVIII. Antverp. MDCXII. 8. ſpecimen majoris operis & hiſtoriae univerſae de tumultibus Belgicis, quam poſtea in *Ducum Brabantiae rerumque Belgicarum hiſtoria* amplius proſecutus eſt, & deſcripſit.

Multa vero eum deſcripſiſſe a Ponto Heutero, & plagiarium fuiſſe teſtatur Crenius Diſſer. I. de Furib. Librar. §. L.

Vid. Val. Andr. Bibl. Belgic. p. CCXXXI. Sweert. Ath. Belg. p. CCXLIV. Catulli Tornacum p. XVIII. Miraeus de Script. ſec. XVII. cap. CCVI. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXXII. Graev. Orat. in L. Acad. Traj. nat. & H. V. R. in notis ad Heuſſ. Hiſt. Eccl. t. II. p. CXLI.

HATTEM OLIVERIUS AB) Trajectinus, fuit Lipſii diſcipulus, & cum antea per XIV annos puriorum ſacrorum miniſter fuiſſet, ad Papicolarum caſtra tranſiit cum uxore & novem liberis, & Lovanii Medicinae Doctor creatus, obiit Antverpiae an MDCX. aetatis XXXVIII. ubi conditus hoc Epitaphio, quod exſtat in Le Grand Theatr. ſacr. de Brab. t. II. part. I. pag. CXXVII.

D. O. M.

Nobili viro D. OLIVERIO AB HATTEM Ultrajectenſi Medico, qui in haereſi Calviniana educatus, in qua verbi divini miniſter exſtitit ann. XIV, *divina tandem gratia mirabili cum tota familia converſus eſt ad Fidem Catholicam S. R. Eccleſiae, quam & ſcriptis illuſtravit, & ob eandem cum uxore & cum* IX *liberis*

exul tertio ſuae converſationis anno hic quietis locum accepit anno 1610. *die* 23 *Decembris.*

Scripſit:

Verdeediging waarom hy van de Kalviniſten is afgevallen, en van de teekenen der Katolyken en der nieuwe Euangeliſſchen. Loven MDCX.

Verdeediging tegen de Bedienaars van den Gereformeerde Godsdienſt.

Praeter haec nihil ſcripſit, ideoque vix memorandus videtur, cum unica ratio, quare a Papae adſeclis encomiis ornatus ſit, fuerit turpis apoſtaſia. Quia tamen a Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCVII. Miraeo de Script. ſecul. XVI. cap. CLXXII. Witte Diar. Biogr. ad. ann. MDCX. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXL. ejus mentio fit, eum omittere nolui.

HELMICHIUS (WERNERUS) Trajecti natus anno MDLI, inter primos Eccleſiae hujus civitatis numerandus. Anno enim MDLXXIX. inter ordinarios miniſtros adlectus eſt, & cum aliis quibusdam verbi divini preconibus in Angliam ad Eliſabetham Reginam ablegatus, ad inplorandam ejus operam, ut in pacificatione cum Hiſpanis ineunda ſtipularetur liberum ſacrorum emendatorum exercitium; & Reginam Eliſabetham *juventutem ejus admiratam* fuiſſe narrat Utenbog. Hiſt. Eccl. III. pag. CCLXIV, ut & Schookius Exercitat. Var. XVIII. §. XIV. p. CCLVII. qui & Paſtorem Trajectinum *ante primam barbam* fuiſſe ibidem tradit, quum jam XXVIII. aetatis annum ageret. In Eccleſia Wallonica ſimul cum Utenbogardo varias habuit conciones. Primus fuit, qui in templo majoris eccleſiae, invitis Canonicis, XV Januarii MDLXXXI. publice divina oracula interpretatus eſt. Anno MDLXXXIX.

miſſio-

miſſione ei a Magiſtratibus data, uti narrat Borrius lib. XXI. Hiſtor. & Utenbog. Hiſt. Eccl. cap. III. pag. CCLXXI. Hollandiam petiit, & anno ſequenti Delphis paſtoris munus egit, unde evocatus ad profeſſionem Theologicam Leidae, conditionem abnuit, uti refert Voetius Polit. Eccleſ. part. II. lib. III. Tract. II. cap. X. Anno MDCII. ab Amſtelodamenſibus in Paſtorem electus, obiit XXIX Auguſti MDCVIII Amſtelodami. vid. Voet. t. III. Diſp. Theol. p. MCXXII. & tom. V. p. CCCCXIX. Trigland. Kerk. Hiſtor. IV. p. DCCI. & non Delphis, ut male Witte Diar. Biogr. ad ann. MDCVIII. Magni eum habuit Voetius, qui tom. V. Diſp. Theol. p. DCCXII. eum *Theologum praeſtantiſſimum* vocat, & in Therſit. Heautont. p. CCXCI. *Pium pariter atque eruditum Theologum, patriae ſuae Ultrajecti ornamentum, lumen eccleſiarum Belgicarum.* & in Bibl. Studior. Theol. lib. II. pag. DLXXII. *vere & ſolide eruditum Theologum, merito Lumen Eccleſiarum Belgicarum dicendum.* & tom. III. Diſp. Theol. p. MCXXII. *eruditiſſimum Theologum;* ubi ejus *Emortuale*, quo ſuos contra minantem tunc & formidatam ortodoxae religionis mutationem hortatus fuerat, *ut conſtanter manerent, ſeu ſtarent in ſalutari doctrina, quam ipſos docuerat*, Arminium in publica lectione vellicaſſe, quaſi hoc Papiſmum ſaperet, narrat. In praefatione ante Joh. Utenbogartii vitam dicitur *Een van de geleerſte, treffelykſte, godſaligſte, en welſprekenſte mannen van 't ganſche land.* & part. III. Hiſt. Eccl. p. CCXX. ed. pr. *Een geleert godzalig en wel begaaft predikant.* & a Trigland. Hiſt. Eccl. pag. CCCCXIV. *Een geleert, godvrugtig, welſpreekent, vriendelyk en aangenaam predikant.* Ejus quoque

 men-

mentio in Epiſtolis praeſtantium virorum LV, LIX & LX.

Ejus eſt *Gladius Goliathi*, quo axiomata & praejudicia Coſteri Jeſuitae ſubtiliter & ſcite admodum in Papatum & Coſterum retorſit, juxta Voet. t. v. Diſp. Theol. p. CCCCXXXVI.

Pſalmorum Davidis & aliorum Prophetarum analyſis. Amſtel. MDCXLI. 4. vid. Le Long Biblioth. Sacr. t. II. p. DCCLXIX.

Epiſtolam ejus ſcriptam Abrahamo Muyſenholio exhibet Crenius Animad. Phil. & Hiſtor. part. XVII. pag. CXIII.

HENRICI (GUILIELMUS) Amersfortius, Theologiae & Juris Canonici Doctor, Gymnaſiarcha, poſtea primus Rector fratrum bonae voluntatis, ſive Hieronymitarum Amersfortii, deinde Antiſtes, ſive ut vulgo dicunt, Generalis totius ordinis S. Franciſci tertiae Regulae. Hic inter eruditos Amersfortios enumeratur a Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. ſcript. p. XLVII.

HESIUS (EVERARDUS) Amersfortius, Theologiae Licentiatus, & collegii S. Willibrordi Lovanii Regens, obiit Lovanii MDCXXXV. relictis quibuſdam bonis dicto collegio. Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. p. CCCXXII. Hic quoque a Verhoeven apud Matth. rer. Amersf. ſcriptor. p. L. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXCIX. inter doctos, quos Amersfortium protulit, enumeratur. An vero aliqua ingenii & eruditionis monumenta poſteritati reliquerit, non addunt, neque veroſimile, cum Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica nullam ejus mentionem faciat.

HESIUS (JOHANNES) Presbyter Trajectenſis, famam adeptus eſt ob peregrinationes, quas per remo-

motiſſimas regiones inſtituit anno MCCCCLXXXIX. & deſcripſit in *Itinerario ſuo*, *ſive peregrinatione Hieroſolymitana*. Quod *Itinerarium* initio naſcentis Typographiae primum prodiit cum *literis Soldani ad Pium Papam*, & hujus reſponſo: Item cum Epiſtola *Johannis Presbyteri* Imperatoris Aethiopici. Deinde prodiit Daventriae typis Rich. Pafraet. MCCCCXCIX. & Antverp. MDLXV. in 8. ut ex Voſſio & Morerio docet Oudinus de Script. Eccl. t. III. p. MCCXL. MS. exſtare in Bibliotheca Tegernſeenſi teſtatur Bern. Pez. Diſſert. Iſagog. ad Tom. I. part. III. Theſaur. Anecdot. Noviſſ. pag. LXXXVII. Pariſienſem editionem in 4. quae in Bibliotheca Leidenſi exſtat, memorat Fabric. Biblioth. Med. & Infim. Latinit. lib. VIII. p. DLXXXI. Non vero benigne de eo judicat Franc. Ferdinand. de Cordova cap. IX. Multipl. Didaſcal. p. CXIII. qui *totum hoc Itinerarium innumeris & portentoſis ſcatere mendaciis fabuliſque* ſcribit.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DXV. Sweert. Ath. Belg. p. CCCCXXXVII. Heuſſ. Hiſt. Eccl. t. II. p. CXL. & Fabric. d. l. qui editionem Daventrienſem ad an. MCCCCXC. refert. Idem vero lib. IX. p. CCXXXVIII. iterum memorans Johannem Heſium, hoc *Itinerarium* Daventriae anno MDIV. prodiiſſe adfirmat.

HEUMEN (JOHANNES AB) Trajectinus, Theologiae Licentiatus & Protonotarius, Roterodami Papicolarum paſtor fuit, ibique obiit anno MDCLXXIII. Edidit lingua Belgica

Den ſterfelyken Adam. 4.

De mediteerende Duyf over de Zondagen en Heylige dagen. Antwerp. MDCLVIII. 12.

Het Klooſter van Zion in VI *deelen*. Antverp. eod. an. 8.

Latina ſcripta ſunt *Joſef ſomnians* & *Joſef accreſcens*. Vid. Heuſſ. tom. III. Hiſt. Eccl. p. DCXXXIX.

HEURNIUS (JOHANNES) Trajecti natus XXV Januarii an. MDXLIII. patre Ottone, quem vini venditorem fuiſſe tradit Nicol. Comnen. Papadopoli in Hiſtoria Gymnaſii Patavini tom. II. lib. II. cap. XXVII. & matre Gertrudi van Velſen, filia Lamberti & Eliſabethis de Ryk. Puer in diſciplinam Georgii Macropedii & deinde Arnoldi Eyckii traditus, tam hebetis & tardi ingenii fuiſſe dicitur, ut ante annum undecimum vix prima elementa tenuerit, & ante decimum quintum vix Grammaticam perceperit. Ex ludo literario annum XVIII aetatis agens dimiſſus, Lovanium adiit, ubi per biennium ſub Gemma Friſio Philoſophiae & Medicinae operam dedit. Deinde Lutetiam ſe contulit, ubi per triennium Carpentarium & Ramum in Philoſophia, Turnebum & Auratum in literis humanioribus, & Duretum in Medicina audivit. Anno XXIV. aetatis in Italiam profectus, Patavii cum Petro Foreſto, Joanne Duvio, Buſenio & Teilingio Batavis, celeberrimis Medicis ut Capivaccio, Stephanillo, Mercuriali, Paterno, Aquapendente, & Guilandino praeceptoribus uſus eſt, & anno XXVIII. aetatis Ticinum profectus, Gabrielem Cunerium Anatomen docentem audivit, ibique, omni Medicinae ſcientia inſtructus, Doctoris titulum anno MDLXXI. adeptus eſt. Tantaque rei medicae peritia pollebat, ut non tantum Nicolaus Renaldus Peronotus Dominus a Granvella, per biennium eo Medici titulo uſus ſit; ſed & quidam illius Academiae Profeſſor ejus ingenium & eruditionem tantopere ama-

amaret & adprobaret, ut ipſi unicam filiam cum profeſſione & omni haereditate tradere in animo haberet, quod munus ſe egregie ſuſtinere poſſe publicis lectionibus in Academia Ticinenſi habitis oſtenderat. Verum Itali, Batavo hunc honorem invidentes, in perniciem ejus conſpiraverunt; quare non tuto ibi poſſe verſari animadvertens, poſt duodecim annorum abſentiam in patriam rediit, ibique artem medicam exercuit, & Comitibus de Egmont, & Domino de Noortcarmes, qui eo tempore civitati noſtrae praefectus erat, a Medicina fuit, & inter Senatores hujus urbis adſcribitur. Verum homo Muſis & tranquillitati deditus, multis precibus vacationem hujus muneris rogavit, &, quamvis difficulter, inpetravit. Non diu poſt Leidam ad profeſſionem medicam evocatur anno MDLXXXI. ubi per viginti annos ſumma cum doctrinae fama artis medicae praecepta tradidit, & primus Anatomiam propria manu adminiſtravit. Praxin quoque feliciſſime exercuit, & Guielmo Principi Arauſionenſi ſaepius medicinam fecit, uti teſtatur Barlaeus p. I. Epiſt. CLXVIII. Non inelegantem hiſtoriam de Heurnio, qua ratione Aemiliae Principis Mauritii ſorori germanae perſuaſerit, ut, cum Emanuel Portugallus ab ejus congreſſu arceretur, cui clam nupſerat, edere ac bibere vellet, narrat Borrius lib. XXXIX. Hiſt. p. XXIII. ubi hoc encomio eum ornat: *die, behalven zyne geleertheid, een zeer ſachtmoemoedig beleeft en vriendelyk man was.* A Friſiis, ut Franequerae Medicinam doceret, honeſtiſſimo ſtipendio evocatus, conditionem abnuit. Obiit anno MDCI. ex calculi dolore, quem morbum contraxiſſe tradit Gouthoven Chron. p. CCXXIII. ex uſu vini Rhenani muſti in quodam convivio. Cadavere diſſecto in ejus

ve-

veſica reperti ſeptem calculi ſatis magni, utpote ſimul quatuordecim drachmas pendentes. Sepultus eſt Leidae ubi memoriae viri optimi hoc monumentum poſitum, juxta Melchiorem Adamum:

MEMORIAE. SACRUM.
JOANNI. HEURNIO.
AD. PHILOSOPHIAE. ET. MEDICINAE.
LAUDEM. NATO. ULTRAIECTI.
ANNO. MDXLIII. STYLO. ANTIQ.
MANE. POST. HORAM. V.
MORIBUS. SANCTISSIMIS. ET. INGENIO.
SUPRA. HOMINEM. PRAEDITO.
QUI. CUM. LEIDENSI. ACADEMIAE.
INSERVIISSET.
PRIMARIA. PROFESSIONE. HIPPOCRATICA.
RECTORATUS. SEXIES. FUNCTIONE.
SUMMA. SCRIBENDI. CELEBRITATE.
PER ANNOS. XX.
DENATUS. LEYDAE.
ANNO. CIƆIƆCI. AUG. XI. STYLO. NOVO.
EODEM. FERE. QUO. NATUS. MOMENTO.
VIXIT. ANNOS. LVIII.
MENSES. VI.
DIES. VII.

Et

Et Daniel Heinſius ei hoc Epitaphium poſuit:

JOANNI HEURNIO

Eodem in loco cum uxore ſepulto.

Hic ille Heurniades, cui ſe tot maxima debent
Nomina, cui debet ſe Medicina, jacet.
Suſtulit hunc magni tortor crudelis Eraſmi,
Quem toties aliis ſuſtulit artis ope.
Ne tumulo quid deſit; adeſt fidiſſima conjux,
Et vitae comitem nunc quoque mortis habet.
Sic olim conjuncta thoro, nunc juncta ſepulcro
Continuat pactam, nondum aliena, fidem.

Dodo Richea, ſive Otto Aicher Theatr. Funebr. part. III. ſc. V. p. CCCXXVI. Sweert. Ath. Belg. p. CCCCXXXIX. Meurſius, Freherus & alii aliud epitaphium exhibent hoc modo:

HIC. SITUS. EST. JOANNES. HEURNIUS. VIR. CELEBERRIMUS. IN. ACADEMIA. LEIDENSI. PRIMARIUS. MEDICINAE. PROFESSOR. PER. ANNOS. XX. ET. IN. EADEM. VI. RECTOR. MAGNIFICUS. MAGNAE. PRUDENTIAE. SUMMAE. IN. DOCENDO. ET. SCRIBENDO. VENUSTATIS. AC. CELEBRITATIS. VITA. LAUDABILITER. TRANSACTA. OBIIT. XI. AUGUSTI. CIƆIƆCI.

Heurnius Hippocratis genius hac conditur urna,
Cui non inveniet terra Batava parem.

Flete o Paeonides & crines ſolvite Muſae,
Occidit hic veſtri famaque ſolque chori.
Verdoeſius Med. poſuit.

Uxorem duxit Chriſtinam Beyer filiam Wilhelmi Canonici Eccleſiae metropolitanae Trajectinae & Margaretae Leyſter, & conſanguineus Meurſii fuit, vid. Meurſ. praefat. ante Hypercriticum Minutianum. Merito Guielmus Stratenus in prologo ſive Oratione inaugurali, quam anno MDCXXXVI. habuit, eum *urbis Trajecti decus, & Academiae Lugduno Batavae lumen* vocat, & a Lipſio *Medicus fidus, peritus & (quae ei laus propria) cautus* Epiſt. Select. Cent. I. Miſcell. XC. & a Voetio t. III. Diſp. Theol. p. DLXXIII. *celeberrimus & literatiſſimus medicus* dicitur. Fertur tanti habuiſſe Hippocratis ſcripta, ut ea in ſuccum & ſanguinem verterit, & omnes ejus aphoriſmos memoria teneret. Felix quoque ei erat memoria, utpote qui lectiones publicas nullius ſcripti ſubſidio memoriter recitabat, maxima ſermonis venuſtate & facundia. Elegantiſſimi Georgii Benedicti Harlemenſis verſus, quibus breviter eum depinxit, exſtant tom. I. Delic. Poëtar. Belg. p. DXII.

Hippocrates ſi anima poſſet migrante renaſci,
Cenſerem hanc, Hurni, corpus habere tuum.
Tanta tibi pariter ars eſt, uſusque medendi,
Et dubium eſt, ſanes, an doceas melius.
Nunc magis admiror, quod Paeonia arte manuque
Sis idem medicus, nec tamen Hippocrates.

Varia ejus ſcripta, quibus nomen inter eruditiſſimos me-

medicos meruit, partim ab ipſo, partim ab ejus filio Ottone, edita ſunt. Sunt vero:

Praxis Medicinae nova ratio, qua libris tribus methodi ad praxin medicam aditus facillimus aperitur ad omnes morbos curandos. Leidae MDLXXXVII. MDXC. 4. MDXCIX. 8. MDCIX. 4. & ex recenſione Zachariae Sylvii Medici Roterodamenſis Roterod. MDCL. 8.

Inſtitutiones Medicinae, quibus acceſſit *Modus ſtudendi eorum, qui Medicinae operam ſuam dicarunt.* Leidae MDXCII. MDXCVI. 8. MDCIX. 12. Hanoviae MDXCVII. 8. juxta Draud. Biblioth. Claſſ. tom. 1. pag. DCCCCXXVII. Leidae MDCLXVI. 12. Quae Diſſertatio cum H. Grotii & aliorum diſſertationibus *de Studiis inſtituendis* Amſtel. MDCXLV. & cum G. Johannis Voſſii & aliorum *de Ratione ſtudiorum* Traj. MDCLI. 12. prodiit. Carmen, quod in Inſtitutiones has luſit Georgius Benedictus, exſtat tom. 1. Delic. Poët. Belg. p. DXXXI.

De Morbis, qui in ſingulis partibus humani capitis inſidere conſueverunt. Leidae MDXCIV. 4.

De Morbis oculorum, aurium, naſi, dentium & oris. Ibid. MDCII. 4. de quo opere ita cecinit Scaliger

Quo libro tanto libros ſupereminet omnes,
Quanto cuncta ſuper caetera membra caput.

De Natura & praeſagio horrendi Cometae, qui anno MDLXXVII *orbem terrarum terruit.*

De Febribus. Leidae MDXCVIII. 4.

De Peſte. Ibid. MDC. 4.

De graviſſimis morbis mulierum.

De Humana felicitate Liber: de Morbis novis & mirandis Epiſtola. Ibid. MDCVII. 4.

De Morbis pectoris Leidae. MDCII. 4.

De Morbis ventriculi, accedit *Reſponſum ad Praeſidem & Conſiliarios ſupremae Curiae Hollandiae, nullum eſſe aquae innatationem Lamiarum indicium: Item Oratio de Medicinae origine, Aeſculapidum & Hippocratis ſtirpe ac ſcriptis.* Ibid. MDCVIII. 4.

In Hippocratis Coi de hominis natura libros duos commentarius. Leidae MDCVI. 4. juxta Draud. Biblioth. Claſſ. tom. I. p. DCCCCXXII. In quem exſtat Graecum Danielis Heinſii epigramma, inter Poëmata Heinſii p. DLXXVIII.

In Hippocratis de victus ratione in morbis acutis librum primum & ſecundum commentarius. Ibid. MDCIX. 4.

In Hippocratis de victus ratione in morbis acutis librum tertium & quartum commentarius. Ibid. d. a.

Hippocratis Aphoriſmi Graece & Latine brevi enarratione, fidaque interpretatione ita illuſtrati, ut ab omnibus facile intelligi poſſint, cum Hiſtoriis, obſervationibus, cautionibus & remediis ſelectis. Leidae MDCIX. 4. & 12. MDCXXIII. 12. Hagae MDCLXIV. Jenae & Lipſiae MDCLXXVII. 4.

Hippocratis prolegomena & prognoſticorum libri tres cum paraphraſtica verſione & brevibus commentariis. Leidae MDXCVII. 4.

Commentarius in Hippocratis librum de Medicamentis purgantibus exſtat in editione operum Hippocratis, quae edidit Anutius Foeſius Genevae MDCLVII. fol.

Notae, obſervationes & medica ſecreta ad Johannis Fernelii univerſam Medicinam, exſtant cum eadem Medicina univerſa Fernelii, quae cum Johannis & Ottonis Heurniorum & aliorum ſcholiis illuſtrata prodiit Traj. MDCLVI. 4.

Scri-

Scripſit etiam *Praefationem* eruditam *in ſecreta Alchymiae magnalia D. Thomae Aquinatis, Johannis de Rupeſciſſa ac Raymundi Lullii librum.*

Pleraque horum conjunctim prodierunt opera filii Ottonis anno MDCVIII & MDCIX. ex officina Plantiniana II vol. 4. et Lugduni in Gallia an. MDCLVIII. fol. edita didici ex Lipenii Bibl. Med. p. CCCXVII. et variis in locis.

Literas ejus adhuc ineditas ſupereſſe teſtatur Morhovius I Polyh. cap. XXV. §. IX.

Et licet his ſcriptis magnam ſibi famam comparaverit, a quibuſdam tamen ut plagiarius traductus eſt, cujus criminis reum fecit Thomaſius de Plagiar. §. CCCCLXI. p. CCIV.

Elogia hujus viri reliquerunt Meurſius Athen. Batav. p. CXXXV. Valer. Andr. Bib. Belg. p. DXVII. Sweert. Ath. Belg. p. CCCXXXIX. Blount. Cenſ. Celebr. auct. p. DCCXCIX. Melch. Adam vit. Germ. Medic. p. CLXIV. Freher. Theatr. vir. Ill. p. III. pag. MCCCVII. Witte Diar. Biogr. ad ann. MDCI. Quenſted. de Patr. Ill. viror. p. CXXIV. et Merklin. Linden. renovat. p. DCV.

HEURNIUS (OTTO) Trajecti fuit natus VIII. Septemb. MDLXXVII. Quadriennio poſt cum patre Johanne Leidam tranſlatus, ibi prima literarum fundamenta poſuit ſub Nicolao Stochio. In humanioribus literis ac Philoſophia audivit Petrum Molinaeum, et in Medicina patrem ſuum. Magiſter artium XXIV Auguſti MDXCIX. renuntiatus, tantos in Philoſophia progreſſus fecerat, ut anno MDC. cathedra Philoſophiae in Academia Leidenſi ei ſit credita VII. Julii an. MDCI. Medicinae Doctor creatus, et VIII Novembris eodem

anno patri mortuo ſucceſſor in profeſſione medica datus. In qua provincia adquirenda adverſarium habuit Bontium, ut ex ejus epiſtola ad Meurſium in Nova rarior. libr. collect. Faſcic. III. p. DLII. patet, & plurimos in Academia Leidenſi nactum inimicos, qui eum opprimere conati ſunt, teſtatur Barlaeus Epiſt. CLXVIII. qua eum commendat Cornelio van der Myle, ut virum doctum, prudentem, modeſtum & moribus facilem, & rogat ut cauſam ejus agat apud Principem Arauſionenſem in adipiſcendo ſummo Academiae magiſtratu, qui, licet per triginta annos Profeſſoris munus obiiſſet, numquam in eum conlatus erat. An vero Barlaeus per D. H. quem ut acerbum Heurnii inimicum deſcribit, intelligat Danielem Heinſium, dubitare licet; quum Meurſius in Athenis Batavis exhibeat carmen in effigiem noſtri Heurnii ab Heinſio compoſitum, & in nuptias hujus Heurnii quoque luſerit, quod exſtat tom. II. Delic. Poët. Belg. p. MLXVIII. Niſi hoc adſcribamus Heinſianae indoli, & cum Voſſio dicamus, Heinſium fuiſſe *virum magnum, ſed nimis malignum, nec ita animatum, ut ſe etiam hominem eſſe cogitaret*, in Epiſt. praeſt. viror. CCCCXLVIII. p. DCCXXVI. & Epiſt. DLIII. Uxorem duxit Johannam van Swaanswyk, unde ſuſcepit filium Johannem, ſummi in regione Trajectina tribunalis ſenatorem creatum an. MDCXXXIX. (vid. van de Water Placcaetb. tom. II. p. MLIV.) & filiam Johannam, quae nupta Laurentio s'Graveſandio plures liberos reliquit.

Fuit vero noſter Medicinae Practicae, Anatomiae, & Chirurgiae Profeſſor, ac Praeſes collegii practici publici, & ſymbolo uſus eſt *cito, tuto, jucunde morbi cu-*

curandi, uti notat Crenius Animad. part. XII. pag. CCX. Scripſit

De Barbarica Philoſophica libros duos, qui ſimul prodierunt cum *Chriſtiani Brunonii Breviario Philoſophiae Barbaricae* MDC. 12. In eo agnoſcit *vividos paternae indolis ſpiritus* Johan. Imperialis in Muſ. Hiſtor. p. CCXX. edit. poſt. & laudat Struvius Biblioth. Philoſ. cap. III. §. II. *Opuſculum perelegans*, quod ab illis legi deberet, qui multum temporis in legenda hiſtoria Philoſophica veterum inpendere nequeunt, eſſe teſtatur Boecler. Bibliogr. Critic. cap. XL. §. VIII. Alii non tam benignum de hoc opere judicium tulerunt. Morhovius tom. III. Polyh. lib. I. cap. I. §. IX. *Multa*, inquit, *illic habet collecta ex antiquis auctoribus de Chaldaeorum & Indorum Philoſophis, & Philoſophia ac Magia, quam ſecundum partes diſtinguit in Aſiaticam, Africanam & Europaeam. Allata ſunt multa ex auctoribus loca prolixiora, quae pene totum librum conficiunt; ſed tamen utile illa ſic junctim collecta habere. Ipſe pauca admodum de ſuo adfert, nuda recitatione contentus.* Et notatur a Stanlejo in Hiſtor. Philoſ. quod libro II oracula a Patricio conlecta, non ex Patricii, ſed ſua verſione exhibeat; *dum ea nititur ſtilo Heurnius expolire, & meliori Latinitate induere, quae genuine ac ſincere tradiderat Patricius, inquinavit ac corrupit: temere praeterea continuam orationem ex hiſce fragmentis inter ſe nequaquam connexis & apud varios auctores ſparſis efficere ſtuduit*, referente Fabricio t. I. Biblioth. Graec. lib. I. cap. XXXVI. §. VIII. hosque libros ex meris fere conſiſtere auctorum libris, notat ex Gundlingio Stollius Introd. in Hiſt. Liter. part. II. cap. I. pag. CCCCXXXV.

Poë-

Poëtam quoque fuiſſe non infelicem patet ex carmine, quod prodiit an. MDCXVII. in fol. hoc titulo: *Propempticon in diſceſſum Jacobi Diickii Legati Sueciae apud foederatos Crdines quum Sueciam peteret.* Quod carmen inveni in Bibliotheca noſtra publica compactum poſt *Rybiſch monumenta doctorum virorum*, part. pr. Catalog. p. XCI.

Epiſtolas ejus ineditas ad Johannem Meurſium ſeniorem adhuc exſtare docet Morhov. lib. I. Polyh. XXV. §. IX.

Patris Johannis Heurnii opera omnia Leidae MDCIX. edidiſſe ſupra adnotavi.

Vid. Valer. Andr. Bib. Belg. p. DCCIX. Meurſ. Athen. Bat. p. CCLXXVII. Freher. Theatr. vir. Illuſt. p. III. p. MCCCXLI. & Merklin. Linden. renovat. p. DCCCLXIV.

HOBOKENUS (NICOLAUS) Trajecti anno MDCXXXII natus, ut conjicere licet ex effigie, quae conſpicitur ante editionem *Anatomiae ſecundinae humanae*, quae prodiit MDCLXIX. ubi aetas XXXVII annorum ei adſcribitur. In Academia patria quum animum Philoſophiae & Medicinae ſtudiis adplicuiſſet, utriuſque Lauream doctoralem promeruit, in medicinae praeceptis addiſcendis Diemerbroekio praeceptore uſus, uti ipſe profitetur in Spicileg. Epiſtol. pag. XCVII. Anno MDCLXIII Steinfurtum lares tranſtulit, in inluſtri Arnoldino Medicinae & Matheſeos Profeſſor, & aulae Steinfurtenſis Archiater creatus, ubi ſubſtitit ad annum MDCLXIX. quo a Gelris ad Academiam Harderovicenſem translatus, ſucceſſor datus eſt Franc. Jacobo Cochio, uti ipſe ſcribit in Epiſtola ad Eyſſonium, quae exſtat ante *Anatomiam ſecundinae humanae repetitae*, ibique ordinarius Medicinae, & Matheſeos extra ordi-

dinem Profeſſor publice docuit, & earum praecepta juventuti tradidit.

Scripta ejus ſunt:

Novus ductus ſalivalis Blaſianus in lucem protractus. Traject. MDCLXII. 12.

Manuductoria epiſtola ad prudentiam politicam. Item *Epiſtola de copia rerum verborumque inquirenda & conſervanda.* Item *Epiſtola de formando indice rerum verborumque & auctorum.* Ibid. MDCLXII. 12.

Oratio de unione omuium ſcientiarum & diſciplinarum. Steinfurti MDCLXIII 4.

Oratio de incompatibilitate, ſeu incongruentia ſervitutis cum Philoſophia & Philoſophi veri munere. Amſt. MDCLXVIII. 8.

Oratio de obſervato hodie circa Medicinam abuſu, & inordinatione, & de doctoribus promotis, proprio medicinae faciendae & conſiliorum dandorum jure. Traj. MDCLXVIII. 4.

Oratio funebris in obitum Illuſtriſſ. DD. Comitis Philippi Conradi Comitis Steinfurtenſis &c. Traj. MDCLXVIII. 4.

De ſede animae, ſeu mentis humanae in corpore humano, Exercitatio bipartita, qua genuina conjunctionis humanae animae cum corpore humano ratio perſpicue traditur. Arnhem. MDCLXVIII. 12.

Conradi Redekeri brevis deſcriptio initio Julii anni MDCLXVI. *detecti ſaluberrimi Bilſeldiani Fontis & uſus ejusdem ſuccinctis ſelectioribus ſanatorum exemplis, Latinitate reddita, & nonnullis animadverſionibus aucta.* Amſtel. MDCLXVIII. 8.

Anatomia ſecundinae humanae quindecim figuris aeneis ad vivum propria auctoris manu delineatis illuſtrata,

ta, cum annexo ſpicilegio Epiſtolarum rem potiſſimum generatoriam referentium. Traj. MDCLXIX. MDCLXXII. 8. ubi pag. CCXVIII. promittit diſſertationem *de Medicinae imperfectione, ejusque cauſis, ac de perficiendis modo ac mediis.*

Oratio de nobilitate Medicorum, qua praeter memoratam rem ſubjectam Prorectoratus conferendi ſolennia Steinfurtenſia oſtenduntur. Ibid. MDCLXIX. 4.

Oratio valedictoria de Academiarum, ſcholarumque communione, & concordi conſpiratione. Steinfurti MDCLXIX. 4.

Oratio inauguralis de Profeſſionis Medicae cum Mathematica conjunctione. Harderovici MDCLXX. 4.

Cognitio Phyſiologica medica, accuratiſſima & clariſſima methodo tradita, qua humani corporis ſanitas & quae eam ſignificant, & inprimis probant, Hominis actiones omni numero abſolutae, clare & diſtincte explicantur. Praefigitur ejusdem auctoris oratio de Medicorum nobilitate. Traj. MDCLXX. & MDCLXXXV. 4. cui poſtremae editioni adceſſerunt *Tabulae Synopticae hanc cognitionem medicam phyſiologicam diſtincte delineantes.*

Anatomia ſecundinae humanae repetita, aucta, roborata, & quadraginta quatuor figuris, propria auctoris manu delineatis, inſuper illuſtrata, quae praeter noviſſime obſervatam naturam ac conſtitutionem univerſae ſecundinae illius, ac partium ſingularum uſum quoque ac utilitatem docet. Praemittuntur literae D. Henrici Eyſſonii cum auctoris reſponſionibus. Ibid. MDCLXXV. 8.

Anatomia ſecundinae vitulinae triginta octo figuris propria auctoris manu delineatis illuſtrata, quae praeter

ter obſervatam naturam & conſtitutionem univerſae ſecundinae illius, ac partium ſingularum uſum quoque & utilitatem docet. Praemittuntur literae Thomae Bartholini cum auctoris ad eundem reſponſionibus. Traject. MDCLXXV. 8.

Vid. Merklin. Linden. Renovat. p. DCCCXXXV.

HOGERBEETS (ADRIANUS) Trajectinus, fuit Juris utriuſque Doctor, & Poëta non infelix. Edidit *Carmen Panegyricum R. admodum & illuſtri D. Huberto a Suetendaal S. Theol. Licentiato, Imperialis atque exempti Monaſterii S. Trudonis in Hasbania Abbati &c. de Anniverſario inaugurationis die poſtridie S. Urſulae.* MDCXXXIX. Traj. MDCXL. fol.

Ut & *Elegiam ſupplicem ex perſona Atrebatenſium ad Ludovicum* XIII *Galliarum & Navarrae Regem.* Ibid. eodem anno.

Exſtat & carmen Hogerbeetſii in editione Orationum Antonii Aemilii, quae Orationes anno MDCLI. prodierunt, uti ſupra vidimus.

Meminit & hujus Valer. Andr. in Bibl. Belg. p. XI.

HOORNBEEK (JOHANNES) Harlemi natus IV Novemb. an. MDCXVII. In ſchola patria illis diſciplinis, quibus puerilis aetas ad humanitatem inſtrui ſolet, eruditus, ad Academiam Leidenſem anno MDCXXXIII. miſſus, Danielem Heinſium in humanioribus, Conſtantium L'Empereur & Jac. Golium in Orientalibus linguis, Burgersdicium in Philoſophicis. Ant. Thyſium & Ant. Walaeum in Theologicis audivit. Peſtilenti vero lue graſſante anno MDCXXXV. Leidam deſeruit, & Trajectum ſe contulit, ubi per annum Gisberto Voetio Profeſſore uſus eſt; & anno MDCXXXVIII. ſtudiis Academicis abſolutis, & inter S. Miniſterii candidatos

receptus, primum anno MDCXXXIX. Mulheimenſis Eccleſiae prope Coloniam verbi divini praeco conſtitutus eſt, cui eccleſiae per quinquennium fere adfuit, & propter vexationes Papicolarum deſerere coactus, Harlemum conceſſit, & anno MDCXLIII. in Academia noſtra Theologiae Doctor renuntiatus eſt. Cumque eruditione ſuper paſtorum vulgus excelleret, Trajectenſes noſtri eum ſibi vindicarunt, ut Academicam juventutem in Theologia erudiret, & M. Schotano ſuccederet, anno ſcilicet MDCXLIV. Quoniam vero antequam hic vocaretur, Trajecti ad Moſam paſtoris munus ei oblatum erat, & conditionem acceperat, & Harderovicenſes Theologiae profeſſionem demandaverant, Magiſtratus noſtri, ut & Gelri, laborarunt apud Ordines Reipublicae, ut ejus miſſionem inpetrarent, qui tandem conſenſerunt, ut nobis operam ſuam addiceret, uti patet ex actis Magiſtratuum noſtrorum IV, XIII & XXII. Maji an. MDCXLIV. Quam profeſſionem carmine graeco ei gratulatus eſt Aemilius, quod exſtat in edit. Orat. & Poëmat. p. CCCXCVII. Anno ſequenti ad verbi divini miniſterium vocatus, praeconis partes in eccleſia noſtra obivit ad annum MDCLIII. quo Leidenſes illum nobis abſtulerunt. Et licet Hoornbekius conditionem abnuiſſet, & Magiſtratus cum ſenatu eccleſiaſtico hoc gratiſſimum ſibi eſſe teſtati eſſent, Leidenſes, ut tanto doctore potirentur, & ad ſuam Academiam pertraherent, ablegarunt Abrahamum Heidanum S. S. Theologiae Profeſſorem, beatae memoriae abavum meum, & Joachimum Wevelinchovium, Academiae Curatoribus a ſecretis, ut Hoornbeekio perſuaderent provinciam oblatam ſuſcipere. Qui cum primo ſe ad Senatum eccleſiaſticum contuliſſent, & rogaſſent, ut miſſionem

miſſionem Hoornbeekio concedere vellent, aegre tulerunt Magiſtratus noſtri, quod cum vocatio non eſſet eccleſiaſtica, Senatus eccleſiaſticus admiſiſſet delegatos, cumque iis, inſciis magiſtratibus, conſilia contuliſſet. Qui delegati poſtea a magiſtratibus ex mandato Curatorum Academiae Leidenſis, ut abire Hoornbeekium permitterent, petierunt, ſed fruſtra. Cumque paulo poſt eccleſia Leidenſis ei quoque Paſtoris munus obtuliſſet, iterum omni ope Magiſtratibus noſtris perſuadere conati ſunt, ut eum dimitterent, qui abeundi veniam denegarunt. Non tamen deſtiterunt Leidenſes, & effecerunt, ut Ordines Hollandiae literis ad magiſtratus noſtros datis, enixe rogarent, ne Hoornbeekium Academiae Leidenſi inviderent; verum neque hi procerum noſtrorum animos expugnare valuerunt: & cum ſenatus eccleſiaſticus ſe difficilem praeberet in concedenda abeundi facultate, delegati illi Claſſem (uti vocant) adierunt, quae Hoornbeekium non abeundum, niſi ad aliquod tempus, & uti eo tempore ſolennis erat formula, *by leening*, judicabat. Sed neque hoc decreto Magiſtratus noſtri contenti, omnibus modis eum retinere conati ſunt; verum fruſtra, praeſertim cum ipſe Hoornbeekius, priori conſilio mutato, ſe proniorem in Academiam Leidenſem oſtendiſſet, uti ex variis decretis, quae in actibus Magiſtratuum noſtrorum a x Octobr. MDCLIII. ad XIII Martii anni ſequentis exſtant, didici. Et ita Leidam abiit, ibique podagrae & calculi doloribus enecatus diem obiit ſupremum XXIII Aug. MDCLXVI. anno aetatis XLIX & non LVIII, uti male Freher. Theatr. vir. Illuſt. part. I. ſect. III. p. DCLV. Anno MDCL. uxorem duxit Annam Bernard.

Varia pro brevi tempore, quo vixit, ſcripſit

& edidit, quae induſtriam & doctrinam ejus probant. Sunt vero:

Diſputationes decem Anti-Judaicae. Traj. MDCXLIV. 4.

Commentarius de paradoxis & heterodoxis Weigelianis, & de Sweneſeldio, aliisque ſimilis indolis. Traj. MDCXLVI. 12. poſtea inſertus ejus *Summae controverſiarum* lib. VI. p. CCCXCVIII. at ob Dedicationem hanc editionem ſe adſervare ſcribit Crenius Animadv. Phil. & Hiſtor. part. XVIII. p. XXIV.

Apologia pro eccleſia Chriſtiana hodierna non apoſtatica. Amſt. MDCXLVII. 8. Oppoſita eſt haec Apologia libello, cui titulus *Ad legem & teſtimonium, ſive Erotematica propoſitio & deductio &c.* cujus auctor creditur Elias Borelius, notante Crenio Animadv. Phil. & Hiſtor. part. VIII. pag. CLI.

De Baptiſmo veterum. Traj. MDCXLVII. 4.

De deſperatione ſalutari de ſe ipſo. Leidae MDCLI. juxta Lipen. Bibl. Theol. p. DII.

Socinianiſmi confutati tomi tres, quorum primus Traject. MDCL. ſecundus Amſtelod. MDCLXII. & tertius ibidem MDCLXIV. prodiit. Horum *Compendium* editum Leidae MDCXC. 8. opera Davidis Knibbe, diſcipuli Hoornbeekii, & Eccleſiaſtae Leidenſis, licet jam antea Trajecti MDCLXVI. evulgatum dicat Lipenius Bibl. Theol. t. II. p. DCCLX.

Examen Bullae Papalis Urbani VIII, *ſive ſcholia ad Bullam Urbani* VIII. *de ſuppreſſione Jeſuitiſſarum de cultu Imaginum & de Feſtis.* Traject. MDCLII. 4.

Examen Bullae Innocentii X, *qua nititur abrogare pacem Germaniae, adverſus Cornelii Janſenii tractatum de Gratia.* Traj. MDCLII. 4. & Francof. MDCLIII.

MDCLIII. prodiiſſe adfirmat Lipenius Bibl. Theol. p. CLXXXVII.

Summa controverſiarum religionis cum Gentilibus, Judaeis, Muhamedanis, Papiſtis, Anabaptiſtis, Enthuſiaſtis, Libertinis, Socinianis, Remonſtrantibus, Lutheranis, Brouwniſtis & Graecis. Traj. MDCLIII. 8. licet Lipenius Bibl. Theol. p. XCVI. jam anno MDCXLIII. prodiiſſe adfirmet. Melius idem pag. CCCCXXXVII. ad annum MDCLIII. refert. Saepius deinde recuſa eſt, ut Trajecti MDCLVIII. & Colbergae MDCLXXVI. 8. uti teſtatur Fabric. de Scriptor. Verit. relig. Chriſt. cap. XXXI. p. DXCVII. Editionis Trajectenſis an. MDCLXIII. meminit Crenius Animadv. Phil. & Hiſt. part. VII. p. CLVI. & Francofurtenſis MDCXCVII. Niceron. Memoires des homm. illuſtr. &c. tom. XXXIII. p. CCCIII. Librum octavum hujus *Summae* refellere conatum eſſe A. F. P. in epiſtola ad C. H. edita Amſtelod. MDCLV. 8. latente ſub his literis Arnoldo Poelenburgio Eccleſiaſte Remonſtrantium Hornano, notat idem Crenius Anim. part. XI. pag. CXXII. cui an reſponderit Hoornbeekius, ſe ignorare ſcribit Animad. part. XVIII. pag. XXV. De hoc libro teſtatur Cel. van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. XXXVIII. *Inſignis utilitatis hic liber eſt propter hiſtorias haereſium & ſcismaticorum, quas ſingulis capitibus praemittit, & quidem utiliſſimo conſilio; quia nunquam ſtudium elencticum quis feliciter attingit, niſi teneat quaeſtionum origines & diſſenſuum occaſiones, atque ſic penetremus in diſſentientium prima conſilia.*

Pro convincendis & convertendis Judaeis & Gentilibus libri VIII. Leidae MDCLV. 4. hoc opus *eruditum* pronuntiat Fabricius de Script. verit. Rel. Chriſt. cap.

XXXI,

XXXI. p. DXCVIII. & ejus lectionem commendat Voetius Polit. Eccleſ. part. III. lib. II. Tract. I. cap. II. In quo opere cap. VII. agens de celeberrimo Judaeorum Doctore Salomone Jarchi, & ſcribens ſemper *urbem Lunenſem in Gallia a multis Judaeis inhabitatam fuiſſe*, idque probare volens ex Epiſtola Gregorii Papae, ſcripta Venantio Epiſcopo Lunenſi, reprehenditur a Baelio in Lexico voce Jarchi t. II. p. DCCCXXXIII. quum civitas Lunenſis in Gallia numquam Epiſcopum habuerit, neque Epiſcopalis ſedes ibi fuerit, & probat Baelius per *Epiſcopum Lunenſem* ibi intelligendum Epiſcopum urbis *Lunae* in Italia ſitae in Etruria, huncque errorem vocat *une groſſe faute*. Hos libros, ut & *Refutationem Socinianorum*, *opera omni modo conſummata*, *ita ut nullae ſint cum Socinianis aut Judaeis controverſiae*, *quas non plenarie pertractaverit*, pronuntiat Celeberrimus Theologus van Til Biblioth. Theolog. Selectiſſ. pag. XII. qui eum *doctiſſimum auctorem in ſtudio elenctico verſatiſſimum* vocat.

Inſtitutiones Theologicae. Leidae MDCLVIII. 8.

De obſervando a Chriſtianis praecepto decalogi quarto. Leidae MDCLIX. 12. de qua controverſia, magnis animis praeterito ſeculo inter Theologos noſtrates agitata, calamum ſumpſit contra Abrahamum Heidanum b. m. abavum meum.

Epiſtola ad Johannem Duraeum Scoto Brittannum, qua reſpondetur Examini Johan. Beverley. de Indepedentismo. Leidae MDCLX. 8.

Epiſtola ad eundem de Indepedentismo. Traj. MDCLXI. has duas epiſtolas unam facit, & prodiiſſe Hagae MDCLXI. ſcribit Lipen. Bibl. Theol. t. II. p. XCIV. & t. I. p. DCVI. ultimam hanc Leidae MDCLIX. editam ſtatuit,

ta-

taleſque variationes in adſignanda editione unius ejuſdemque libri ſaepiſſime in Lipenio obſervavi, unde patet quam parum ipſi fidere poſſumus.

Theologiae practicae tomi duo. Leidae MDCLXIII. & Traj. MDCLXXXIX. & Francofurti MDCXCVIII. 4. cui *Irenicum* ſubjunctum. Ex ſcriptoribus Anglicanis ſyſtema hoc officiorum, quod & ſuam praeſtat utilitatem, compoſuiſſe, teſtatur van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. XVIII.

Diſſertatio de veterum concionibus. Traj. MDCLXIII. 4. juxta Hausmann. Introduct. ad notit. Scriptor. Homileticor. cap. III. §. III.

De Conſociatione Euangelica Reformatorum & Auguſtanae Confeſſionis, ſive de colloquio Caſſelano anno MDCLXI. *habito.* Amſtel. MDCLXIII. 4. contra quam diſſertationem ſcripſit Abr. Calovius, monente Jo. Fabric. t. V. Hiſt. Bibl. Fabric. p. LXXV.

Pirke Aboth, ſive Capitula Patrum. Traj. MDCLXV. 4.

Irenicum ſive de ſtudio pacis & concordiae, & Oratio de prudentia. Traj. MDCLXVI. 4. In quo *Irenico* quaedam ipſum de Johanne Colero narrare, quae Johanni Vitriario contigerunt, notat Crenius Animadv. Phil. & Hiſt. part. VII. pag. CLXXIX.

Orationes de ſtudio Theologico: de Eccleſiarum inter ſe communione & in obitum Caroli de Maats, habentur in ſecunda & poſterioribus editionibus *Summae Controverſiarum* &c.

Tractatus Theologicus de Peſte. Leidae MDCLV. 12.

De Epiſcopatu.

Compendium diſputationum Theologicarum Antiſocianarum. Traj. MDCLXVI. 8.

Vetera & nova, ſive Exercitationum Theologicarum libri tres. Traj. MDCLXXIII. 4.

Miſcellanea ſacra, Exercitationes, & Orationes lectiſſimae cujusvis argumenti. Leidae MDCLXXIV. 4. Editionis Trajectenſis an. MDCLXXVII. 4. meminit Crenius Anim. Phil. & Hiſtor. part. VII. pag. CLVIII. quae prodiit cura Petri de Witte & Gulielmi Saldeni, in qua tamen quasdam Hoornbeekii diſſertationes omiſſas notat idem Crenius Animadv. part. XVII. pag. LI. ut & part. XVIII. pag. XXII. & ſeq.

Tractatum de ratione concionandi laudat Voetius Polit. Eccleſ. part. I. lib. II. Tract. II. cap. III. §. II. & exſtare cum Andr. Eſſenii Compendio Theologiae dogmaticae adfirmat Lipenius Bibl. Theol. t. II. pag. CCLXXXI.

Poſt mortem prodierunt de *Converſione Indorum & Gentilium libri duo.* Amſtel. MDCLXIX. 4. editi a Davide Stuarto, qui & vitam Hoornbeekii praefixit. Priorem editionem per Diſputationes Leidae MDCLXII & MDCLXIII. emiſſam in 4. memorat Crenius Animadv. Phil. & Hiſt. part. XVIII p. XXIV.

Belgice edidit:

Euthanaſia, of welſterven, waar in veel voorbeelden der ſtervenden, en hun laatſte dootſpreuken verhaalt worden. Utr. MDCLI. 8.

Belydenis predikatie over I *Timoth.* III. XV. Ibid. MDCXLVIII. 12.

Over de Catechiſatien, quem tractatum laudat Voetius Polit. Eccl. part. I. lib. II. Tract III. cap. I.

Catechismus, of chriſtelyk en eenvoudig onderwys over de dwalingen des Pausdoms.

Korte

Korte en naerder verdedinge van de ware kerk, geſtelt tegen de wyſer van de Paepſe kerk.

Heyliginge van Gods naam en dag.

Nader bewyſing van des Heren dags heyliging.

Sondag ruſtdag.

Concept van redres.

Geeſtelyke verlatinge.

Van het laatſte oordeel.

Vid. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXVI. & Bael. in Lexico v. Hoornbeek. t. II. p. DCCLXXXIX. & Niceron. d. l.

Fuit certe Hoornbeekius Theologus in controverſiis acutiſſimus & conſummatiſſimus, licet Naeranus in Epiſt. praeſtant. viror. Epiſt. DCX. illum *ineptiſſimum auctorem, quem pueri caſtigent e triviali* pronunciet, reprehenſus ideo a Saldeno de Libr. Leg. lib. II. cap. IV. §. III. Quod tamen Naerani dictum ad libellum de Sabbatho obſervando tantum referendum videtur. Qui Saldenus in Praefatione ante Otia Theologica Hoornbeekium quoque defendit contra eos, qui calumniabantur materias, quas tractandas ſuſceperat, ab ipſo fundo non eruiſſe. Vitam hujus Hoornbeebii Adamum Stuartum conſcripſiſſe docet idem Saldenus lib. II. de Lib. Leg. cap. III. §. XII. in quo tamen fallitur, cum non *Adamus*, ſed *David Stuartus* vitae, quae praefixa eſt ejus libris *de Converſione Indorum & Gentium*, auctor ſit.

HORTENSIUS (LAMBERTUS De hujus anno natali non convenit inter eruditos. Valerius Andreas ad an. MD. Miraeus ad annum MDI. ejus natales referunt. Baelius vero in Lexico voce Hortenſius t. II. p. DCCXCIX. anno MDXVIII. natum adfirmat, putatque

errorem Valerii Andreae inde natum, quod legens apud Sweertium in Athenis Belgicis haec verba: *naſcitur anno* CIↃIↃ XVIII. *Kal. April.* crediderit literas numerum XVIII exhibentes ſe referre ad verbum *Kal.* oblitus quod in Kalendario Romano non detur XVIII dies ante Kal. April. cui & alteram rationem addit, quia Valerius ſcribit Hortenſium admodum adoleſcentem Lovanium veniſſe, ibique ſtudiis operam dediſſe ſub Rutgero Reſcio Linguae Graecae Profeſſore, quem Valerius Andreas alio loco, ſcilicet pag. DCCCVI. dicit obiiſſe MDXLV. anno XVII. profeſſionis, atqui Reſcius profeſſionem non auſpicatus eſt niſi anno MDXXVIII. ſi itaque Hortenſius natus eſſet anno MD. non poteſt dici admodum adoleſcens Lovanium veniſſe. Quibus non obſtantibus falli tamen Baelium puto, quum ipſe Hortenſius lib. VI. Rer. Ultr. pag. CXXVII. ſcribat XIV Kal. Decemb. an. MDXXVII. apud ſe Trajecti *pranſum fuiſſe cum aliis feſtivis doctisque amicis Hermannum Presbyterum cognatum, qui hilarior a recenti ſympoſio & liberior multa in factionem Gelricam prolocutus, Ultrajecto exulare juſſus eſt.* ex quo loco recte Lappius in vita Hortenſii probat, eo tempore, ſcilicet anno MDXXVII. jam lares Trajecti fixiſſe Hortenſium, ibique eo tempore ad Presbyteratus ordinem promotum fuisſe conjicit. vid. Struvii Biblioth. antiq. an. MDCCV. p. CCCCXLVII. Errat quoque Baelius, quod Valerium Andream plagii reum fecerit, quum Sweertii Athenae Belgicae toto quinquennio poſt primam Valerii Andreae Bibliothecae Belgicae editionem ſint evulgatae, uti notat ipſe Valerius in Praefatione poſterioris editionis, unde Sweertius merito inter plagiarios refertur a Crenio de Furibus Librariis diſſert. III. §. LXIV. &

Placc.

Placc. Theatr. Anonym. p. CCLXV. qui paſſim notat in Athenis Belgicis Valerium Andream deſcripſiſſe. Et licet non ignorem, quod Sweertius in Praefatione ante Athenas Belgicas ſe defendere conetur, facile tamen oſtendi poſſet, ſi id mihi hic agendum eſſet, merito illum plagiariis eſſe adnumerandum. Neque obſtat altera ratio Baelii, ſcilicet quod Reſcius non creatus ſit Profeſſor niſi anno MDXXVIII. nam ſi inſpexiſſet ejusdem Valerii Andreae Faſtos Academicos pag. CCLXXXII. inde diſcere potuiſſet, quod Reſcius auſpicatus fuerit profeſſionem anno MDXVIII. Kal. Septemb. apud patres Auguſtinianos, admiſſus demum ab Univerſitate ad docendum anno MDXXIX. Kal. Decembr.

Patriam ipſe indicat Hortenſius lib. VI. Rer. Ultr. p. CXXXIX. ſcilicet Montfortium, ditionis Trajectenſis oppidum, ubi pater Hortulanum agebat, unde *Hortenſii* nomen adſumpſit. Admodum adoleſcens Lovanium venit, ubi Graecis Latiniſque literis perdiſcendis ſtrenuam operam navavit ſub Reſcio & Goclenio, qui harum literarum praecepta eo tempore Lovanii tradebant. Audivit quoque Johannem Paludanum Rhetoricorum ad Herennium libros explicantem, ut & Ludovicum Vivem, & in Hebraicis praeceptorem habuit Johannem Campenſem. Studiis, quae ad humanitatem pertinent, Lovanii abſolutis, Trajectum venit, ibique in quarta ſcholae Hieronymianae claſſe juventutem inſtituit, & ad Presbyteratus ordinem promotus eſt. Anno MDXLIV. praefectura ludi literarii a Nardenſibus ei demandatur, qvam provinciam in ſe ſuſcepit, & per XXIX annos egregie adminiſtravit, fruſtra tentatus a Delfenſibus, ut eorum ſcholae moderationem obire vellet. Anno MDLXXII. aegre ſervatus eſt

in laniena illa celebri Nardenſi, quam praeter fidem crudeles Hiſpani in illa urbe inſtituerunt. Hiſtoriam lectu dignam, ipſis Hortenſii verbis narrat Lappius a Waveren in ejus vita, & in Hortenſium ex laniena illa ſervatum exſtat hoc carmen Jani Douſae lib. II. Salin. Epigr. XXXIV.

Nardenſum in jugulos dum deſaeviret Enyo,
Caedibus & caedes accumularet Iber.
Hortenſi interceſſê neci Boſſuia putatur
Gratia, & haec Belgae dicta fuiſſe ducis:
Parcite victores de tot modo civibus uni,
Ut lucem ipſe aliis, quam dedit, accipiat.
Parcite, nam ſpolia hinc vobis ſene nulla perempto,
Aſſervato ingens gloria vate mihi.

Vid. Hooft lib. VII. Hiſt. Belg. p. CCXC. Obiit, dubia fama inter Papiſmum & Lutheraniſmum, a ruſticis enim vulgo *de Luyterſche Paap* vocitabatur, in praedio ſuburbano prope Nardam den *Hoogen Engh* dicto anno MDLXXIV. ſepultus Nardae cum hoc Epitaphio:

HORTENSIUM INTER MORTUOS
QUAERIS VIATOR? URNULA
HAEC OSSA SOLUM AUT PULVERES
HABET, POLUS MENTEM ENTHEAM,
NOMEN LIBRI, FAMA VAGA
DOCTUM ORA, OVAT COELO AC SOLO.
DECUS SCHOLAE ATQUE CIVIUM.

Con-

Conditum hic eſt corpus D. Lamberti Hortenſii, viri omne genus eruditionis eximii, literatoris arguti, Hiſtorici ſagacis, juventutis Nardenae moderatoris ſtrenui, evocati ex hac vita anno a laniena, quae ſoli propter doctrinam ſingularem parſerat, tertio, a nato Chriſto MDLXXIV.

MEMORIAE AC HONORI
PP.
Conſules ac Aeditui.

Ex concubina ſuſceperat duos filios *Auguſtinum* & *Hieronymum*. *Auguſtinus* in templo Nardenſi Organiſtae munera obiit, ibique in laniena crudeliter ante patris oculos obtruncatus eſt. *Hieronymus* ad ſacros ordines admiſſus, puriorum ceremoniarum miniſter fuit Hagae, unde ob diſſidia, quae in religione exercebat cum collega ſuo, Waſſenarium migrare juſſus eſt. vid. Hooft lib. XXI. Hiſt. Belg. p. DCCCCLII. Utenbog. Hiſtor. Eccleſ. part. III. pag. CCXXVII.

Fuit vero Hortenſius vir pro eo aevo doctiſſimus, quem Barthius ad Guielm. Briton. lib. VI, DVI. vocat *ſine ambitione doctiſſimum*, & celeb. Graevius Orat. funebr. in Obit. Diemerbroekii teſtatur, quod fuerit *ingenii laude, & multis non vulgaris doctrinae monumentis ſine ſtrepitu & oſtentatione publicatis, vir celeberrimus.* & P. Opmeer in Oper. Chronogr. ad ann. MDXXXVI. p. CCCCLXXXI. *Poëtam ſatyricum & non ignobilem hiſtoricum* fuiſſe ſcribit, & refert quod Maximilianum Comitem Buranum maxime offenderit, quia in deſcriptione obſidionis Tilanae *Tilam a Tila obſideri* dixerat, quo dicterio Florentius Maximiliani pater exercitus dux ſegnitiei infidae notatus erat. a Junio in Batavia cap. XXVII. p. CCLXXXIX. dicitur *egregius Sa-*

Satyrographus & Germanicarum & Ultrajectinarum rerum ſcriptor celebris.

Scripta, quibus nomen inter eruditos meruit, ſunt: *Seceſſionum civilium Ultrajectinarum & bellorum ab anno* XXIV ſupra MCCCCC. *uſque ad tranſlationem Epiſcopatus ad Burgundos libri ſeptem.* Baſil. MDXLVI. fol. qui poſtea additi ſunt Bekae & Hedae, & notis marginalibus inluſtrati a Gisberto Lappio a Waveren, notante Matth. lib. IV. de Nobil. XXXII. pag. MCXXXVII. In Belgicam linguam verſi hi libri prodierunt Hagae MDCXXV. 4.

De Tumultu Anabaptiſtarum. Baſil. MDXLVIII. 4. editionis anni MDLXXIV. & Amſt. MDCXVII. 8. meminit Lipenius Bibl. Theol. p. XXXVII. Hic liber deinde in Belgicum ſermonem verſus eſt, additis aliquot imaginibus factionis Amſtelodamicae fanaticorum iſtorum hominum, & prodiit Enchuſae MDCXIV. fol.

De bello Germanico libri ſeptem. Baſil. MDLX. 4. & Germanice Baſil. MDLXXIII. & Argentor. MDCXX. Hi, ut & de *Tumultu Anabaptiſtarum*, poſtea inſerti rerum Germanicarum hiſtorico operi, quod tomis IV. opera Sim. Schardii Baſileae anno MDLXXIV. prodiit.

Satyrarum libri octo in aevi ſui vitia & mores. Traj. MDLII. Hanc editionem in auctione viri Ampliſſimi Wittii Senatoris Amſtelodamenſis nuper ſibi comparavit amiciſſimus cognatus Petrus Burmannus in Friſiorum Academia humaniorum literarum Profeſſor, in qua poſt edita inſertae ſunt quidem ducentae paginae, in quibus multae Satyrae, aliaque poëmata inedita, deſcripta Nardae ex autographo, leguntur.

Epithalamiorum liber unus. Ibid. MDLII. 8.

Enarrationes in Virgilii Aeneida, ſcilicet in ſex libros

bros priores Baſil. MDLIX. MDLXXVII & MDXCVI. fol. Crenius part. IV. Animadv. Phil. & Hiſt p. III. *admodum erudite Maronem explicaſſe* teſtatur.

Explicationes luculentae in Lucani Pharſaliam. Baſil. MDLXXVIII. fol. de quibus haec teſtatur Barthius ad Stat. x. Theb. CCCCX. *Non inepta ſunt, quae ad Lucani lib.* v. *conſcripſit Lambertus Hortenſius, quanquam omnino alio recenſitore opus is Poëta habebat.* a Franc. Fernand. de Cordova Didaſc. Mult. cap. XXVI. p. CCLVIII. dicitur *egregius Lucani interpres.* & doctiſſimus Oudendorpius in Praefatione ante nitidiſſimam editionem Lucani, quam anno MDCCXXVIII. evulgavit, hunc commentarium vocat *doctiſſimum* & *copioſum.*

Edidit & quatuor *Ariſtophanis* fabulas verſibus Latinis, & ſcholiis inluſtravit,

Plutum Traj. MDLVI.

Nebulas. Ibid. MDLVII.

Æquites. Ibid. MDLVII.

Ranas. Ibid. MDLXI.

Quas tres priores, omiſſa poſteriori, ſimul Trajecti prodiiſſe anno MDLVII. 4. refert Fabricius t. I. Bibl. Graec. lib. II. cap. XXI. §. II. & V.

De origine & interitu oppidi Nardeni hiſtoriam voluiſſe conſcribere, eamque, licet non confectam, Hermannum Antonidem van der Linden adſervare ſcribit Lappius.

Vitam hujus Hortenſii conſcripſit Lappius a Waveren, quae legitur in Hiſtoria Trajectina Bekae & Hedae edita anno MDCXLIII. poſt Hortenſii libros Seceſſionum, ubi varia elogia & teſtimonia virorum eruditorum producit.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCXIII. Miraeus

de Script. ſecul. XVI. cap. CXVII. Sweert. Ath. Belg. p DVIII. Opmeer Op. Chron. ad an. MDLVII. p CCCCXCVIII. Byerlinck ad an. MDLXXII. p XVI. Freher Theatr. Vir. Illuſtr. p. IV. p. MCCCCLXXII. M. Adam vit. Philoſoph. p. CXXXVII. Baelius Lexic. t. II. p. DCCXCIX. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CCXLVII.

HOVEN VAN ZYL (HUGO VAN DEN) Quamvis Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, neque alii Elogiorum conditores hujus mentionem faciant, & nulla eruditionis aut ingenii monumenta ab eo poſteritati relicta invenerim, plane tamen omittere nolui, quia a Valer. Andr. in Faſt. Acad. Lovan. p. XXXIX. Juris utriusque Licentiatus, inter Rectores Academiae Lovanienſis numeratur, & pag. CLXXIV. dicitur *Juris utriusque Doctor*, *Canonicus in Eccleſia Cathedrali Trajectenſi*, *Rector & Academiae a conſiliis.* Fuit vero Trajecti natus, Arnoldi filius, Canonicus Eccleſiae majoris Trajectinae factus die III Novemb. anno MCCCCLXXIII. obiitque anno MCCCCLXXXV. eique in dignitate Canonici ſucceſſit Adrianus Ram, ex ejus ſorore Agneta natus, die XIX Septemb. an. MCCCCLXXXV.

I.

ISSELT (MICHAEL AB) Hunc Doccomii in Friſia natum, ſed Amersfortii educatum tradunt Suffrid. Petr. de Script. Friſ. Decad. XIV, X. & Sweert. Ath. Belg. p. DLXVII. eumque ſecutus Freher. Theatr. vir. Illuſtr. part. I. ſect. III. p. CCCIII. Valerius Andreas Amersfortio natales debere adſerit, & Arnoldus Quentelius Typographus in Dedicatione, quam praefixit noſtri auctoris Hiſtoriae ſui temporis, *Amersfortii na-*

natum & educatum ſcribit, ipſeque hanc urbem *patriam ſuam* in Hiſtor. ſui temp. ad an. MDLXXIX. p. DCXL. ſeque *Amersfortium* vocat in editione Florum L. Granatenſis, quam mox memorabo. Patrem habuit Johannem, qui in urbe patria Amersfortio medicinam exercuit, deinde vero Doccomium in Friſia migraſſe, ibique obiiſſe teſtatur Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. ſcript. p. LIX. ipſe vero Michael patrem Leovardiae urbis Medicum fuiſſe, ibique in Monaſterio Franciſcanorum ſepultum, narrat in Hiſtor. ſui temp. pag. DCLXXVI. forte pater, relicta patria urbe, primo Doccomium, deinde Leovardiam, lares transtulit, ibique defunctus eſt. Et majores ejus Amersfortio ortos patet ex nomine *Iſſelt*, regionis tractu prope Amersfortium, ubi avos ſuos domicilium habuiſſe ipſe refert in Hiſtor. ſui temp. ad an. MDLXXX. pag. DCCXIX. Quo in loco etiam meminit avunculi ſui *Michaelis a Pomeren*, fortiſſimi Gelriae Ducis Caroli Archiſtrategi. In aedibus Verharii literis operam dediſſe tradit in Bell. Colon. lib. III. p. CCCXCI. & CCCXCVI. & Johannem Bruheſium Decanum Eccleſiae Trajectinae metrop. *Dominum ſuum* vocat, & lib. IV. pag. CCCLVI. Henricum Scorenburgium Medicum & Mathematicum adpellat *Magiſtrum ſuum*. Lovanii in Gymnaſio Porcenſi Philoſophica ſtudia abſolvit, deinde ad Theologiam ſe adplicuit, & in patriam redux, vicariam operam in concionando ſaepe praeſtitit, ad annum ſcilicet MDLXXIX. quo in exilium abire juſſus, uti ipſe narrat in Hiſtor. ſui tempor. ad d. a. p. DCXLVIII. ſe contulit Neomagum, cujus eccleſiae paſtor conſtitutus fuit. Anno MDLXXX. Swollae ſe fuiſſe, urbeque excedere juſſum, narrat in Hiſtor. ſui temp. pag. DCXCV. Neomagum urbem a

Principe Auriaco occupatam, quum Hiſpanorum partes ſequeretur, deſerere coactus, Coloniae lares fixit, ibique aliquamdiu habitavit, & ſcripta ſua edidit. Deinde Hamburgum conceſſit, ubi Parochum Romanenſem egit, & animam efflavit anno MDXCVII. Scripſit:

Hiſtoriam belli Colonienſis libris quatuor ab electione Gerhardi Truchſeſſii, usque ad recuperatam ab Erneſto Duce Bavariae Weſtphaliam. Colon. MDLXXXIV. & MDCXX. 8. Notatur a venerando Patre tom. I. Syll. Epiſt. p. CXXXIX. ut *ſacrificulus eſuriens*, quia pag. CCCLXIX. Erneſtum Epiſcopum Colonienſem fuiſſe *invicta conſtantis animi adverſus voluptates omnes contumacia, & indixiſſe vitiis bellum* teſtatur, quum Dom. Lampſonius, qui ei Epiſcopo ab actis erat, & interiorem ejus vitam noverat, quotidieque ipſi aderat, ut luxurioſum exhibeat, unde conſtat quo pretio Hiſtoriam ejus habere debeamus.

Conciones Euangeliorum Dominicalium & Feſtorum. Coloniae MDXCIV. 8. juxta Draud. Biblioth. Claſſ. tom. I. p. CCLXIV.

Hiſtoriam ſui temporis, in qua res in toto orbe terrarum geſtae, tum praecipue motuum Belgicorum ſub Philippo ſecundo Hispaniarum Rege concitatorum origo & ſucceſſus usque ad annum MDLXXXVI. *perſpicue & accurate deſcribuntur*, quae *Hiſtoria* poſt ejus mortem prodiit Coloniae MDCII. Et errat Valerius Andreas, qui *Hiſtoriam* ad annum MDXCVII. perduxiſſe tradit; Proprie enim non ulterius pervenit quam ad annum MDLXXX. & reliqua ad annum MDLXXXVI. deſumpta ſunt ex ſupplemento Surii, cujus auctor quoque noſter Michael, uti Typographus monet pag. DCCXVII. In linguam Germanicam hanc *Hiſtoriam* tranſtuliſſe Caſparum

rum Ulenberg & edidiſſe Coloniae MDLXXXVI. 8. tradit Lipenius Biblioth. Philoſ. p. CCLXXXV. Quod ſi verum, jam in Germanicam linguam verſio prodiiſſet, antequam Latina in lucem venerit, quod vix credibile; verum Lipenium ſaepiſſime errare in deſignandis annis editionum, infinitis in locis obſervavi.

Fictitio nomine *Jacobi Doccomienſis* ſcripſiſſe *Mercurium Gallo-Belgicum*, poſt Valer. Andr. & Freherum notat Placcius de Scriptor. Pſeudon. pag. CCCLXXIII. ſed male. Titulus hujus Mercurii, quo uſus ſum, his verbis concipitur: *Mercurius Gallobelgicus; ſive rerum in Gallia & Belgio potiſſimum, Hiſpania quoque, Italia, Anglia, Germania, Polonia, vicinisque locis, ab anno* MDLXXXVIII. *usque ad Martium anni praeſentis* MDXCIV. *geſtarum, nuncius. Opuſculum in ſex libros, qui totidem annos complectuntur, diviſum, auctore D. M. Janſonio, Doccomenſi Friſio, editio altera ab infinitis mendis repurgata, plurimis per ſingulos libros hiſtoriis aucta, & huc usque continuata. Coloniae Agrippinae apud Godefridum Kempenſem* anno MDXCIV. Si enim voces *D. M. Janſonio* exponamus *Domino Michaele Johannis filio* (Iſſeltium enim patre Johanne natum eſſe notavimus) patebit librum hunc non fictitio nomine *Jacobi Doccomenſis* editum.

Ex Italica in Latinam linguam vertit *Cornelii Muſſi Conciones*, cujus vitam quoque conſcripſit, & his concionibus praemiſit. Colon. MDCIII. Vid. Miraeus de Script. ſecul. XVI. cap. CXVIII. & Teiſſer. Catal. Auct. & Biblioth. p. CCXXXIX. Et

Inſtructionem brevem ad corroborandos & juvandos morituros, eos praeſertim, qui ob flagitium publica

judicum ſententia morti addicuntur. Colon. MDLXXXVIII. 12.

Edidit & *Flores Lodoici Granatenſis ex omnibus ejus opuſculis ſpiritualibus ſumma fide excerptos & in octo partes diſtributos.* Colon. MDLXXXVIII & MDLXXXIX. 12. & juxta Lipen. Bibl. Theol. t. II. p. DXLVII. Monaſterii MDCVI. 8. Ex Hiſpanica lingua vertit varia *Ludovici Granatenſis* opera, ut

Exercitia in VII *Meditationes matutinas & totidem veſpertinas.* Colon. MDLXXXVI & MDXCI. 12.

Ducem peccatorum. Ibid. MDLXXXVI & MDXC. 12.

De frequenti communione libellum. Ibid. MDLXXXV & MDXCI. 12.

De vita Chriſti. MDXCI. 12.

De Devotione, Excellentia, Utilitate & Neceſſitate orationes. Ibid. MDXCVIII & MDC.

De Euchariſtia libros III. Ibid. MDXCII. 12.

De Oratione & Meditatione libros IV.

Vid. Poſſevin. Biblioth. ſelect. lib. XVI. cap. XVII. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCLXXIV. Sweert. Athen. Belg. Verhoeven apud Matt. Rer. Amersf. ſcript. p. XLIV. & Auctor Incert. Ibid. p. CLXXVII. qui eum inter Poëtas memorat, & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXCIX.

JUNIUS (HADRIANUS) Hunc *Ultrajectinum, & magnae eruditionis, longeque majoris exſpectationis juvenem* vocat Voſſius Oratione in Obitum Thomae Erpenii, quae exſtat in Oper. Voſſii poſt libros de Hiſtoricis Graecis & Latinis, & apud Witte Memor. Philoſ. t. I. p. CXLIX. unde conſtat ſub Erpenio literis operam dediſſe. Fuit vero moderator Gymnaſii Amſtelo-

ſtelodamenſis & praeceptor Francii & Broekhuſii, quem inſigni elogio ornavit venerandus Pater in Oratione in obitum Jani Broekhuſii pag. VI & ſeqq. & memoriam optimi praeceptoris carmine celebravit Broekhuſius, quod exſtat in ejus Poëmat. pag. CCCCXCVIII.

L.

LAMPE (FREDERICUS ADOLPHUS) Detmoldiae in Comitatu Lippiae XIX Febr. MDCLXXXIII. vitae lumen adſpexit. Utriusque linguae in ſchola Bremenſi rudimentis hauſtis, Franequeranam & Trajectinam Academiam frequentavit, ubi omnibus elegantibus literis & diſciplinis eruditus, ſedulo Theologiae operam dedit, praecipue Campegii Vitringae, & Herm. Alex. Röellii inſtitutione uſus. Confecto Academicorum ſtudiorum curriculo, primo Weezenſis in agro Cliviaco Eccleſiae cura ei committitur. Deinde Teutoburgi & poſtea Bremae Eccleſiaſten egit, donec anno MDCCXX. Theologiam docendi provinciam in Academia noſtra oblatam in ſe ſuſcepit. Non vero Eccleſiae paſtor conſtitutus fuit, ut innuere videtur auctor Programmatis funebris, quod exſtat tom. II. Miſcell. Duisburg. Faſc. II. ſed alternis dominicis, exceptis feriis majoribus, concionem habuit lingua Germanica, praeterque eam nulla alia munera eccleſiaſtica obivit. Anno MDCCXXVI. Hiſtoriae Eccleſiaſticae Profeſſio ei demandata fuit, & anno ſequenti Bremenſes illum iterum ſibi vindicarunt, & ad inluſtrem Scholam & Eccleſiam evocarunt lautiſſimis conditionibus, ſcilicet ut Theologiam ordinario Profeſſoris titulo doceret, ſimulque alternis annis Rector, & Eccleſiae Anſcha-

ſcharianae Paſtor eſſet. Relicta itaque Academia noſtra Bremam migravit, ibique VIII Decemb. MDCCXXIX. obiit, anno aetatis XLVI. Fuit vero citra omnem controverſiam vir eruditiſſimus, & Theologus conſummatiſſimus, quod & probant varia ejus ſcripta, quae poſteritati reliquit. Sunt vero:

De Cymbalis veterum libri tres. Traj. MDCCIII. 12.

Exercitationum ſacrarum dodecas, quibus Pſalmus XLV. *perpetuo commentario explanatur immiſtis variis ad ſenſum ſacrae ſcripturae Hieroglyphicum & Antiquitates ſacras ſpectantibus.* Bremae MDCCXV. 4.) vid. Lipſ. Act. Erud. Octob. MDCCXV. & Journal Literaire MDCCXV. pag. CCCXV. Hae Exercitationes in Belgicam linguam verſae a Mattheo Gargon prodierunt Dordraci MDCCXX. II. vol. 8.

pp. 626. sine praefatione et indicibus.

Synopſis Hiſtoriae Sacrae & Eccleſiaſticae, ab origine mundi ad praeſentia tempora, ſecundum ſeriem periodorum deductae. Traject. MDCCXXI. 8. Vid. Act. Erud. Lipſ. Januar. MDCCXXII. recuſa iterum prodiit an. MDCCXXVI.

Compendium Theologiae naturalis in ſcholae privatae uſum concinnatum. Traj. MDCCXXIII. 8.

Commentarius Analytico-exegeticus Euangelii ſecundum Johannem. Amſtel. MDCCXXIV & MDCCXXV. III. vol. 4. vid. Lipſ. Act. Erudit. Octobr. MDCCXXV. ubi recenſent tomum primum recuſum Baſileae MDCCXXV. Hunc commentarium *eruditum* pronuntiat Fabricius de Scriptor. Verit. relig. Chriſt. c. XXVI. p. DIX. vid. & cap. XXXI. p. DCXXVI.

Delineatio Theologiae Activae ex limpidiſſimis doctrinae Euangelicae fontibus petitae, & ad dirigendam totius vitae ſpiritualis actuoſitatem cuivis vere Chriſtiano com-

competentem, per omnes ejus partes, gradus, vices, & relationes perpetua ſerie deductae. Traj. MDCCXXVII. 4.

Hiſtoria Eccleſiae Reformatae in Hungaria & Tranſylvania, inter perpetua certamina & adflictiones a primordio praecipue repurgatorum ſacrorum ad recentiora tempora per Dei gratiam conſervatae, ex monumentis fide digniſſimis magnam partem congeſta. Traj. MDCCXXVIII. 4. Hanc *Hiſtoriam* proprie ipſe non conſcripſit, ſed ab alio conſcriptam in eum, quo prodiit, ordinem digeſſit.

Rudimenta Theologiae elenchticae in uſum ſcholae privatae concinnata. Bremae MDCCXXIX. 8.

Oratio de Summa Sapientia. MDCCXX. 4.

Oratio de Memoria ſanctorum per ſtudium eccleſiaſticum pie & prudenter excolenda. Ib. MDCCXXVI. 4.

Oratio de inſignibus Academiae Trajectinae. Ibid. MDCCXXVII. 4. (Ian. 31. 1727. Rectoris Magnifici faſces deponeret.

Oratio de Urim & Thummim Typum doctoris Euangelici. Bremae MDCCXXVII. 4.

Praefationem *Hottingeri diſſertationibus Biblico-Chronologicis* praemiſit. Traj. MDCCXXIII. 8.

Cum Haſaeo Bremenſi Theologo tres tomos *Bibliothecae Bremenſis* evulgavit, & varias diſſertationes inſeruit. Sic in tomo primo exſtat ejus *Harmonia utriusque decalogi exemplaris Exod.* XX. & *Deuter.* V. ut & *de die Chriſti ab Abrahamo viſa, ad locum Joh.* VIII, LVI. *exercitatio.* & tomo ſecundo *De cornu ſalutis fulgido, ad illuſtranda loca, quae Meſſiae cornu adſcribunt, meditatio,* & *Spicilegium ad Pſalmum* XIX. & *commentarium H. Deuſingii.* & de loco Actorum XII, XXXII. & tom. III. *Triga quaeſtionum circa miracula ſan-*

ſanctorum reſurgentium, ut & *Diſſertatio ad Matth.* XXIV, XV.

Varia quoque ſcripſit & edidit lingua Germanica, quae pleraque in Belgicam verſa ſunt, ut

Over het Genaden Verbond. Bremae MDCCXI. & Belgice cum praefatione Petri Boudaan Eccleſiaſtae Amſtelodamenſis. Amſtel. MDCCXVII. VI. vol. 8.

Geſtalte des Bruids van Chriſtus voor haaren uitgang uit Babel, vertoont in verſcheide Predikaatien over Openbar. XIV. I--5. *nevens eenige andere mengelſtoffen. Waar by gevoegt zyn twee Predikaatien over Pſalm* XCIII. 5. *en Openbar.* II. 7. Amſt. MDCCXIX. 8. Conciones has in revelationes Johannis Teutoburgi Eccleſiaſten agens anno MDCCX. lingua germanica ediderat.

Balſem uit Gilead tegen aanſteckende ziekten, ter gemeene ſtichtinge by deeze gevaarlyke tyden meedegedeelt, en vermeerdert met een gebed en predikatie over Pſalm CXIX. 175. Amſt. MDCCXIX. 8. prodierat antea Germanice MDCCXIII.

Het heilige Bruidcieraat der Bruiloftsgaſten des Lams aan zyn verbonts tafel, in een verhandelinge van het regte gebruik des H. Avontmaals, benevens eenige hier toe behoorende uitgeleezene predikatien tot gemeene ſtichtinge opgeſtelt. Amſt. MDCCXX. 8.

Naleezinge van eenige uytgezogte predikatien tot een aanhangzel der geenen, die voormaals onder den tytel van de geſtalte des Bruids Chriſti voor haar uytgang uyt Babel, uytgegeven zyn. Ibid. MDCCXXI. 8.

Melk der Waerheit volgens aanleidinge van den Heidelbergſchen Catechismus, ten nutte van de leerbegeerige jeugd opgeſtelt, en zynen beminden Catechiſanten te

Bre-

Bremen ter gedachteniſſe nagelaten. Ibid. MDCCXXI. 8.

Geſangen en verbontsliederen, berymt door W. K. Utr. MDCCXXIV. 8.

Zeſtien predikatien over Jeſaias LV *en Hebreen* XI. Amſt. MDCCXXV. 8.

Over den XLVI *Pſalm.* Amſt. MDCCXXVI.

De Waare Geſtalte van Chriſtus in zyn Ledematen door Ludew. Georg. Treviranus, waar by gevoegt is een verhandeling van Gods beeldt, opgeſtelt door Fred. Adolf Lampe. Utr. MDCCXXVI. & Amſt. MDCCXXXVII. 8.

Schets der Godgeleertheid. Ibid. MDCCXXVIII. 8.

Gedenkteeken der Goddelyke wegen. Ibid. DDCCXXVIII. 8.

Aanmerkingen tegen Fruytier. Roterod. MDCCXXIX. 8.

Urim en Tummim, en afſcheid en intreereedenen. MDCCXXVIII. 8.

Elf betragtingen van het ſterven en doot der menſchen. Amſt. MDCCXXXI. 8.

Vier Academiſche verhandelingen van het zaligmakende geloof tegen van Thuynen. Amſt. MDCCXXIII. 8.

Groote voorregten van den rampzaligen Apoſtel Judas Iskariot, allen trouwloozen leeraren tot een ſchrik, en allen over het hedendaagſch kerkverval verwarde zielen tot waarſchouwinge voorgeſtelt door Philadelphus Photius. MDCCXIII. Germanice, & in Belgicam linguam ſcriptum hoc verſum cum alio hoc titulo: *Bedrieglyk dwaalligt in de ſchriften van Chriſtiaan Anth. Romeling, ontdekt door Fr. Ad. Lampe, vertaalt door Ja. Ludov, Gochenius Predikant te Garshuyſen.* Groning. MDCCXXXV. 8. vide Republ. der Geleerd. Nov. & Decemb. MDCCXXX. p CCCCVI.

Eo inſcio, prodierunt Baſileae anno MDCXXV. 4. quae-

 dam

dam conciones ſub ejus nomine. vid. Nova Literar. Lipſienſ. an. MDCCXXVI. pag. CCXXV.

Edidit & lingua Germanica varias conciones, quas recenſitas vide in Miſcell. Duisburg. t. II. Faſcic. II. ubi & elogium ejus exſtat. Et nulla umquam Theologi ſcripta novi tam avide excepta, tamque cito divendita, & unde tantum pecuniae auctor ſibi comparavit, quam in adornanda Bibliotheca, quam ſplendidiſſimam reliquit, inpendiſſe fertur.

Theſaurum S. Scripturae myſticum edere voluiſſe conſtat ex Praefatione ante Exercitationes ſacras. vide & Nova Literar. Lipſienſ. an. MDCCXV. p. CLXXXII. & CCCXXXV.

Inter eruditos praecoces numeratur a Seelen. & Kleſekero in Biblioth. Erudit. Praecoc. p. CXCIV.

LAPPIUS A WAVEREN (GISBERTUS) Trajectinus. Avum habuit Gisbertum, ex Weſopio Hollandiae oppido ortum, qui Campis & deinde Trajecti medicinam exercuit, & auctor eſt *Inſtitutionum Grammaticarum*, quae prodierunt Antverpiae an. MDXXXIX. 8. & cujus eſt *Elegia* ante Hortenſii enarrationes in Virgilii Aeneida, & quem inter viros doctos ſcriptis claros memorat Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCXC. Cujus filius Johannes, noſtri pater, DCCC florenos reliquit collegio ſive domui pauperum Standonicae Lovanienſi, uti refert Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. p. CCLXXIII. Noſter vero in Academiis Lovanienſi & Duacenſi literis operam dedit, deinde Galliam adivit, & Doctoris juris titulum adeptus, Trajectum rediit, ibique vitam tranſegit. Fuit vero vir eruditiſſimus, & antiquitatis patriae peritiſſimus, quem Voetius lib. I. Polit. Eccleſ. Tract. II. cap. XII. §. VIII. vocat *magnum antiquarium*. & Matth. de Jure Glad. XIX *virum*

rum doctiſſimum & rerum antiquarum curioſiſſimum. & Dedicat. ante Tom. II. Analect. *omnis antiquitatis ſtudioſiſſimum virum.* & Heuſſ. Hiſtor. Epiſc. Traj. t. I. p. CXXVII. non tantum adpellat *virum exquiſitae, variae, miſcellae eruditionis, lectionisque exhauſtae;* ſed & addit: *huic viro erudito debemus, quod plurima eccleſiae Trajectinae monumenta ab interitu vindicata ad poſteros dimanarint; certe eo ejus memoriae plurimum obſtrictus ſum, ex cujus Muſaeo plurima in hanc rem meam conſecutus ſum.* Fuit enim Romanenſium ſuperſtitionibus addictiſſimus.

Famam adeptus eſt editione *Corporis Hiſtoriae Trajectinae*, quod cum notis Buchelii, ut ſupra in Buchelio obſervavimus, edidit, notisque marginalibus inluſtravit. Traject. MDCXLIII. fol. Epiſtola ejus ſcripta Joh. Iſaacio Pontano exſtat apud Matth. Syll. Epiſt. CLXVII.

In animo habuiſſe *Viglii Zuichemi vitam* a Viglio ipſo conſcriptam, notis inluſtratam edere, teſtatur Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCXC.

Auctor quoque eſt *Obſervationum de morte Alberti Pighii*, contra Johannem Gerhardum Profeſſorem Jenenſem, quas Bartholdus Nihuſius, celebris ille Apoſtata, ſuo *Hypodigmati* inſeruit, vid. quae infra in Alberto Pighio adnotabo.

LAURIMANNUS (CORNELIUS) Trajecto natales debet, fuitque ſcholae noſtrae Moderator, & Poëtices laude floruit. Obiit vero menſe Aprili an. MDLXXIII. ac ſepultus eſt in choro Eccleſiae civilis poſtea diruto. Scripſit

Odas annales juventuti ſcholae Ultrajectinae modulandas, & varias *Comoedias ſacras*, ut

Militem Chriſtianum. Antv. MDLXV.

Exodum ſive tranſitum maris rubri, cui ſubjuncta eſt *Eſthera Regina*. Lovan. MDLXII. 12.

Thamar & Tobiam.

Nabath Tragicomoediam, atque alia Poëmata, quae MSS. poſſediſſe Johan. de Jonghe Advocatum Mechlinienſem teſtatur Valerius Andreas.

Edidit & *Johannis Belethi* Doctoris Sorbonici, *Rationale de divinis officiis* cum duplici praefatione. Antverp. MDLIX. 16. vid. Voet. tom. III. Diſp. Theolog. p. DCCCCXCII.

Ad hunc Laurimannum eſt Epoda Douzae pag. CCXXXI, CCXXXIII & CCXXXV. In albo Jani Douzae adſcripſit:

Ad Janum Douzam a Noortwyck.

Diſertiſſime Jane Douza vatum
Et quantum fuerit venuſtiorum,
Et quantum fuerit diſertiorum,
Aut quantum eſt, aliis eritve in annis,
Uno dixerit ore te poëtam,
Et te delicias novem Dearum,
Et te, qui comitem ducemque quondam
Arbitrumque ſacrae ſacrum coronae
Phoebo te exhibeas vel invidente.
Ergo nil tibi dulce prae Camoenis,
Prae te nil quoque dulce jam Camoenis:
Has tu plus adamas tuis ocellis,
Teque hae plus redimant ſuis ocellis.
Quod inter reliquos malos poëtas
Ait peſſimus ille Laurimannus,
Ille peſſimus omnium poëta
Teſſeramque animi ſui hanc reliquit.

Ad

Ad eumdem puri Trochaei ejusdem fere argumenti:

Jane Douza, nobilis poëta, vatum
Quidquid eſt venuſtiorum,
Quidquid aut fuit prius diſertiorum,
Poſteris eritve in annis,
Te unum & unicum decus novem ſororum
Ore nominabit uno:
Te ſibi canent ducemque praeſidemque
Muſae, Apolline invidente.
Te lepore alent inuſitato & usque
Caſtalis lavabit unda.
Nil tibi ergo dulce ridet ante Muſas,
Ante te nihilque Muſis.
Id quod exteri, & ſciunt domeſtici, id quod
Quilibet Poëta norit,
Quodque idem nec ulla ſubticebit aetas,
Judicaveritque id ipſum
Quidquid eſt, fuitve, eritve alîs in annis
Judicum ſeveriorum.

Elogium hujus reliquerunt Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCLVI. Sweert. Ath. Belg. p. CXCI. & H. v. R. ad Heuſſ. Hiſt. Eccl. t. II. p. CXLI.

LEIDEKKERUS (MELCHIOR) Medioburgo-Zelandus, vitam ingreſſus eſt die XXI Martii anno praeteriti ſeculi quadrageſimo ſecundo. Utriusque linguae rudimentis in ſchola patria poſitis, Trajectum miſſus, Carolum Demaatium Avunculum, Voetium & Hoornbeekium in Theologia praeceptores habuit, quorum ultimum Leidam vocatum ſecutus ibi & Coccejum audivit, laureaque Doctorali in Theologia ornatus

natus eſt. Inter S. S. miniſterii candidatos relatus, anno MDCLXII. Eccleſiae Reniſſe & Noordwelle in Zelandia cura ei commiſſa, ubi per quinquennium Eccleſiaſtae munere functus eſt, & anno MDCLXXVIII. Theologiam docendi provincia in noſtra Academia ei demandata eſt. Anno MDCLXXXIX. Groningenſes ad Academiam ſuam evocarunt honorario MDCCC florenorum annuorum; verum rogatus a Magiſtratibus noſtris, ne Academiam noſtram deſereret, aucto honorario trecentis florenis annuis, conditiones oblatas abnuit, & ad mortem usque hic permanſit. Obiit vero ultima in ſenectute VI Januar. anno MDCCXXI. aetatis LXXIX.

Fuit revera vir multae lectionis, & Orientalium linguarum peritiſſimus, & jam XVII aetatis anno ſcripta Rabbinorum ſe legiſſe ipſe teſtatus eſt, uti adnotant Lipſiens. Act. Erudit. Martii MDCCV. unde inter eruditos praecoces ponitur a Klefekero in Biblioth. Erudit. Praecoc. p. CXCIX. judicium tamen multi in eo deſiderarunt, ſtilumque barbariem meram redolentem culparunt. Poëticam quoque adfectavit, variaque carmina edidit infelix poëta, quibus ludibrium dedit egregiis Poëtis Francio, Broeckhuſio, aliisque, quos offenderat, uti notum eſt.

Scripta ejus ſunt:

Oratio inauguralis de ſectanda veritate in amore. Traj. MDCLXXVIII.

Fax veritatis, ſive Exercitationes ad nonuullas controverſias, quae hodie in Belgio potiſſimum multa ex parte Theologico-Philoſophicae, moventur. Praefixa eſt praefatio de ſtatu Belgicae Eccleſiae & ſuffixa diſſertatio de Providentia Dei. Leidae MDCLXXVII. 4. Quo

ſcripto

ſcripto adverſarium nactus eſt Petrum Allingam, cujus eſt *Fax diſſidii exſtincta, ſeu Exercitationes pacificae ad nonnullas quaeſtiones problematicas, quae hodie potiſſimum in Belgio moventur, contra M. Leidekkerum.* Amſtel. MDCLXXXII. 4. Quum enim Petrus Allinga in praefatione *Eromatibus* ſuis praefixa, profeſſus eſſet *Facem* illam Leidekkeri refutaſſe, Leidekkerus noſter, cum Allinga nullum aliud ſcriptum contra hanc *Facem* edidiſſet, *Facem* ſuam *inexſtinctam, & vi veritatis numquam exſtinguendam fore*, in corollario quodam diſſertationis Academicae XII Feb. MDCLXXIX. hic habitae, gloriatus erat; quo in arenam ſe provocatum eſſe putans Allinga, hanc refutationem evulgavit. Huic ſcripto Leidekkerus *Apologeticum* oppoſuit, cui Allinga reſpondit libello, cui hic titulus: *Vis veritati illata repulſa, ſive exercitationes pacificae ad nonnullas quaeſtiones problematicas, quae hodie moventur de Teſtamentis & Oeconomia foederum Dei. Accedit reſponſum ad nuperum Leidekkeri Apologeticum.* Amſtel. MDCLXXXII. 4. Vid. Act. Lipſ. Erud. Maji & Octobr. MDCLXXXII. qui quoque continet refutationem ſequentis libri, quem hoc titulo edidit Leidekkerus:

Vis veritatis, ſive disquiſitionum ad nonnullas controverſias, quae hodie in Belgio potiſſimum moventur de Oeconomia foederum Dei, libri quinque. Traject. MDCLXXIX. 4. quem librum recenſet Fabric. tom. IV. Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. DXXVII & DXXVIII.

Diſſertatio de Eccleſiae Chriſtianae per Judaiſmum & Gentilismum oppugnatione. MDCLXXXI.

De Oeconomia trium perſonarum in negotio ſalutis humanae libri quatuor, quibus univerſa reformata fides certis principiis congruo nexu explicatur, demonſtra-

tur & defenditur. Traject. MDCLXXXII. 4. Vid. Act. Erud. Lipſ. Februar. MDCLXXXIII.

Analyſis Scripturae, & de ejus interpretatione in concionibus, cum methodo concionandi. Traj. MDCLXXXIII. 8.

Medulla Theologiae concinnata ex ſcriptis celeb. virorum. Ibid. MDCLXXXIII. 8.

Medulla Theologiae practicae. Ibid. eodem. anno. 8.

Synopſis Theologiae Chriſtianae, ut & Epiſtola de facillima lectione textus Hebraici. Ibid. MDCLXXXIV. 8.

Myſterium pietatis defenſum adverſus hodierna conſilia myſterii iniquitatis. Ibid. MDCLXXXVI. 8.

Georgii Hornii hiſtoriam eccleſiaſticam ad an. MDCLXXXVII uſque continuavit, cui adjunxit *L. Capelli Hiſtoriae Judaicae compendium cum adnotationibus.* Leidae MDCLXXXVII. 8. Franequerae prodiiſſe adfirmat Fabric. t. XII. Biblioth. Graec. p. CLXXX. quae *Hornii Hiſtoria* in linguam Belgicam verſa edita eſt Amſtel. MDCXCVI. & juxta Biblioth. Bremenſ. claſſ. III. Faſcic. I. Hagae MDCCV. 8.

Diſſertatio Theologica de motis nuper in Friſia controverſiis ſuper auctoritate S. Scripturae ad virum Ampliſſimum Ulricum Huberum. Goeſae MDCLXXXVII.

Veritas Euangelica triumphans de erroribus quorumvis ſeculorum, opus Hiſtorico-Theologicum in duos tomos diſtributum, quo principia fidei Reformatae demonſtrantur, & origines eorum oſtenduntur. Traject. MDCLXXXVIII. II. vol. 4. vid. Act. Erud. Lipſienſ. Februar. MDCLXXXIX.

Epiſtola & diſſertatio Apologetica ad verbi divini in Belgio miniſtros. Ibid. MDCLXXXIX.

De mente Pauli in Epiſtola ad Romanos & Galatas. Ibid. MDCXC. 8. anno MDCXCIV. prodiiſſe adfirmant editores Bibliothecae Bremenſis Claſſ. III. Faſc. I.

Hi-

Hiſtoria Eccleſiae Africanae illuſtrata, qua ejus origo, ſtatus, variaque illius fata & interitus exponuntur, & de illius principiis, fide, cultu, libertate & pugna cum Donatiſtis diſſeritur, pro Eccleſiae reformatae veritate & libertate. Ibid. MDCXC. 4. vid. Act. Erudit. Lipſienſ. Octobr. MDCXC.

Commentarius in Auguſtinum de Unitate Eccleſiae. Ibid. MDCXC. 4. vid. Ludovic. Auctar. ad Ittigii ſchediasma de Auctoribus qui de Script. Eccleſiaſt. egerunt §. XXXIX. p. CLXII.

Synopſis controverſiarum de Foedere & Teſtamento Dei, quae hodie in Belgio moventur. Accedit Apologeticus, quo ad iniquas Johannis Wayeni cenſuras modeſte reſpondetur: nec non Exercitatio Theologica de Sacrae Scripturae auctoritate ad conſcientiam adſtruenda. Ibid. MDCXC. 8. Vid. Act. Erudit. Lipſienſ. Novembr. MDCXCI.

Diſſertatio Hiſtorico-Theologica de vulgato nuper Beckeri volumine & Scripturarum auctoritate & veritate, pro Chriſtiana Religione Apologetica. Ibid. MDCXCII. 8. Quae cum eo inſcio & invito in Belgicum ſermonem eſſet verſa, querelas ad magiſtratus noſtros detulit Leidekkerus, qui in auctorem verſionis inquirendum decreverunt, uti legi in actis magiſtratuum noſtrorum XXIX Februarii MDCXCII.

Edidit & *Ludovici de Dieu Aphoriſmos Theologicos*, ut & *Rhetoricam ſacram*, quibus addidit *Ideam demonſtrationis Religionis Reformatae.* Traject. MDCXCIII. 8.

Commentarius in Catheſin Palatinam, & Appendix exercitationum maxime practicarum, & Appendix continens ſermonem Academicum de Exundatione Oceani &c. & quaedam carmina. Ibid. MDCXCIV. 4.

Diſſertatio de erroribus in Belgio ſerpentibus, & neceſſaria Orthodoxorum concordia. Ibid. MDCXCIV. 8.

Hiſtoriae Janſenismi libri ſex, quibus de Cornelii Janſenii vita & morte, nec non de ipſius & ſequacium dogmatibus diſſeritur. Ibid. MDCXCV. 8. vid. Act. Erudit. Lipſienſ. Januar. MDCXCVI. quem librum laudat Baelius Lexic. t. II. p. DCCCXXX.

Adverſarium quoque nactus eſt Johannem Vlack Eccleſiaſten Zutphanienſem, cujus nomine prodiit *Diſſertationum trias de Dei operum & Pacis foederibus, atque de Juſtificatione, in quibus veritas ex Sacra Scriptura, antiquitate & reformationis principiis demonſtratur, atque animadverſionibus M. Leidekkeri modeſte reſpondetur.* Cui Leidekkerus oppoſuit primo *Epiſtolam*, quae prodiit MDCXC. & deinde Libellum de *Erroribus Joh. Vlack & Diſſertationem apologeticam.* Traj. MDCXCVIII. 8.

Maimonidis librum de Regibus Hebraeorum, eorumque juribus Latine a ſe verſum cum notis edidit in 8. & poſtea inſeruit lib. VII. de Republica Hebraeorum c. IV. p. CCXXXII. & ſeqq. & cap. XIII. p. CCCCLXXXV. & ſeqq. notante Fabricio in Bibliogr. Antiq. cap. XIV. §. III. & de Scriptor. qui veritat. relig. Chriſt. aſſeruer. cap. XXXI. p. DCXIX.

De Republica Hebraeorum libri duodecim, quibus de ſacerrima gentis origine & ſtatu in Aegypto, de miraculis divinae providentiae in Reipublicae conſtitutione, de Theocratia, de illius ſede ac civibus, de regimine politico, de religione publica ac privata, diſſeritur. Porro antiquitates Judaeorum verae oſtenduntur, & falſae corriguntur, hiſtoria veteris Teſtamenti exponitur, fabuloſae origines Gentium, Aegyptiorum, Phoenicum, Ara-

Arabum, Chaldaeorum, Graecorum & Romanorum referuntur. Subjicitur Archaeologia ſacra, qua hiſtoria creationis & diluvii Moſaica contra Burneti profanam telluris Theoriam aſſeritur. Amſtel. MDCCIV. fol. vid. Act. Lipſ. Erud. Martii MDCCV.

De vario Reipublicae Hebraeorum ſtatu libri novem Theologici, Philoſophici, Hiſtorici, ſive tomus ſecundus de Republica Hebraeorum. Amſt. MDCCX. fol. & promiſit tomum tertium, quo hiſtoriam Hebraeorum a Chriſto nato ad noſtra usque tempora complecteretur. vid. Act. Erudit. Lipſien. Junii MDCCX. & Januar. MDCCXIV. & in Supplem. t. V. ſect. VI. quem a Carolo Tuinmanno ejus diſcipulo verbi divini Miniſtro, dum viveret, Medioburgenſi, ex chartis & ſchedis Leidekkeri conlectum, hodie adhuc ſupereſſe, teſtatur La Rue Gelett. Zeeland. p. LV.

Diſputationes Theologicae ſex de cauſis ſalutis. MDCCIX.

Orationem ejus *de uſu linguae Hebraeae,* ut & *de utilitate humaniorum literarum in ſtudio Theologico,* memoratam inveni in Catalogo Bibliothecae Outhovii pag. LXXIV.

Diſputationis Hiſtorico-Theologicae de vario Janſeniſtarum fato, meminit Baelius in Lexico in voce Bellarminus t. I. p. DX. ubi eum refutat, quod dixerat Bellarminum a Papa Lovanium miſſum, ut cognoſceret de controverſiis, quas Bajus, celeberrimus eo tempore Theologiae Profeſſor, cum quibusdam, & praecipue Jeſuitis, exercebat.

Binas Leidekkeri *Epiſtolas ad Jobum Ludolfum* ut & *Ludolfi reſponſum,* exhibet Struvius Act. Literar. Faſcic. VI. p. LVII. & ſeqq.

Non vero auctor eſt *Epiſtolae de variatione Magnetis a ſuo quondam ſolito puncto,* conſcriptae a *Melchio-*

Academissche Reden van Zd'Heer Melchiorre Leijdecke[r]
Doctor ende Professor der H. Theologie in de vermaerde Acade[mie]
Tot Utrecht. Gedaen in de groote gehoor-plaets wegens d[e]
onlanghse Watervloet, voorgevallen den 26. januarii deses jaers
over het opschrift van seker geslagen penninck 1571.
De selve [illegible] is beschermer en Viand. [illegible] Tot Middelburg

re Leydekero, quam exſtare in Appendice ad annum ſecundum Dec. II. Ephemer. Medic. Phyſic. natur. Curioſ. Germ. Noribergae MDCLXXXIV. 4. notat Merklin. in Linden. Renovat. p. DCCCVII. Inſpecta enim hac Epiſtola, didici Melchiorem hunc Leidekerum Zelandum quoque, Theologiae & Medicinae doctorem fuiſſe, & verbi divini miniſtrum Bataviae Indorum egiſſe.

Belgica ejus ſcripta ſunt:

Sulamyth, dat is, zeedige verdeediging van de oude regtzinnige Godgeleertheid in en omtrent de hedendaagſe zweevende verſchillen. MDCLXXIII. 8.

Raad des vredes en bedeelinge der genade door de Godlyke Drieenheid, en de uitvoeringe der zaligheid aller uitverkoorenen byzonderlyk onder het Oude Teſtament. Amſterd. MDCLXXV. 8.

Euangeliſche waarheid van den Gereformeerde Godsdienſt betoont. Utrecht. MDCLXXXIV. 8.

De ſmerten des Meſſias, zynde een verklaaring over Jeſaia LIII. Utr. MDCLXXXV 8.

De Heiligheit en geeſtelykheid van den Gereformeerde Godsdienſt. MDCLXXXVI. 8.

De zugtende kerk haare regtvaardigheid en onnoozelheid verdeedigende. Utr. MDCLXXXVII. 8.

Verdeedivinge der godsgeleertheid. Amſt. MDCLXXXVII. 8.

De Goddelykheid der Heylige Schriften. Utr. MDCXCII.

Tractaatje tegen de Antinomiaanen. Hage MDCC. 8.

De verborgentheid des geloofs eenmaal den heiligen overgeleevert, of het kort begrip der waare Godsgeleertheid beleeden in de Gereformeerde kerke. Roterod. MDCC. 4. Editio 2da 1720. in 4. Amstelodami.

De ingebeelde hemel op aarde van D. F. L. verdweenen

nen voor den waaragtige hemel op aarde. Utr. MDCCIV.

F. Leenhofs boek ſtrydende tegen het Chriſtendom, en in het byzonder tegen den Gereformeerde Godsdienſt, ontdekt. 8.

F. Leenhof nader ontdekt. Amſt. MDCCV. 8.

Over den brief aan den Romeinen. Amſt. MDCCV. 8.

Zeedige zamenſpraak door Joh. Philalethes. MDCCVII. 8.

Het vriendelyke gezelſchap, handelende van de tweede oorzaken en haare werkzaamheid onder God, als de eerſte oorſaak. Rotterd. MDCCVIII. 8.

De Heerlykheid des Euangeliums in de gerechtigheid van Jeſus Chriſtus. Amſt. MDCCVIII. 8.

Filius Dei ſponſor, of de lof en eer van Jeſus Chriſtus onzen borge in zyne volſtrekte borgbelofte voor allen uitverkoorenen, byzonder de geloovigen des Ouden Teſtaments. Ibid. 8. Quo ſcripto adverſarium nactus eſt Gerhardum Perizonium, celeberrimi Jacobi fratrem, verbi divini miniſtrum Brielanum, qui edidit *de Volſtrekte borgtogt van de Zoone Gods.* Amſtel. MDCCX. 8.

De Vryheid van Europa verdeedigt door de Proteſtanten. Rotterd. MDCCXI. 8.

Broederlyk gezelſchap handelende van de verbonden, en het Oude en Nieuwe Teſtament. MDCCXV. 8.

Vreedzame Zamenſpraak over de verbonden door Joh. en Timotheus. MDCCXVI. 8.

Korte aanmerkingen over de leere der verbonden. 8.

Edidit & *Concionem funebrem in obitum Gulielmi tertii Brittanniae Regis*, Belgice, & Praefationem *Operibus Theologicis Johannis Viſſcheri* praefixit.

Vid. La Rue Geletterd Zeeland p. LIII. Biblioth. Bremenſ. d. l. & Nova Literar. Lipſ. an. MDCCXXI. pag. DCLI.

LEO.

LEONINUS (ALBERTUS) vulgo VAN LEUWEN A GROENEWOUDE, Trajecti natus, Juris utriusque Doctor, & Matheſeos peritiſſimus fuit. *Mathematicus minime vulgaris* dicitur a Clar. Graevio Orat. in L. Acad. Traj. nat. Obiit Trajecti xxx. Maji an. MDCXIV. ſepultus ad S. Mariam minorem.

Scripta ejus ſunt:

De vera quantitate anni Tropici.

De ratione reſtituendi annum civilem ad Gregorium XIII. P. M. Coloniae MDLXXVIII.

Commentarius in doctrinam praeceſſionis, aequinoctiorum & obliquitatis Zodiaci contra Genethliacos. Antverp. 4.

Theoria motuum coeleſtium ſecundum doctrinam Copernici. Colon. MDLXXXIII. Vid. Boecler. Bibliogr. Critic. cap. XXXIV. §. XVIII.

Rhetorica, ſive de arte dicendi libri duo. Spirae MDLXXXVIII. 8.

Comoedia moralis de reducenda pace. Baſil. MDLXXXIX. 8.

An ejus ſit *Contemplatio exegetica in Apocalypſin.* Amſtel. MDCVIII. 8. quae *Alberti Leonini* nomine juxta Draud. Biblioth. Claſſ. tom. I. pag. XXIII. prodiit, ignoro.

In Albo Jani Douzae haec adſcripſit:

Quid tibi Doeza poteſt cupienti carmen amoris
Inter tam doctas ſcribere noſtra manus.
Carmina me fugiunt, fugientem iratus Apollo
A fonte & ſacris juſſit abeſſe ſuis.
Nil tamen haec curo, ceſſit pudor omnis amori,
Oraque ſudore frigida liquit iners.
Hic igitur capies perfidi pignus amici,
Quem neque mors veſtro pertrahet a genio.

Vid.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. XXXVII. Sweert. Athen. Belg. p. CXIV. & Witte Diar. Biograph. t. I. ad an. MDCXIV.

LEUSDEN (JOHANNES) In lucem prodiit Trajecti XXVI Aprilis anno MDCXXIV. Decurſo ſtadio ſcholaſtico, in literis humanioribus Lyraeo praeceptore aliquamdiu uſus, deinde Philoſophiae ſub Berkringero ſe adplicuit, & anno MDCXLVII. more majorum Magiſter Artium creatus eſt. Praecipue vero addiſcendarum linguarum Orientalium deſiderio flagrabat, quarum cognitionem cum ſibi comparaſſet duce Chriſtiano Ravio, qui a XXII Januarii MDCXLIV. ad VIII Aprilis anni ſequentis publice earum linguarum praecepta juventuti Academicae hic tradidit, Theologiae ſe adplicuit, & ſedulus Voetii, Schotani, De Maatſii & Hoornbeekii auditor fuit, & anno MDCXLIX. inter Candidatos S. S. miniſterii adſcriptus, Amſtelodamum conceſſit, ut ex familiari Judaeorum conſuetudine Hebraei ſermonis uſum ſibi faciliorem redderet, & in ritus iſtius gentis diligentius inquireret. Trajectum deinde redux, primo ei conceſſa facultas docendi linguas Orientales XXIV Januarii MDCL, & menſe ſequenti Amſtelodamum miſſus, ut ibi a Judaeis in Talmude & ſcriptis Rabbinorum inſtrueretur, eodemque anno, XI ſcilicet Julii creatus extra ordinem Linguae Hebraeae Profeſſor. Cumque vocatus eſſet Sluſam Flandrorum ad ſtationem Eccleſiaſticam, ordinarius Profeſſor conſtitutus, ad mortem uſque maximo cum auditorum concurſu docuit. Mortuo Uchtmanno Leidenſi Profeſſore, multos hanc ſpartam ei deſtinaſſe ſcribit Graevius in Syllog. Epiſt. Burm. t. IV. p. DCXL. DCXLV. DCCCIII & DCCCVI. Maxime vero praedicabatur ejus perſpicuitas & methodi facili-

Niceron Tom. XX pag. 34

tas in tradendis ſacrarum literarum initiis & elementis; & optime eum deſcripſit Jo. Fabricius t. I. Hiſt. Biblioth. Fabric. p. CCLIV. his verbis: *Leusden perſpicuitati ac brevitati ſtudens, comis & affabilis, apertus & candidus, a beneficentia erga Hungaros, & Tranſylvanos, Hungarorum pater dictus, in reprehendendis ſtudioſorum vitiis haud ſegnis aut mutus, coetera amoeniſſimi vir ingenii.* & *incredibili dexteritate linguas Orientales docuiſſe* tradit Celeb. Marck Orat. Funebr. Herm. Witzii: & *virum de ſacrarum literarum ſtudio praeclare meritum* vocat Fabric. tom. III. Biblioth. Graec. lib. V. cap. V. p. CLXXXVII.

Obiit vero pr. Kal. Octobr. MDCXCIX. anno aetatis LXXV. relictis ex Eliſabetha van der Nypoort, quam die VII Martii an. MDCLXI. ſibi matrimonio junxerat, praeter aliquot filias, tribus filiis, *Rudolpho*, qui iisdem ſtudiis, quibus pater addictus, deſtinatus, novum Teſtamentum adoleſcens edidit, deinde medendi artem didicit, & liberalium artium Magiſter & Medicinae Doctor creatus, per aliquot annos Anatomiam, Chirurgiam & Praxin Medicam titulo Profeſſoris in Academia noſtra docuit, & deinde in Primum civitatis noſtrae Ordinem adſcitus, interque Electos adſcriptus, & ad Conſilium Status delegatus, boni Reipublicae Rectoris partes hodie ſuſtinet: *Johanne Wilhelmo*, urbis noſtrae Senatore, Conſulatu, aliisque inſignibus honoribus & muneribus conſpicuo: & *Jacobo*, qui juvenis verbi divini miniſter in pago Meeren prope Trajectum piam creatori ſuo reddidit animam anno MDCCVIII. Oratione funebri Leusdeni merita poſteritati commendavit Gerardus de Vries.

Scripta ejus ſunt:

Phi-

Philologus Hebraeus, continens quaeſtiones Hebraicas, quae circa vetus Teſtamentum Hebraeum moveri ſolent, variis diſſertationibus, quas enumerat Le Long Biblioth. Sacr. t. II. p. DCCCXXVIII. Traject. MDCLII. MDCLXXII. Amſtel. MDCLXXXVI. & Traj. MDCXCV. 4.

Pauca & brevia praecepta ad notitiam Hebraicae & Chaldaicae linguae V. T. acquirendam perquam neceſſaria, in gratiam Philohebraeorum collecta. Traj. MDCLV. 8. vid. Le Long d. l. p. MCLXXVI.

Jonas illuſtratus Hebraice, Chaldaice & Latine per Paraphraſim Chaldaicam, Maſoram magnam & parvam, & per trium praeſtantiſſimorum Rabbinorum Salomonis Jarchi, Abrahami Aben Ezrae, David Kimchi textum Hebraicum punctatum, nec non per varias notas Philologicas. Traject. MDCLVI & MDCXCII. 8.

Joël explicatus per paraphraſim Chaldaicam, Maſoram magnam & parvam &c. Adjunctus Obadjas illuſtratus. Ibid. MDCLVII. 8. vide Le Long Bibl. Sacr. cap. I. p. XLII.

Philologus Hebraeo-mixtus, una cum Spicilegio Philologico continente varias diſſertationes, quas recenſet Le Long d. l. t. II. p. DCCCXXVIII. Traject. MDCLXIII. Leidae MDCLXXXII & MDCXCIX. 4. In quo libro parum aequum verſionis Bibliorum Lutheri judicem ſe praeſtitiſſe notat Mayerus in Biblioth. Biblic. Diſſert. IX. num. XIX. Et in eo oſtendere vulgatam verſionem eſſe erroribus plenam, & editionem LXX Interpretum eſſe meliorem, huncque librum ut & *Philologum Hebraeum* in Indicem librorum prohibitorum Romae eſſe relatos decreto II Julii MDCLXXXVI. ſcribit Imbonatus in Bibliotheca Graeco-Latina pag. CX.

Tractatus Talmudicus, una cum verſione Hebraica duorum capitum Danielis. Traj. MDCLXV. 4.

Onomaſticon Sacrum, in quo omnia nomina propria Hebraea, Chaldaica, & origine Latina, tum in veteri, quam in novo Teſtamento occurrentia, explicantur. Additamentum de vaſis, pecunia & ponderibus ſacris. Ibid. MDCLXV. & MDCLXXXIV. 8. In hoc *Onomaſtico* pag. LIV male ſcribi *Bernicen eſſe nomen viri*, notat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XIV. p. CXXIX.

Pſalterium Hebraeum. Amſtel. MDCLXVI. 8.

Pſalmi Hebraice & Latine. Traj. MDCLXXXVIII. & *Hebraice & Anglice.* Amſtel. eodem anno, notante Le Long Bibl. Sacr. cap. II. pag. LXXVIII.

Praecepta Hebraica & Chaldaica. Traj. MDCLXVII. 12.

Specimen Grammaticae Hebraicae. Belgice Traj. MDCLXVIII. 8.

Biblia Hebraea accuratiſſima notis Hebraicis & lemmatibus illuſtrata, cum nova Praefatione Latina. Adjecta ſunt judicia tum Profeſſorum Leidenſium, tum Rabbinorum Amſtelodamenſium. Amſt. typis Joſephi Athias MDCLXVII. II. vol. 8. Vid. Jo. Fabric. t. VI. Hiſtor. Bibl. Fabric. p. CXCIV. qui & p. CCCLXIX. teſtatur *Biblia Hebraica* ſine punctis a Leusdeno & Jo. Andrea Eiſenmengero Francof. MDCXCIV. 8. evulgata. Et notiſſima hodieque rarior eſt editio Bibliorum ſine punctis Amſtel. MDCCI.

Cum vero Leusdenus in Praefatione dixiſſet: *Mirabitur forte non nemo, quod in quibusdam Prophetiis de Meſſia agentibus, non loquuti fuerimus paulo clarius, ut fides noſtra magis confirmaretur; ſed deſinet ille mirari, ſi conſideret hunc impreſſorem Joſephum Athiam Ju-*

Judaeum fuiſſe, qui nihil auſus fuerit imprimere, niſi antea ab aliis doctis Judaeis examinatum, & ventilatum. Propterea coacti ſumus aliquando non tam clare loqui, quam quidem voluiſſemus. Judaei etiam paucas notas voculam vel addendo vel omittendo leviter immutarunt. Ad ea verba notat Le Long Bibl. Sacr. cap. II. p. LXX. *Num haec erga Judaeos indulgentia viro Chriſtiano competat? judicabunt Lectores.*

Philologus Hebraeo-Graecus, continens quaeſtiones, quae circa Novum Teſtamentum Graecum fere moveri ſolent, variis diſſertationibus, quas recenſet Le Long d. l. Traj. MDCLXX. 4. Leidae MDCLXXXV. MDCXCV. 4.

Schola Syriaca una cum Synopſi Chaldaica & Diſſertatione de literis & linguis Samaritanorum. Traj. MDCLXXII. 8.

Clavis Graeca Novi Teſtamenti cum Annotationibus Philologicis. Ibid. MDCLXXII. 8.

Clavis Hebraica & Philologica veteris Teſtamenti. Leidae MDCLXXIII. quam Trajecti anno MDCLXXII. 4. prodiiſſe adfirmat Lipen. Bibl. Theolog. t. II. p. DCCCXXVII. de qua videndus Fabricius t. VI. Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. LIII.

Compendium Biblicum continens ex 23202 *verſiculis V. T. tantum* 2289. *non tamen integros, in quibus omnes univerſi veteris Teſtamenti voces tam primitivae quam derivativae, tam Hebraice quam Chaldaice, una cum verſione Latina inveniuntur.* Traj. MDCLXXIII. 8. MDCLXXX. MDCLXXXV. 12. Leidae MDCXCIV. Francof. & Halae MDCCIV.

Compendium Graecum N. T. continens ex 7959 *verſiculis totius Novi Teſtamenti tantum verſiculos*, 898 *non tamen integros, in quibus omnes univerſi novi Teſta-*

menti voces cum verſione Latina inveniuntur. Ibid. MDCLXXIII. MDCLXXVII. MDCLXXXII. Amſtel. MDCXCVIII. Leidae MDCCII. Francof. & Halae MDCCIV. 8.

Novum Teſtamentum Graecum. Traj. MDCLXXV. Amſt. MDCLXXXVIII. MDCXCIII. MDCXCVIII. 12. & MDCCI. 24. Le Long Bibl. Sacr. cap. III. p. CCXXI. qui & Graece & Germanice ejus ſtudio prodiiſſe Luneburgi an. MDCXCIII. 12. refert.

Verſio Septuaginta Interpretum. Amſtel. MDCLXXXIII. 8. quam editionem curaſſe profitetur in Philologo Hebraeo mixto, notante Fabric. t. II. Biblioth. Graec. lib. III. cap. XII. p. CCCXXVII. Omnia, quae in editione Londinenſi omiſſa, in hac ſimiliter omiſſa ſe inveniſſe ſcribit L. Bos cap. II. Prolog. ad Biblia Graeca, notante Le Long Biblioth. Sacr. cap. III. p. CXCIV.

Een korte Hebreuſche en Chaldeuſche taalkonſt. Utr. MDCLXXXVI. 8. Anglice, Germanice & Gallice prodiiſſe tradit Le Long d. l. p. MCLXXVI.

Lexicon novum Hebraeo-Latinum ad modum Lexici Schreveliani Graeci compoſitum per modum Indicis Hebraici, primo a D. Robertſono conſcriptum, ſed jam Latinitate donatum, atque textibus voces irregulares continentibus, aliiſque animadverſionibus locupletatum, atque adauctum Lexico Chaldaico publico. Ibid. MDCLXXXVII. 8.

Orationem habuit in *obitum Dan. Berckringeri*, quo praeceptore in Philoſophia uſus erat.

In Cl. Rhenferdii Syntagmate Diſſertationum Philologico-Theologicarum de Stylo Novi Teſtamenti, exſtant *Leusdeni Diſſertationes de Dialectis & Hebraiſmis N. T.*

Martini Pooli Londinenſis Synopſin Criticorum, aliorumque Sacrae Scripturae interpretum, ſummo ſtudio

&

& fide adornatam recenſuit Traj. MDCLXXXVI. v. vol. fol.

Ejus quoque, ut & Petri de Villemandy & Petri Morini cura & ſtudio prodierunt *Samuelis Bocharti opera omnia.* Leidae & Traj. MDCXCII. fol. vid. Fabric. Bibliogr. Antiq. cap. XI. §. IX. & Morhov. v. Polyh. I. §. XII.

Anno MDCCIX. prodiit Leidae *Leusden & Schaaf novum Teſtamentum Syriacum cum Lexico Syriaco* II vol.

Notatur vero Leusdenus a Zeltner. Theatr. Erudit. qui art. Typograph. laud. oper. praeſtit. quod Joſ. XXI. vſ. XXXVI & XXXVII. Bombergianum codicem ſecutus, injuria ejecerit.

LISTRIUS (GERARDUS) Natus in oppido Rhenenſi ditionis Trajectenſis, non vero ditionis Monaſterienſis, uti multos dubitare ſcribit Hamelmannus Hiſtor. Weſtphal. p. CLXXVII. Fuit Grammaticus & Medicus, & Praefectus Scholae Swollanae, uti docet Heuſſ. t. VI. Hiſt. Eccl. p. DCXXXIX. ubi & adducit verba quaedam Orationis, quam in inaugurationem iſtius Scholae habuit. Suſpectum illum fuiſſe de ſublato Murmellio teſtatur Hamelmannus d. l. qui Murmellius, optimus & doctiſſimus vir, ſumma in paupertate Daventriae non ſine ſuſpicione veneni obiit. vid. Hamelm. Ibid. p. CLXXII. & Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DXLII. Scripſit

De Tropis & Schematibus. Antverp. MDXXIV. 4.

De octo figuris conſtructionis. Ibid. MDXXXI. 8. juxta Valer. Andr. Sweertius vero in Ath. Belg. editionem refert ad an. MDXXIX.

Commentarium in Dialecticam Petri Hispani. Swollae MDXX. 4.

Commentarium in Encomium Moriae Eraſmi. Colon.

&

& Baſil. qui poſtea cum figuris J. Holbenii prodiit Baſil. MDCLXXVI. 8. uti didici ex catalogo Hulſii t. III. part. II. p. DL. Hunc laborem commendat Cael. Calcagninus lib. VI. Epiſt. XXI. p. LXXXV. Diſplicuit tamen hic *Commentarius* Erasmo, cum detegeret ea, quae antea profuerat non intelligi, quod ex ejus epiſtola ad Botzhemum probat Baelius in Lexic. t. II. p. CCCLXXXVII. unde patet error P. Opmeeri in Opere Chronogr. p. CCCCLIV. & Placcii de Script. Pſeudon. p. CCCCXX. qui hunc *Commentarium* non Liſtrii, ſed ipſius Erasmi eſſe adfirmant.

Deſcriptionem Ultrajectinae regionis, quae Bataviae finitima eſt, ad Philippum Principem & Epiſcopum Ultrajectinum, quae exſtat in Germanicarum Hiſtoriarum illuſtratione edita Marpurgi anno MDXLII. 8. fol. XXIV. verſo. & t. III. Delic. Poetar. Belgic. p. CCCLXXVI. & legitur in editione Bekae & Hedae Buchelii pag. CCCXXX.

Carmen Saphicum, Elegias & Epodos in deteſtationem belli. Daventriae MDXVII.

Carmen in adventum Philippi recens in Epiſcopum electi exſtat tom. III. Delic. Poët. Belg. p. CCCLXVIII.

Vid. Geſneri Biblioth. t. I. p. CCLXXIV. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCLXXVI. Sweert. Ath. Belg. p. CCLXXXII.

LONGOLIUS (GYBERTUS ſive GILBERTUS) non *Gulielmus*, ut male Koeningius, notante Fabricio t. III. Hiſt. Bibl. Fabric. p. CXXV. Natus Trajecti an. MDVII. ex nobili Langerackiorum gente oriundus. Patruum celeberrimi Chriſtophori Longolii facit Goutoeven Chron. part. I. pag. CCXX. Quum in patria humaniorum literarum ſtudiis incubuiſſet & utriuſque linguae cognitionem ſibi comparaviſſet, Italiam adiit; ibi-

ibique Philoſophiae & Medicinae operam dedit, Doctoriſque Medici titulo honoratus eſt. Artium quoque Doctor dicitur a Gesnero. In patriam redux Daventriae lares fixit, ut ibi artem Medicam exerceret, & rogatus a Magiſtratibus Daventrienſibus, ut ludum literarium regeret, per aliquot tempus ſumma cum eruditionis fama, ſcholae iſti, quae eo tempore celeberrima erat, praefuit, & urbis Daventriae Polyather fuit, uti adnotavit vir ampliſſimus, mihique amiciſſimus Dumbar, patriae antiquitatis indefeſſus perſcrutator, in Hiſtor. Daventr. tom. I. lib. III. cap. X. Deinde Coloniae literas Graecas & Latinas cum Johanne Caeſario docuit, & Medicinam fecit, perdilectuſque fuit Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi, cujus domeſticus & a medicina fuit, qui emendatis ſacris favebat, neque a Lutheri doctrina alienus erat. Ad Academiam Roſtochienſem vocatus, conditionem acceperat, verum ſarcinis conligendis, evehendiſque occupatus morbo lethali correptus, obiit in flore aetatis XXX Maji MDXLIII. XXXVI. aetatis anno. Et quum paulo ante mortem euchariſtia ſub utraque ſpecie uſus, eoque purioribus ſacris ſe addictum profeſſus eſſet, Colonienſes locum ſepulturae denegarunt; quare exuviae ejus, ab amicis Bonnam devectae, ibi conditae ſunt cum hoc Epitaphio, quod exhibet Revius lib. III. Hiſtor. Daventr. p. CCXXXIV.

Hoc tegitur ſaxo Gyberti corpus inane,
Longoliae gentis qui fuit alter honos:
Dicentem Auſonii vivo Cicerone probaſſent,
Tantus in eloquii flumine ſplendor erat.

 Et

Et quae doctrinae fontes tenet Attica lingua,
Sic ipſi tanquam patria nota fuit.
Naturae varios didicit motusque viceſque,
Et quae foeta homini munera, terra parit.
Calluit & Medicam dextreque exercuit artem,
Aegrotis ſolitus ferre frequenter opem.
Peſtis Agrippina cum graſſaretur in urbe,
Eripuit ſaevae corpora multa neci.
Id meritum grati cives meminere, feruntque,
Ac artem laudant officiumque viri.
Dotibus his tantis caſtos adjungere mores,
Et ſtuduit vera mente timere Deum.
Huic tamen exſtincto quidam, qui templa gubernant,
Jura ſepulturae ſancta locumque negant.
Non aliquo talem meruit quia crimine poenam,
Sed quod vera Dei juſſa profeſſus erat.
Sola novi fuit haec iratis cauſa furoris,
Non Euangelii lumina ferre queunt.
Huc igitur Bonnam corpus venerabile Rhenus
Detulit, adverſis officioſus aquis.
Et funus magno gemitu cum duceret iſthinc,
Dicitur & lachrymis intumuiſſe ſuis.
Sed mens chara Deo, quod ſpe votisque petivit
Nunc fruitur vultu, maxime Chriſte, tuo.

Aliud Epitaphium a Gulielmo Furnero compoſitum producit Geſnerus t. 1. Biblioth. p. ccxcv. quod & legitur poſt Longolii Dialogum de Avibus.

Scripta ejus nomine edita ſunt:

Scholia brevia in Deſ. Erasmi libellum de Civilitate morum puerilium. Colon. MDXXX. 12. Pariſiis & alibi, quae

quae laudat Junius in Batavia cap. xvi. p. ccxxxvii.

Plauti Comoediae aliquot ſelectiores, ſcilicet Amphitruo, Aſinaria, Aulularia, ex multis exemplaribus collatis diligentiſſime recognitae, una cum annotationibus ex doctiſſimorum virorum obſervatione & Omphalii Jacobi Andernaci ſcholiis ad marginem adſcriptis, ex officina Gerardi Moirhii Campenſis apud Collegium Sorboniae Paris. an. mdxxx. 4. & apud Vaſcoſan Ibid. mdxxxiv. Vid. Mattaire Annal. Typogr. part. ii. p. dccxlii. & dccccx. Et omnes *Plauti Comoedias* ejus opera prodiiſſe Coloniae an. mdxxxviii. docet Fabric. t. i. Bibl. Latin. lib. i. cap. i. Haec *ſcholia in Plautum* vituperat Barthius ad Stat. lib. i. Thebaid. vſ. cccv.

Philoſtratus de vita Apollonii Thyanaei interprete Alemanno Rhinuccino, ad Graecum exemplar emendatus, adnotationibus etiam ad marginem adjectis, cum Euſebio contra Hieroclem. Colon. mdxxxii. 8. Cujus editionis cenſura agitur in Giorn. de letterati t. xxi. p. ccclxxviii.

Lexicon Graeco-Latinum praeter omnes omnium hactenus acceſſiones novo ſupra mille vocabulorum auctario jam recens locupletatum. Colon. mdxxxiii. 8.

Adnotationes ad dilucidam claramque lectionem quindecim libris Metamorphoſeon P. Ovidii adjectae. Colon. mdxxxiv & mdxxxviii. 8.

Adnotationes in obſcura & difficilia loca Rhetoricorum ad C. Herennium, cum textu & duobus libris Ciceronis de Inventione Rhetorica, cum M. Fabii Victorini Rhetoris commentariis per Longolium reviſis. Ibid. mdxxxv. 8.

Inſtitutionis dialecticae libri quatuor. Daventriae MDXXXVII.

Scholia in libros Elegantiarum Laurentii Vallae. Ibid. MDXXXIX. 8.

Concilium Nicaenum e Graeco Latine redditum, Ibid. MDXL. 8. male enim vitio Typographico apud Revium legitur MDXV.

Scholia ad vitas Imperatorum Graecorum Aemilii Probi, appoſitis locis, quos Probus e Thucydide vertit. Ibid. MDXLIII. & *Scholia* haec in C. Nepotem exſtant in editione Francofurtenſi MDCVIII. fol. & in ea, quae minori forma lucem vidit Leidae MDCXLII. teſtante Fabricio t. I. Bibl. Latin. lib. I. cap. VI.

Plutarchi aliquot opuſcula moralia a Longolio primum Latine reddita. Ibid. MDXLII. 8. ſunt vero haec I. *Num ſeni ſit gerenda Reſpublica?* II. *de Parentum erga liberos amore.* III. *Cauſarum naturalium liber.* IV. *Diſceptatio utrum ignis an aqua ſit utilior?* V. *Stoicos magis mirabilia quam Poëtas aſſerere.* VI. *De tribus Reipublicae generibus Monarchia, Democratia, & Oligarchia.* VII. *de Odio & invidia.*

Dialogus de Avibûs, quas pulveratrices vocant & earum nominibus Graecis, Latinis & Germanicis, non minus feſtivus quam eruditus, & omnibus ſtudioſis ad intelligendos Poëtas maxime utilis. Ibid. MDXLIV. 8. ubi circa finem ſtudioſorum aliquot in ejus mortem Epitaphia adjiciuntur, & ipſius Longolii *Carmen Elegiacum protrepticum ad bona ſtudia.* In animo quoque habuit de reliquis avibus ſcribere, ſed inſtitutum illud mors praepedivit, notante Geſnero in Bibliotheca.

Ciceronis Epiſtolas ad Familiares cum notis Jod.

Ba-

Badii, Aſcenſii, Baptiſtae Egnatii, Franc. Robortelli, Lud. Johannis Scopae, & aliorum, & *lemmatibus Longolii* Venet. MDLIV. fol. Paris MDLVI. Venet. MDLXV & MDLXXXVI. prodiiſſe adfirmat Fabric. t. I. Bibl. Latin. lib. I. cap. VIII.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCXXXVII. Sweert. Athen. Belg. p. CCCXIX. M. Adam vit. Medic. p. XVIII. Revius Hiſtor. Daventr. lib. III. init. Graev. Orat. in L. Acad. Traj. natal. Freher. Theatr. Viror. Illuſtr. p. III. pag. MCCXXVII. & Niceron. Memoir. pour ſervir a l'Hiſtoir. des homm. Illuſtr. t. XVII. p. XLIII.

LUYTS (JOHANNES) Natus Hornae, quae Weſtfriſiae Metropolis, die XIX Septembr. an MDCLV. In ſchola patria poſitis utriusque linguae rudimentis, anno MDCLXXIII. Leidam adiit, ibique Senguerdium Praelectoris titulo Logicam docentem, Hulſium linguae ſanctae principia tradentem, & Gerardum de Vries Phyſicam Danielis Voetii explicantem, audivit. Et quum maxime ipſi placeret methodus, qua in docendo utebatur Cl. de Vries, hunc, anno ſequenti Trajectum vocatum, ſecutus, totum ſe ejus diſciplinae tradidit, tanta diligentia & ſedulitate, ut XXIX Junii MDCLXXVII. more majorum L. A. M. & Philoſophiae Doctor renuntiatus, & paulo poſt ſcilicet XXIX Octobris ejusdem anni Phyſices & Matheſeos Profeſſio extra ordinem ei demandata ſit; qua cum per duos annos ſine honorario functus eſſet, IX Fbruarii MDCLXXX. inter ordinarios Profeſſores receptus eſt cum honorario CCCC florenorum annuorum, quod poſtea auctum ad mille florenos. Obiit XII Martii an. MDCCXXI. Acerrimus vero fuit Philoſophiae Ariſtotelicae vindex, & ſyſtematis Carteſii oppugnator. Coelibem non tantum, ſed ab

omni commercio hominum remotam egit vitam.

Scripta ejus ſunt:

Aſtronomica Inſtitutio, in qua doctrina Sphaerica, atque Theorica, intermixto uſu Sphaerae coeleſtis & variis Chronologicis, pertractantur. cum figuris aeneis Traj. MDCLXXXIX. 4. Quam recenſent Lipſienſes Act. Erudit. Septembr. MDCLXXXIX. Non contemnendam hanc *Inſtitutionem* dicit Stollius Introd. in Hiſtor. Liter. part. I. cap. VII. p. CCCCV.

Introductio in Geographiam novam & veterem, adjiciuntur Oceani terrae, & cujusque Tabulae, etiam Chartae LXV *Sanſonis.* Traj. MDCXCII. 4. Varios in deſcriptione Saxoniae ab eo commiſſos errores notant eruditi Lipſienſes in Act. Menſ. Maji MDCXCIII.

Vid. Nova Literar. Lipſ. an. MDCXXI. p. CCLIII.

LYRAEUS (JUSTUS) Licet hic nulla, quantum ſcio, ſcripta reliquerit, quibus nomen aeternitati conſecravit; quia tamen tam in ſchola, quam in Academia noſtra docuit, & ſingulari modo utramque ſtationem obtinuit, ejus mentionem non omittendam duxi. al. Aº. 1604. Fuit vero praefectus ſcholae Medioburgenſi in Zelandia, uti didici ex Oratione funebri Hoornbeekii in obitum Caroli de Maats, & ex vita Antonii Walaei pag. XVIII. edita a Jochio, & Voet. Polit. Eccleſ. part. I. lib. III. Tract. II. cap. I. pag. CCXCV. Deinde Antonio Aemilio, qui ſponte Rectoratum in Gymnaſio noſtro Hieronymiano depoſuit, uti ſupra in Aemilio notavimus, ſucceſſor datus eſt. Quam provinciam ipſe ambivit, uti doceor ex actis Magiſtratuum noſtrorum 1 Junii MDCXXX. quae deſcribere operae pretium duxi. Ita vero ſe habent: *Hier na kwam binnen* (te weten

in de vergaderinge van de Vroedſchap) *Juſtus Lyraeus, Rector van de Latynſche ſchoole tot Middelburg in Zeeland, verhalende dat hy verſtaan hadde, dat D. Antonius Aemilius Rector der triviale ſchoole alhier, van dezelve Recture afſtand gedaan hadde, en dat zyn Ed. om verſcheyde redenen by hem geallegeert, te rade was geworde zynen dienſt daar toe te preſenteren. Ende naar lecture van zyne requeſte, mitsgaders verſcheyde treffelyke teſtimonia, zo van de Heeren Catz Penſionaris van Dordrecht, als van de Profeſſoren tot Leyden, Walaeo, Cunaeo, Heinſio, Voſſio, Burgersdikio, den Regent van 't Collegie aldaar Feſto Hommio, en verſcheyden predikanten, van zyne geleertheyd, godvrugtigheyd, en goet beleyt, omme de jonge jeugt te inſtrueeren en te regeeren, zo heeft de Vroedſchap eenſtemmig verſtaan en gereſolveert, dat men hem zal aanneemen tot Rector van de Hieronymi ſchoole alhier, in plaatze van D. Antonius Aemilius voornoemt, en zyn de Heeren Scholarchen geauctoriſeert, omme met hem abſolutelyk dezen aangaande te handelen, mits dat hy niet meer geniete als D. Aemilius genooten heeft.* Commendavit eum Cunaeus Nyportio, qui civitati a ſecretis, epiſtola, quae reperitur inter Cunaei epiſtolas a venerando Patre editas n. CLXV.

Quum vero non tanta adeſſet diſcipulorum frequentia, quam antea Aemilio Rectore, & Lyraeus plurimorum odium contraxiſſet, Magiſtratus noſtri Lyraeo perſuadere conati ſunt, ut retento honeſto ſtipendio, muneri ſcholaſtico ſe abdicaret. Ille vero coram Magiſtratibus comparuit, & in Senatu non ſua culpa rem ſcholaſticam aliquid detrimenti cepiſſe, ſed artibus invidorum & malignorum hominum in odium incurriſſe pro-

probavit. Quare magiſtratus, ut locum facerent Aemilio, Lyraeo Profeſſionem humaniorum literarum in nova inluſtri ſchola demandarunt, quam ad mortem, quae contigit menſe Novembri an: MDCXLVI. ſuſtinuit. Defunctum funebri Oratione laudavit Senguerdius, utrum vero haec Oratio typis deſcripta ſit, ignoro.

Ejus Epiſtola ad Petrum Cunaeum exſtat in Epiſtolis Cunaei CCXCVII.

Orationem habuit de *Uſu & dignitate ſtudiorum humanitatis*, quae cum aliis Orationibus inauguralibus inpreſſa eſt in *Illuſtris Gymnaſii Trajectinis inauguratione* MDCXXXIV.

M.

MACROPEDIUS (GEORGIUS) vernacule LANGEVELDT, Gemertae in ditione Sylvaeducenſi natus, ordinis Fratrum S. Hieronymi in communi viventium, ſive, ut Miraeus, Presbyter ex congregatione fratrum vitae communis, a Gerardo Magno inchoatae. Hic primum ſcholae patriae, deinde urbis Leigae ſive Leodii, poſtea noſtrae Hieronymianae ſumma cum eruditionis fama per aliquot annos praefuit, exque ejus diſciplina & ludo literario omnes fere Batavi, qui eo tempore doctrinae laude floruerunt, prodierunt. Et neminem plures e ludo ſuo bonae frugis diſcipulos emiſiſſe, teſtatur Miraeus de Scriptor. Secul. XVI. cap. LXIX. Et non tantum Latinae & Graecae, ſed & Hebraicae & Chaldaicae linguarum fuit peritiſſimus. Mathematicas quoque artes calluit, & ſummus eo tempore Grammaticus habebatur, & *Poëta rarae felicitatis*, uti Valer. Andr. & *perquam le-*

lepidus juxta Opmeer Op. Chron. p. CCCCLXXX: variisque encomiis paſſim a viris doctis celebratus fuit; *celeberrimum ejus aetatis virum* vocat M. Adam vit. Medic. p. CLXIV. *Vir doctiſſimus & formandae juventutis longe peritiſſimus, ſcriptisque ſuis ut multis, ita etiam praeclaris, celeberrimus*, dicitur a Suffrido Petr. de Script. Friſ. Decad. XIII. VIII. & M. Adam vit. Philoſoph. p. CXXVI. Senex patriam Silvamducis repetiit, ibique obiit anno MDLVIII. Peſtilenti febre exſtinctum tradit Sweert. Athen. Belg. Podagra vero & labore exhauſtum teſtatur Valer. Andreas, quod & confirmat hoc Epitaphium ab amico Cornelio Valerio compoſitum:

Coelo potitus poſt labores plurimos
GEORGIUS MACROPEDIUS,
Scholaſtici moderator optimus gregis,
Toto orbe nobilis ſenex,
Corpus reliquit hoc podagricum loco,
Longo labore exercitum.
Humanitas, ſtudium juvandi maximum,
Benignitas amabilis,
Candor animi, pietas & eruditio
Hunc reddidere coelitem.
CIↃ IↃLVIII. *Menſ. Julio.*
CORNELIUS VALERIUS amico pos.
IULIUs eXpIrans ſiLVaedVCIs oCCUpat artVs
MaCropedI tenVes ſpIrItVs aſtra tenet.

Quod exſtitiſſe Sylvaeducis in Coenobio Fratrum D. Hieronymi normam imitantium refert Sweertius in Delic. Orb. Chriſtian. p. CCCCLXXXVIII. exſtat & in Grand

Theatr. Sacr. de Brabant. t. II. part. II. p. LV. aliud producit Valerius Andreas

IVLIVS aeſtIVo CoLLVſtrans nVbILa Phoebo,
MaCropedI eXtInCtos VeXit ad aſtra dIes.

Scripta ejus ſunt:

Linguae Latinae ac Graecae rudimenta.

Syntaxeos ſeu conſtructionis Latinae praecepta.

Proſodia verſu Heroico.

Dialectica, ſeu Dialecticae prima & brevia praecepta.

Computus Eccleſiaſticus cum brevi calculandi ratione. Traject. MCXLI. 8. Sweertius vero Baſileae prodiiſſe adfirmat.

De conſcribendis Epiſtolis, & Epitome de paranda verborum copia. Dilingae MDLXIV. 8. Francof. MDXCVIII. & juxta Draud. tom. II. Bibl. Claſſ. pag. MCCCLVI. & Lipen. Bibl. Philoſ. p. CCCXLVI & CCCCLXVI. Coloniae MDLXXXII & Londini MDLXXX.

Calendarium Chirometricum & aliud verſu Heroico praecipua Eccleſiae feſta continens. Baſileae & alibi, ita Valerius Andreas. juxta Geſnerum vero Append. ad t. I. Biblioth. *Calendarium* hoc verſu Heroico praecipuas Eccleſiae feſtivitates complectens, ſyllabatim Henricus Petri excudit cum libro Hadriani Junii de Anno ac menſibus, & *Calendarius Chirometricus*, item *Computus Eccleſiaſticus* editi ſunt anno MDXCI.

Scholia brevia in Euangelia & Epiſtolas per annum. Antverp. MDLXVII. 8.

Conſcripſit quoque varias Comoedias, quae pro more iſtius temporis a diſcipulis publice agebantur. Sunt vero:

Co-

Comoedia Sacra, quomodo quis poenitudine ductus per Chriſtum ad beatam mortem perveniat. Coloniae MDXXIX. juxta Geſner. t. I. Bibl. p. CCLXX.

Rebelles. Sylvaed. MDXXXIX.

Hecaſtus Comoedia, qua quisque contemplari poteſt, quo per Chriſtum ad beatam mortem perveniat. Colon. MDXXIX. & juxta Lipenium Biblioth. Philoſ. p. CCCXXVI. Francofurti MDLXXIII. 8.

Aluta. Coloniae MDXL.

Andriſia. Coloniae MDXXXIV. & ſecundum Geſnerum MDXXIX.

Dimulla. MDXL.

Lazarus mendicus. Trajecti MDXLI. 8.

Petriſcus. MDXLI. & Coloniae MDLXX.

Baſſarus Fabula feſtiviſſima. Coloniae MDLIV. vid. Catalog. Hulſii t. III. part. II. p. CCCCLXXXVIII.

Adamus, Fabula Chriſtianae pietatis plena, in qua κωμικῶς oſtenditur, quo pacto lapſus homo poſt multas multorum ſeculorum calamitates & miſerias, per Chriſtum ab initio promiſſum tandemque mundo exhibitum, ſaluti reſtituitur. Traj. MDLII. 12. quam dedicavit Lamberto Cantero.

Suſanna Tragoedia.

De Chriſti paſſione Tragoedia.

Hypomene.

Quae deinde junctim prodierunt Trajecti anno MDLII. 8. Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCLXIII. Miraei Elogia Belgica cl. IX. p. CLXXV. Sweert. Athen. Belg. p. CCLXXIV. & M. Adam vit. Philoſ. p. LXXXIV.

MAETS (CAROLUS DE) natus Leidae XXV Januar. MDXCVII. parentibus honeſtis ex Flandria ob religionem emendatam profugis, qui deinde lares Medio-

dioburgum in Zelandia transtulerunt. Qua in urbe decurſo ſcholarum ſtadio, poſtea a patre in Academiam Franequeranam mittitur, ubi Sixtinum Amamam in Lingua Sancta, Sibrandum Lubbertum & Johannem Maccovium in Philoſophia, audivit. Deinde Sedanenſem in Gallia Academiam adivit, ubi celeberrimi nominis Theologi Melvinus, Jacobus Capellus, & Daniel Tilenus docebant. Quibus praeceptoribus uſus, & per biennium Gallia peragrata, in patriam rediit, annoque MDCXX. Eccleſiae Scerpeniſſe in Zelandia cura ei demandata eſt, cui praefuit ad annum MDCXXIX. quo Medioburgenſes ſuae eum Eccleſiae vindicarunt, & celeberrimae novae Bibliorum Belgicae verſioni, quae Leidae anno MDCXXXIV. inſtituta fuit, cum Antonio Walaeo, Feſto Hommio, aliisque ſummis Theologis, adhibitus fuit. Anno MDCXXXVI. XVII Novembr. ad Eccleſiam noſtram & Academiam evocatum Medioburgenſes dimittere recuſarunt. Verum triennio poſt, cum ſcilicet XIV Decembr. MDCXXXIX. utrumque munus iterum ei oblatum eſſet, ad nos pervenit, & ſecundo Junii anno ſequenti Oratione inaugurali habita *de Eccleſiae Dei aedificatione ſerio promovenda*, Profeſſionem auſpicatus eſt, & cum Gisberto Voetio alternas conciones habens, unius paſtoris partes ambo inpleverunt. Anno MDCXLVIII. poſt initam pacem Monaſterienſem, ei cum quibusdam aliis Theologis demandatum, ut proſpiceret Eccleſiis agri & ditionis Sylvaeducenſis, iisque idoneos miniſtros, emendatam religionem profitentes, praeficeret. Anno MDCL Medioburgenſes honeſtis conditionibus ad ſcholam inluſtrem, ut juventutem in Theologia erudiret, pertrahere voluerunt, ſed irrito conatu. Obiit vero ſubitanea

tanea morte die XX Aprilis an. MDCLI. & Orationem in ejus funus habuit Johannes Hoornbeekius, quae legitur in Vitis Theologorum eruditione & ſcriptis inſignium, editis a Jo. Georg. Jochio pag. CCXX. & ſeqq. ubi & habetur Epitaphium quod idem Hoornbeekius compoſuit. Carmine funus proſecutus eſt Ant. Aemilius, quod legitur in ejus Orat. & Carm. p. DVII. ut & nobiliſſima virgo Anna Maria Schurmannia, quod exſtat in Schurm. Opuſc. pag. CCCXVIII. edit. ult. Filium reliquit *Carolum Ludovicum*, cui anno MDCLXVIII. facultas conceſſa Chemica collegia habendi, quam doctrinam optime calluit, & tantam in ea ſcientia famam adeptus eſt, ut Leidenſes anno MDCLXX. ei Profeſſionem in Chymia demandarint, quo munere ad mortem functus eſt, & auctor eſt *Chymiae rationalis & praxeos Chymiatricae rationalis.* Leidae MDCLXXXVII. 4. de quo opere vid. Lipſienſ. Act. Erudit. ſupplem. t. I. ſect. VI. p. CCCXXV.

Noſter ab Eſſenio Orat. in Obitum Gisb. Voetii p. XXXIII. dicitur *praeclara eruditione, probitate, diligentia & prudentia conſpicuus.* Amiciſſimus fuit Gisberto Voetio, cui ſocium ſe adjunxit in vindicandis bonis eccleſiaſticis, iisque poteſtate Magiſtratuum eripiendis; non mirum itaque, quod Voetius tantis elogiis illum ornarit, utpote *ſubacti judicii & ſolidae eruditionis Theologum* vocans tom. IV. Disput. Theol. p. CCCCLXIII. *pereruditum & ſolidum Theologum* Ibid. p. CCCCLVII. *Theologum accuratiſſimum* de Polit. Eccleſ. part. I. lib. II. Tract. I. cap. VIII. §. III. *Cujus conſtantem veritatis ſecundum pietatem amorem ac profeſſionem, eximiam diligentiam, multiplicem eruditionem & lectionem, variarum opinionum collationem & excuſſionem,*

nem, ſubactum ac perſpicax judicium in proſopographiis, atque univerſae Theologiae partibus, ut φιλομαθεῖς noſtri imitari tenentur, etiam atque etiam rogat part. II. de Polit. Eccleſ. lib. II. Tract. II. cap. I. Poſt de Maatii mortem prodiit libellus hoc titulo: *Concept van een inſtructie by my Carolus de Maets, en myn waarde meedebroeder Gisbertus Voetius beraamt, omme te dienen tot reſtauratie van de vervalle gerechtigheden, welke de kerke alhier binnen Utrecht in oude tyden gehad heeft.* Libellus parvae molis vix duo folia complectitur, ſed inpuriſſimus, qui decreto Magiſtratuum noſtrorum XXVIII Septemb. MDCLV. quo famoſus declaratus eſt, non a noſtro, ſed ab alio confectus dicitur. Decretum illud exſtat tom. III. Utr. Placcaetb. p. CCCCXXVII. Edidit

Sylvam Quaeſtionum inſignium. Traj. MDCL. 4. ubi praecipue contra Johannem Revium oſtendere conatur uſum longorum capillorum eſſe prohibitum. Quae quaeſtio, ut aliae ejusdem naturae, vel potius farinae, Theologos iſtius temporis occupatos habebat. Hunc librum Voetius tom. IV. Diſput. Theolog. p. CCCCLX. maxime commendat *omnibus cupientibus ſolide* θεολογεῖν, *praeſertim in maxime arduis hypotheſibus & theſibus moralibus, quia non tantum locum* 1 *ad Corinth. II. & quaeſtionem particularem de abuſu Comae explicat, ſed & arduas & illuſtres quaeſtiones ad hypotheſes & fundamenta moralis Theologiae ſingulari quadam ſubtilitate, ſoliditate &* ἀκριβείᾳ *more ſuo ita pertractavit, ut non putem in hoc genere accuratius quid praeſtitum fuiſſe.* vid. & p. CCCCLXIII & CCCCLXIV. Aliter de eo ſentit Schoockius in Praefat. de Bonis Eccleſiaſticis, cujus haec ſunt verba: *Cui libro quamvis ſuperbus hic titulus*

tulus praeſcriptus ſit, & quidem literis quadratis, Sylva quaeſtionum inſignium Philologiam, Antiquitates, Philoſophiam, potiſſimum vero Theologiam ſpectantium, toto tamen libro non diſputatur, niſi de Capillitio virili, ac modo eum alendi &c. Titulus non ſolum ſervit decipiendo emptori, verum etiam tota ſcriptio, directa licet adverſum celeberrimum, reverendum, doctum, & diſertum in orthodoxa eccleſia Theologum (Revium ſcilicet) *dentata atque aculeata eſt.* vid. & Struvii Acta Literaria t. VII. p. XXI.

Praeterea ſcripſit varias Diſſertationes Academicas, ut

De Chriſto Servatore contra Socinianos.

De Perſona & officiis Chriſti, quas *accuratiſſimas* vocat Voetius tom. III. Diſput. Theolog. p. CCCXLVI.

De Melchiſedecho diſputationes quatuordecim. an. MDCXLIV ſive MDCXLIII. uti tradit Le Long t. II. Biblioth. Sacr. p. DCXCVIII. has laudat Voetius de Polit. Eccleſiaſt. part. II. lib. III. Tract. II. cap. I.

De Eccleſia.

De Voto Jephtae diſputationes quatuordecim. quae juxta Lipen. t. II. Biblioth. Theol. p. LXVI. & Le Long d. l. p. DCCCXL. prodierunt anno MDCXLIX. meminit earum Voetius in Biblioth. Studioſ. Theolog. lib. I. cap. IX.

De Sepultura mortuorum diſputationes tres. Traj. MDCLI. quas Voetius inſeruit Politiae Eccleſiaſticae part. I. lib. III. Tract. II. cap. I.

Scripſit & *Declarationem Apologeticam contra Mareſium*, editam cum *Pauli Voetii Tribunali iniquo.* Vid. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLI.

Acerrimum quoque Carteſii inimicum fuiſſe ex Baille

leti vita Carteſii probat Baelius in Lexico t. III. p. CCLIII.

MANSVELDIUS (REGNERUS) ex Senatorio & Patricio genere, cui varios per ſeculum patriae amantiſſimos & optimos Senatores civitas noſtra debet, ortus, & ex quo duos adhuc hodie viros integerrimos ſuperſtites videmus, quibus vitam longaevam, & omnia fauſta ex animo adprecamur. Regnerus natus eſt XXI Octobris an. MDCXXXIX. patre Antonio Senatore & matre Eliſabetha Heydendalia. In urbe patria hauſtis primis literarum rudimentis, abſolutisque ſtudiis, quae ad humanitatem pertinent, & omnibus Philoſophiae ſcientiis imbutus, Leidam conceſſit, ut ſtudiis Theologicis operam daret. Quae cum maxima cum ſedulitate abſolviſſet, inter SS. Miniſterii candidatos relatus, ſaepe ſumma cum facundiae & pietatis fama pro concione verba publice fecit, cumque addixiſſet operam viro inluſtriſſimo & nobiliſſimo, totque legationibus pro patria claro, Godardo Hadriano Baroni de Reede, Toparchae in Amerongen, ut ipſi in legatione ad Hiſpaniarum Regem a ſacris eſſet, jamque itineri adcinctus eſſet, incidit ſubita & nec opina Danielis Voetii in flore aetatis mors, cujus obitu vacuam Philoſophiae profeſſionem noſtro demandarunt Magiſtratus. Saniori vero Philoſophiae addictus, ſumma cum eruditionis fama in Academia noſtra docuit, & optimi doctoris publici partes ſuſtinuit. Maxima ipſi amicitia fuit cum avo beatae memoriae Franciſco Burmanno, quo familiariſſime uſus eſt. Ex intemperantia ſtudiorum inmaturam ſibi conſciviſſe mortem XXIX Maji an. MDCLXXI. fertur. Orationem elegantem

Mansfeldica Domus Gloria, cum Vita et Gestis Petri Ernesti
Mansfeldiae Principis etc. Lipsiae, typis Imman. Titii 1717. in 8.
Plag. 21. idiomate Germanico. Acta Eruditor. jun. 1717. pag. 285–[illegible].

tem in ejus obitum habuit Graevius, quae exſtat inter ejus Orationes VII.

Varias conſcripſit Diſſertationes Academicas de argumentis Philoſophicis, & praecipue de *Ratiocinatione legitima*, quae poſtea recuſae Lipſiae MDCXCIX. & Herbornae MDCCXI. 8.

Poſt ejus mortem prodierunt *Lucubrationes* in deteſtabilem Benedicti Spinozae librum, qui inſcribitur *Diſcurſus Theologico-Politicus*, Amſtel. MDCLXXIV. 4. quas laudat Spizelius Infel. Literat. com. XV. p. CCCLXIV. & Fabric. de Script. Verit. Chriſt. c. XIII. p. CCCLVIII.

Elaboravit quoque *Commentarium in Epicteti Enchiridion*, quem morte praeventus edere non potuit. vid. Witte Diar. Biograph. ad ad. MDCLXXI.

Nomine ſuppoſititio *Petri ab Andlo* contra Mareſii diſſertationem *de Abuſu Philoſophiae Carteſianae ſurrepente, & vitando in rebus Theologicis & fidei*, edidiſſe *Specimen confutationis diſſertationis de abuſu Philoſophiae Carteſianae*, & cum Mareſius *Vindicias, & Vindiciarum vindicias* evulgaſſet, noſtrum *Animadverſiones in Vindicias*, & *Specimen Bombomachiae Mareſii* illi oppoſuiſſe, ſuſpicatur Baelius in Lexico voce Andlo. vid. & Placc. de Scriptor. Pſeudon. p. LIII. Niceron. Memoir. pour ſerv. a l'Hiſtoir. des Homm. illuſtr. t. XXVIII. & Magna Biblioth. Eccleſ. t. I. p. CCCCXXXIV.

né à Revel dans le diocese de Lavaur, 1639 le 7. Septembre

MARTIN (DAVID) Ex Gallia, ubi ab anno MDCLXIII. Eccleſiaſten egerat, anno MDCLXXXV. ob religionem profugus, primo extra ordinem initio anni MDCLXXXVI. inter miniſtros eccleſiae Wallonicae noſtrae civitatis adſumptus, & eodem adhuc anno, quia Daventrienſes Paſtoris & Profeſſoris munera ei obtulerant,

rant, inter ordinarios adſcitus eſt. Fuit vero Liberalium artium Magiſter & Theologus inſignis, quem in ultima ſenectute multo cum fervore & facundia pro concione verba facientem ſaepe admiratus fui. Obiit IX Septemb. MDCCXXI aetatis LXXXII.

Scripta ejus, lingua Gallica evulgata, ſunt:

Notes ſur le Nouveau Teſtament. Traj. MDCXCVI. 4.

Hiſtoire du Vieux & du Nouveau Teſtament. Amſt. MDCCII. vol. fol. de qua vid. Bernard. Nouvell. de la Republ. de lett. Janvier MDCCI.

La Sainte Bible. Amſt. MDCCII. II vol. fol. & MDCCXII. 4.

Sermons ſur divers textes de l'Ecriture ſainte. Amſt. MDCCVIII. 8.

L'Excellence de la Foy & de ſes effets, expliquée en vingt Sermons ſur le chapitre onzieme de l'Epitre aux Hebreux, prononcés a Utrecht dans les années 1708 *&* 1709. Amſterd. MDCCX. II. vol. 8. chez Brunel

Traité de la religion naturelle. Amſt. MDCCXIII. 8. in linguam Belgicam verſus hic liber a J. Schoolhouder prodiit Traj. MDCCXX. 8.

Le vrai ſens du Pſeaume CX *oppoſé a l'application, qu'en a faite a David l'Auteur de la Diſſertation inſerée dans les trois premiers tomes de l'Hiſtoire critique de la Republique des Lettres.* Amſterd. MDCCXV. 8. Liber hic ſcriptus contra Johannem Maſſonium, vid. Journal literaire tom. VIII. pag. LXXXII. & ſeqq. qui Martino reſpondit tom. VIII. de l'Hiſtoire Critique p. CCCCLII.

Deux Diſſertations critiques, la primiere ſur le verſet VII *du Chap.* V. *de la* I *Epitre de S. Jean, Il y en a trois au ciel &c. dans laquelle on prouve l'authenticité*

cité de ce texte. La ſeconde ſur le paſſage de Joſephe touchant Jeſus Chriſt, ou l'on fait voir que ce paſſage n'eſt point ſuppoſé. Utr. MDCCXXII. 8. vid. Le Long Biblioth. Sacr. t. II. p. DCCCXLIX. Nova Liter. Lipſ. MDCCXVII. p. CCCCLXVII & CCCCLXIX. & Journal Literaire tom. X. p. CXLVIII.

Traité de la Religion revelée, ou l'on fait voir que les livres du V. & du N. Teſtament ſont d'inſpiration divine: on donne des regles generales pour les expliquer & l'on prouve invinciblement contre les heretiques modernes la verité des plus profondes doctrines de la Religion Chretienne. Franeq. MDCCXIX. II. vol. 8.

Examen de la reponſe de M. Emlyn a la Diſſertation Critique ſur le verſet VII *du Chap.* V. *de la* I *Epitre de S. Jean.* Londr. MDCCXIX. 8.

Quum vero Martinus in diſſertatione de loco Johannis ſcripſiſſet Robertum Stephanum in editione Bibliorum ab eo procurata, locum illum auctoritate Manuſcriptorum Bibliothecae Regiae evulgaſſe, Jacobus le Long Congregationis Oratorii Presbyter, vir eruditiſſimus, literas ei miſit, inſertas Ephemeridibus eruditorum (Journal des ſcavants) menſis Junii MDCCXX. iisque indicavit falli Martinum, neque Stephanum auctoritate dicta uſum, quia in nullis MSS. codicibus Regiae Bibliothecae ille locus invenitur. Reſpondit ei Martinus tom. XII. de L'Europe ſcavante p. CCLXXIX. & libro, cui titulus, *Verité du Texte de la I. Epitre de S. Jean chap.* V. *verſ.* VII. *demontrée par des preuves &c.* vid. Niceron. Memoir. pour ſervir a l'hiſtoire des hom. illuſtr. tom. X. p. XII. & tom. XXI. ubi a pagina CCLXX ad CCXCII. fata hujus celeberrimi Eccleſiaſtae enarrantur. Et Tome V. Nouveau Dictionnaire Historique par une Société de Gens-de-lettres pag. 597.

Dd 2 MAS-

Davidis Martini, Ecclesiae Ultrajectensis Pastoris Gallici, in Lucii Caecilii Librum ad Donatum Notae.

V. Dictionaire Historique par Prosper Marchand Tom. 2. pag. 29.

MASTRICHT (PETRUS A) Colonienſis natus menſe Novembri MDCXXX. In ſchola Teutoburgenſi hauſtis utriusque linguae fundamentis, in Academiam Trajectinam ablegatur, ubi Voetii, de Maatſii & Hoornbeekii ſedulus auditor exſtitit. Anno MDCLII. facultatem pro populo conciones habendi adeptus, primo Xantenſi Eccleſiae prope Veſaliam inſervivit, inde in Holſatiam migravit, & Eccleſiae Tychopolenſis per ſeptennium curam habuit, a qua ad Academiam Francofurtenſem ad Viadrum translatus, titulo Profeſſoris linguam Hebraicam, Theologiam & praecipue Theologiam Practicam, per tres annos docuit. Inde Duisburgum abiit, ubi per ſeptennium Theologiae Profeſſoris munere functus eſt. Tandem Trajecti XII Junii MDCLXXVII. celeberrimo Gisberto Voetio ſucceſſor datus eſt, & obiit IV Id. Februarii MDCCVI. Teſtamento viginti millia florenorum, ex quorum reditibus unus vel duo Theologiae operam dantes alerentur, reliquit. Parentavit ei Pontanus oratione funebri habita XXIV Februarii MDCCVI.

Scripta ejus ſunt:

Duisburgi 1671. in 8. *De Fide Salvifica.* (8) Syntagma theoretico practicum

Novitatum Carteſianarum gangraena, corporis Theologi nobiliores plerasque partes arrodens, ſeu Theologia Carteſiana detecta Amſt. MDCLXXVIII. 4. Duisburgi anno MDCLXXVII. prodiiſſe ſcribit Lipenius Biblioth. Theol. p. CCXXXVIII. & tom. II. p. DCCCXLV.

Academiae Ultrajectinae votum Symbolicum, Sol Juſtitiae illuſtra nos, pro Themate inaugurali dictum. Traj. MDCLXXVI.

Theologia Theoretico-practica. Amſt. MDCLXXXII & Traject. MDCXCIX. II. vol. 4. licet noſter aliquando prae-
Editio nova Trajecti ad Rhenum 1724. charta maxima ter in 4.

ter cauſam invehatur in Coccejum, commendat tamen hunc librum Celeb. van Til in Biblioth. Theol. ſelect. pag. XVIII. Latine versa Belgice Roterodami 1753 iv. pol.

Contra Beckerum. Traj. MDCXCII.

Vindiciae Veritatis S. Scripturae contra Wittichium. Traj. 12.

MATTHAEUS (ANTONIUS) natus eſt Herbornae die XXVII Decembr. an. MDCI. patre Antonio, qui Herbornae, Marburgi, & denique Groningae, Profeſſoris titulo jus docuit, quique rariſſimo exemplo quatuor filios in quatuor Academiis Profeſſores vidit, cujus fata & vitam exhibet Freher. Theatr. Viror. Illuſtr. p. II. ſect. IV. p. MLXXVIII.

Quia vero ſaepiſſime *Antonii Matthaei* confunduntur, non inutile fore arbitror, ſi genus Matthaeorum huc referam, prout mecum illud communicavit vir optimus Joh. Alex. Röel, ex ſchedis ultimi Antonii Matthaei, cujus vidua deinde nupſit Dionyſio Röell Conſuli Daventrienſi, quem quoque inmatura morte ſibi ereptum luget.

PROSAPIA MATTHAEORUM.

Johannes Matthaeus civis Alsfeldienſis antiquiſſimi Haſſiae oppidi, vixit circa annum Chriſti 1390.

Duo ejus filii

Bernardus Mattheus Decurio Alsfeldienſis circa annum 1430. & Johannes Mattheus. qui municipali liberalitate 400 florenos ad reficiendas vias, & 400 ad juventutem ſtudiis inbuendam legavit.

Bernardi filii duo

Cunradus, qui poſt varias peregrinationes in patria

conſenuit. uxor Hulſiliesia. Johannes verbi divini Miniſter in Haſſia.

Cunradi filii iterum duo

Joachimus Eccleſiaſtes in Marchionatu Badenſi obiit 12 Septemb. 1573. aetatis 49. uxor Anna Orthia. Cunradus J. U. D. & Profeſſor, Dicaſterii Haſſiaci Adſeſſor, Eloquentiae in Marpurgo Profeſſor, & Syndicus, natus anno 1519. uxores duae Margaretha Orthia & Urſula Wernerii, Guidonis Wernerii Senatoris Marpurgenſis filia.

Joachimi filii ſeptem

1. Laurentius Eccleſiaſtes in Haſſia. 2. Conſtantinus Eccleſiaſtes in Marchionatu Badenſi. 3. Henricus Eccleſiaſtes. 4. Philippus. 5. Georgius. 6. Johannes. 7. Cunradus Eccleſiaſtes in Haſſia.

Cunradi Joachimi fratris liberi quatuordecim

1. Voloquinus Candidatus Miniſterii obiit 1572. 2. Eliſabetha nupta Abrahamo Sanz Advocato Marpurgenſi. 3. Urſula nupta M. Vigelio Eccleſiaſtae Etſchelano. 4. Philippus J. U. D. & Pandectarum Profeſſor Marpurgi, uxor Margaretha Satfeldia. 6. Chriſtina uxor Georgii Sohnii Theologiae D. & Prof. Heidelbergae. 7. Henricus Eccleſiaſtes Archipalatinus. 8. Johannes Medicinae D. & Prof. Herbornae, Naſſoviae Comitum Archiater, uxor Margareta Stylia Palatina. 9. Margareta nupta Valentino Vorſtero J. U. D. & Prof. Heidelbergae & Helmſtadii. 10. Antonius J. U. D. & Prof. Herbornae, Marpurgi & Groningae. 11. Catharina nupta Johanni Rhodio Conſiliario Comitis Leiningenſis. 12. Eliſabetha nupta M. Bernhardo Mengero

ro Heldelsheimenſi. 13. Daniel obiit infans. 14. Anna obiit parvula.

Antonius Matthaeus Cunradi filius natus eſt 1564. 27 Decemb. Francobergae Haſſorum, quo, graſſante Marpurgi peſtilentia, pater ſedes ſuas tranſtulerat. Fuit Juris Anteceſſor in Herbornenſi Gymnaſio XI. in Margenſi Academia XX. & in Groningenſi Academia annos XII. obiit Groningae 28 May 1637. Ex uxore Eliſabetha Schuleria, Echardi Schuleri, qui Haſſiae Principibus ab Archivis fuit, filia, habuit XII liberos, novem filios & tres filias. 1. Johannem J. U. D. & Prof. Caſſellis. 2. Sigfridum. 3. Reinhardum. 4. Antonium natum Herbornae 15 Novemb. 1601. J. U. D. & Prof. Harderovici & Trajecti obiit 25 Decemb. 1654. (qui ex Anna Pontana Joh. Iſaacii Pontani Hiſtoriographi Regis Daniae, Prof. Harderovicenſis filia, ſuſcepit Eliſabetham ipſo anno natali denatam, Iſaacium etiam ante patrem mortuum, Antonium, Johannem, Johannem, Philippum Medicinae D. & Prof. Franequeranum, Cunradum, Jacobum, & Annam Mariam; quorum Antonius natus Trajecti 1635. J. U. D. & Profeſſor Trajecti & Leidae, obiit 25 Aug. 1710. qui ex uxore Eliſabetha Pater, habuit Antoniam, Antonium natum Trajecti 1672. J. U. D. & Prof. Daventriae, qui inproles obiit, & Jacobam in infantia mortuam.) 5. Cunradum natum Herbornae 26 Maji 1603. Doctorem Medicinae & Profeſſorem Groningenſem, qui obiit Groningae 12 Septemb. 1638. relictis ex uxore Eliſabetha Michaelis duobus filiis, Antonio V. D. Miniſtro Groningano, mortuo 1688. relicta filia Eliſabetha; & Jacobo Capitaneo cohortis peditum

tum Groning. qui anno 1690 in proelio cum Gallis captus, ac multis vulneribus confoſſus, Charloae mortuus eſt ac ſepultus, relictis tribus filiis Cunrado, Abdia, Antonio, & filia Eliſabetha. 6. Philippum. 7. Fredericum. 8. Chriſtophorum natum Marpurgi 1608. 29 Novemb. Medicinae Doctorem, Logices, Linguae Graecae & Medicinae Profeſſorem Harderovici, qui ibidem obiit XI Junii 1647. & ex uxore Helena Pontana ſuſcepit Eliſabetham, Johannem & Annam. 9. Sichardum. 10. Suſannam. 11. Catharinam. 12. Adelheidim.

Noſtrum, ductu patris quum egregiam Juri operam dediſſet, Gelri in Academiam Harderovicenſem evocarunt anno MDCXXVIII. uti conſtat ex epiſtola Pontani apud Matth. Syllog. Epiſt. XXXVIII. ubi Annam celeberrimi Johannis Iſaaci Pontani filiam matrimonio ſibi copulavit. Inde ad inluſtrem noſtram Scholam anno MDCXXXIV. tranſlatus eſt, ut Jus civile interpretaretur. Multum huic viro Academia noſtra recens nata debuit, quum ſine controverſia fuerit vir eruditiſſimus, & Jurisconſultus conſummatiſſimus; imo, abſit omnis invidia, meo judicio Academia Trajectina numquam Profeſſorem in Jure habuit, qui tanta omnium diſciplinarum, & praecipue Juris, ſcientia inbutus fuit, quod opera & ſcripta, quae nobis reliquit, abunde probant. Saepiſſime Magiſtratus noſtri opera & conſilio ejus uſi ſunt in controverſiis, quas non tantum cum Electis & Equitibus, ſed & cum minoribus urbibus, ſi jura ſua & privilegia ſarta tecta & inlaeſa conſervare vellent, exercere coacti ſunt, uti ex actis Magiſtratuum XIV Aprilis MDCXLVI. didici. Obiit vero XXV Decemb. an. MDCLIV. & cum funus duceretur, Magiſtratus ad res

Aca-

Academicas deputati cum Profeſſoribus ſollemni pompa adfuerunt. Oratione funebri laudatus eſt a Berkringero. Duos reliquit filios *Antonium*, cujus fata mox indicabimus, & *Philippum*, qui primo Lector, deinde extra ordinem in Academia noſtra Profeſſor, & Anno MDCLXX. a Friſiis vocatus, in Academia Franequerana Medicinam profeſſus, defunctus eſt anno MDCXC.

Albo ſtudioſorum, ne modeſtiae inmemores eſſent, nec in ſtudiorum progreſſu ſiſterentur, inſcribere ſolebat Senecae dictum: *multi ad eruditionem veniſſent, niſi ſe eo jam perveniſſe putaſſent*, referente Saldeno de Libr. Legend. lib. II. cap. III. §. V. Aemilius *emunctae naris virum* vocat in Epiſtola, quae legitur poſt ejus Orationes pag. CCCLXV. *non obeſae naris* Morhov. t. III. Polyh. lib. VI. ſect. VII. §. X. *Virum eruditionis & pietatis fama celebrem* Barlaeus Epiſt. CCV. *magnum jurisprudentiae oraculum* Graevius Orat. in Obit. Moreelſii: a Schookio de Seditionib. lib. III. cap. V. p. DCCLXXXV. *graviſſimus & ſimul pientiſſimus Jurisconſultus* dicitur. *Academiae Trajectinae lumen*, & *accuratum & eruditum juris interpretem* pronuntiat Voetius tom. IV. Diſput. Theolog. p. CCCXXIII. & Polit. Eccleſ. part. I. lib. III. Tract. I. ſect. III. cap. II.

Scripta ejus ſunt:

Commentarius de Criminibus ad libr. XLVII *&* XLVIII. *Digeſtorum, cui adjecta brevis & ſuccincta juris municipalis interpretatio.* Traj. MDCXLIV. 4. pro cujus dedicatione a Magiſtratibus noſtris ſexcentos florenos accepit, ut ex actis XXIV Julii MDCXLIV. reſcivi. Secundam editionem Coloniae Munatianae MDCCXV. an. 4. prodiiſſe docet Struvius Biblioth. Jur. cap. XI. §. 11.

De Judiciis Diſputationes XVII. Traj. MDCXLV. 12. quem Tractatum optimum, & poſtea cum notis Theoreticis Canonicis & practicis Georgii Adami Struvii Jenae an. MDCLXXVIII. 4. prodiiſſe teſtatur Struvius in Biblioth. Jur. cap. VI. §. XXXVIII.

Diſputationes de Succeſſionibus, de Matrimonio, de Tutelis, cum auctario de Divortio legum & uſus. Traj. MDCLII. quae quoque cum notis dicti Struvii prodierunt Jenae d. a. vid. Struv. Ibid. cap. VI. §. LXX.

De Auctionibus libri duo, quorum prior venditiones, poſterior locationes quae ſub haſta fiunt, exequitur. Traj. MDCLIII. 4.

Orationes argumenti juridici. Traj. MDCLV. 12. a filio ejus editae, inter quas una eſt *contra Jus Patronatus*, quam laudat Voetius Polit. Eccleſ. part. II. lib. III. Tract. II. cap. IX. & Orationem de Pileo *elegantem* vocat Morhov. v. Polyh. II. §. IX.

Notae in libros quatuor Inſtitutionum. Amſtel. MDCLVII. 12.

Paroemiae praeter Romanorum aliarumque gentium mores & inſtituta Jus Ultrajectinum exponentes & elucidantes. Traj. MDCLXVII. 8.

Varias recitationes ſive praelectiones, quas in Academia noſtra habuit, filius edidit in Analectis, uti mox videbimus.

Vid. Vit. Profeſſ. Groning. p. LXXXV.

MATTHAEUS (ANTONIUS) Antonii modo memorati filius, in lucem editus eſt XVIII Decemb. MDCXXXV. In literis elegantioribus praeceptorem habuiſſe Aemilium tradit in Praefat. ante tom. IX Analect. Sub patre, Jacobo Wiſſembachio, & deinde Cypriano Regneri ab Ooſterga, Juri operam dedit, &

more

more majorum laurea doctorali inſignitus eſt, ut ipſe teſtatur in Praefat. ante d. tom. IX. Anal. Et pro dedicatione diſſertationis inauguralis Magiſtratus ei centum florenos donarunt, ut eo incitaretur ad premenda & ſequenda veſtigia patris & avi, iisque nummis librum, quem ſibi utilem exiſtimaret, compararet, uti ſonant verba decreti in actis Magiſtratuum x Octob. MDCLIX. & die XVII ejusdem menſis facultas collegia Juridica habendi ei eſt conceſſa. Anno ſequenti extra ordinem creatus Juris civilis Profeſſor, anno MDCLXII. ordinarius, Groningam anno MDCLXVI. vocatus, recuſavit, & cum anno MDCLXX. Leidae oblata eſſet Profeſſio, honorario additis trecentis florenis annuis, conditionem abnuit, quam biennio poſt accepit, ibique diem obiit ſupremum XXV Auguſti MDCCX. & Orationem in ejus funus habuit Johannes Voetius. Duxerat Eliſabetham Pater, ex quo matrimonio ſuſcepit Antonium filium, qui Daventriae Juris Profeſſor inproles obiit.

Fuit vero noſter vir diligentiſſimus, ſed judicio & doctrina multo inferior patre.

Scripta ejus ſunt:

Commentarius ad librum primum Inſtitutionum. Traj. MDCLXXII. 4. de quo Ludewig de vita Juſtiniani & Theodorae cap. III. p. LI. hoc teſtimonium fert: *Eſt hic liber inſtructus magno rerum ſingularium ex auctoribus Graecis & Latinis adparatu, quibus etiam inſeruit forenſia juris Belgici veteris & noviſſimi cum judicio & ſelectu: ideo fieri debet omnino maximi Doctoribus, nam amplior eſt, quam ut poſſit tironibus commendari. Deferbuit induſtria in libro primo, in quo ſubſiſtit. Etiam avi & patris exſtant notae & collegia ac disputationes*

in quatuor libros Inſtitutionum, ſed nequeunt cum noſtro conferri.

Diſputationes de Obligationibus &c. Traj MDCLX. 12. memorat Lipenius Biblioth. Jurid. p. CCCLVI.

Obſervationes rerum judicatarum a ſupremo Ultrajecti reviſionis conceſſu. Leidae MDCLXXIII. 12.

Tractatus ſingulares de Communione bonorum, de Officio judicis, de Poteſtate mariti in uxorem & de Familia erciſcunda. MDCLXXVI. 12.

De Probationibus, Fide inſtrumentorum & Teſtibus. Leidae MDCLXXVIII.

Exercitationes miſcellaneae adverſus Abrahamum a Wezel. Ibid. MDCLXXVIII. 8.

Diſputationes ſeptem de Servitutibus, una cum Barth. Caepollae tractatu de Servitutibus. Amſtel. MDCLXXXVI. 12.

De Nobilitate, de Principibus, de Ducibus, de Comitibus, de Baronibus, de Militibus, Equitibus, Miniſterialibus, Armigeris, Barſcalcis, Marſcalcis, Adelſcalcis, de Advocatis Eccleſiae, de Comitatu Hollandiae & dioeceſi Ultrajectina libri quatuor, in quibus paſſim Diplomata & Acta hactenus nondum viſa. Amſtel. MDCLXXXVI. 4. licet ad excurſiones faciendas admodum proclivis ſit, & tam diffuſum ſe praebeat, ut vix tertia operis pars principali *de Nobilitate* tractationi manſerit reſidua, non tamen has digreſſiones injucundas eſſe recte judicant Lipſienſes in Act. Erudit. Septemb. MDCLXXXV. & laudat Struvius Bibliothec. Jur. cap. XIV. §. LXXV. Cl. Ludewig de Formula Brandenburgici Ducatus cap. VIII. tom. I. Opuſcul. pag. CCLIV. miratur in utiliſſimo hoc *de Nobilitate* commentario lib. II. cap. XLV. Officiales Epiſcopi Trajectini non occurrere; & licet teſtetur Matthaeum ſuo exemplo do-

docere, quam feliciter in hiſtoria verſatus ſit, addit tamen, *utinam, quod unice deſidero, diſtinxiſſet Matthaeus res Francicas a Carolingicis, utrasque a Germanicis, Lotharingicas a Teutonicis, ab utrisque Romanas, tempora etiam ac ſecula invicem, ut quid jure eveniſſet, quid vero per vim, rerum ignaris intelligetur.* & de Foro Subfeudorum Imperialium cap. II. tom. I. Opuſc. pag. DCLIII. ubi eum refutat, quod negaverit Hollandiam fuiſſe in numero Feudorum imperialium, vocat *multi pretii opus*, & Matthaeum *multae notitiae virum & utiliſſimum auctorem.*

De Jure gladii, & de Toparchis qui id exercent in dioeceſi Ultrajectina. Leidae MDCLXXXIX. 4. de quo libro vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Octobr. MDCLXXXIX.

De Rebus Ultrajectinis, & in primis de bello cum Covordenſibus, Tarantiis ſeu Drentinis olim geſto, auctoris incerti, ſed quo ex Belgis foederatis vetuſtior hactenus nondum prodiit, viri olim illuſtris, & qui interfuit rebus geſtis, Narratio Hiſtorica. Leidae MDCXC. 4.

Chronicon Egmundanum, ſeu Annales regalium Abbatum Egmundenſium, auctore Fr. Johanne de Leydis, ordinis Praedicatorum Harlemi. Accedunt praeter Theodorici a Leydis Breviculos, Leonis Monachi Egmundenſis Breviculi majores, hiſtoriam Comitum continentes, qui Egmundae ſepulti, cum notis. Leidae MDCXCII. 4.

Rerum Amorfortiarum ſcriptores duo inediti, alter auctor incertus, alter cui nomen Theodorus Verhoeven, cum notis. Ibid. MDCXCIII. 4.

Anonymi, ſed veteris & fidi, Chronicon Ducum Brabantiae, ab ipſis gentis initiis usque ad annum MCCCCLXXXV. *Accedit vita virginis nobiliſſimae Eliſabethae van Heenvliet, quae ultima ejus gentis, & qua-*

rumdam aliarum Monialium in Diepenveen, ſcriptore anonyma Moniali, quae ejusdem coenobii, cum notis. Ibid. MDCCVII. 4.

Veteris aevi Analecta, ſeu vetera aliquot monumenta, quae hactenus nondum viſa. X. tom. 8. quibus obſervationes & notas obſcurioris iſtius temporis hiſtorias; ritus & voces explicantes & inluſtrantes, paſſim adjecit. Quae *Analecta* cum ſeparatim & non eodem tempore prodierint, hodie rariora cariſſime venduntur. Tomo primo, qui prodiit an. MDCXCVIII. continentur *Antonii Ponti Conſentini Hariadenus Barbaroſſa, ſeu belli, quod Carolus* V. *Imperator cum Hariadeno Barbaroſſa & Turcis gesſit, hiſtoria.*

Antonius Schonhovius de origine Francorum.

Vetus Chronicon Belgicum incerti auctoris.

Alterius Chronici fragmentum.

Fragmentum Chronici rhythmici.

Joh. de Lemmege Chronicon Groninganum.

Henricae ab Erp Abbatiſſae in Vrouwencloοſter in ſuburbanis Trajectenſibus Annales vernaculi ab an. MCCCCXXI. uſque ad an. MDXLIX.

Conclave Ultrajectinum, ſeu vetus inſtrumentum quod ritum continet & modum eligendi olim & imponendi dioeceſi Episcopum an. MCCCXXII.

Gerardi Noviomagi Philippus Burgundus.

Rationarium aulae & imperii Caroli Audacis, Ducis Burgundiae, Principis Belgii, Comitis Flandriae, Hollandiae, Zelandiae &c.

Guielmi Hermanni Goudani Hollandiae Gelriaeque bellum, quod geſtum circa annum MDVII *& deinceps.*

Petri Scriverii, quae variam doctrinam continent, Epiſtolae XV.

Tomo

Tomo ſecundo eodem anno edito: *Annales rerum in Hollandia & dioeceſi Ultrajectina geſtarum an.* MCCCCLXXXI. *& duobus ſequentibus, auctore incerto, ſed accurato & aequali eorum temporum.*

Ex Thomae Baſini Archiepiscopi Caeſarienſis Hiſtoria Gallica excerptum, res geſtas continens iisdem annis, & in iisdem provinciis.

Joannes de Leydis de origine & rebus geſtis Dominorum de Brederode.

Appendix Actorum veterum ad Joannem a Leydis.

Vetera aliquot Teſtamenta ſeculo XIII, XIV. *& initio ſequentis ſcripta.*

Antonii Matthaei Patris Recitationes ſeu Praelectiones ſolennes ad tit. C. de Pignor. & Hypoth. habitae olim Trajecti anno MDCLI.

Tomo III anno MDCXCIX. promulgato: *Emonis Chronicon Abbatis I in Werum apud Omlandos ab anno* MCCIII *usque ad annum* MCCXXXVII.

Iter, ſeu Expeditio, quam fecit Comes Hollandiae adverſus Saracenos, ut dux claſſis, in Syriam anno MCCXVII. *auctore ſocio ejusdem clasſis.*

Menconis Chronicon Abbatis tertii in Werum ab anno MCCXXXVII. *uſque ad annum* MCCLXXIII.

Anonymi continuatio usque ad annum MCCXCVII.

Johannes de Caſtro Sinus Arabici, ſeu maris rubri, quod navigavit, ejusdem inſularum, ejusdem littorum, portuum, rupium, vadorum, brevium, locorumque confinium, quotquot vidit & perluſtravit, ad fines usque Aethiopiae, accurata deſcriptio.

Excerpta ex Itinerario Jo. de Barros Luſitaniae Regis conſiliarii, & Ludovici de Marmol Carvajal.

Ex-

Excerpta ex Itinerario Suleimanni Baſſae an. MDLXXVIII.

Viginti & duo vetera Teſtamenta, ſeculo XV *& ſequenti conſcripta.*

Jo. Iſaacii Pontani, & Petri Scriverii, vir. clariſſ. quae variam doctrinam continent, Epiſtolae aliquot.

Tomo IV evulgato anno MDCC. *Wilhelmi Monachi & Procuratoris Egmundani Chronicon ab an.* DCXLVII. *usque ad annum* MCCCXXXIII. *quo & quae contigerunt toto terrarum orbe, & ſui in primis temporis hiſtoriam, perſequitur.*

Ad eundem Wilhelmum notae & obſervationes.

Conclave Ultrajectinum, quo Princeps Ultrajectinus & dioeceſis Antiſtes conſtitutus Fredericus Marchio de Baden.

Antonii Matthaei patris Recitationes, ſeu Praelectiones ad tit. Cod. in quibus cauſ. pign. vel hypoth. & ſequentes XX. *ſingulasque eorum leges, usque ad tit. Cod. de Except.*

Tomo V. in lucem edito anno MDCCI. *Johannis de Beka Canonici Ultrajectini Chronicon jam ante Reformationem verſum Belgice ab Anonymo, qui & paſſim non pauca addidit, & ubi Beka deſiit, res geſtas porro eſt perſecutus usque ad Comitem Hollandiae Philippum Burgundum, & Epiſcopum Trajectenſem Rudolphum van Diepholt.*

Ad eundem Anonymum notae & obſervationes.

Tomo VI. vulgato anno MDCCIV. *Fundationes & Fata ſacrarum aliquot aedium in Hollandia, Zelandia, Gelria, Friſia.*

Brunonis Fabricii Hiſtoria Abbatum Monaſterii ſanctorum

ctorum Petri & Pauli, quod Paterbornae, vulgo Abdinchof.

Sibrandi Leonis Friſii vitae & res geſtae Abbatum in Lidlum ab anno MCXXXII. *uſque ad annum* MDLXXV.

Zuederi de Culenburch ex Dynaſtis de Culenburch Origines Culenburgicae.

Ordinum ſeu trium Statuum Trajectenſium & cis & trans Iſalam contra Papam libellus, & cur imperium abrogarint Zuedero van Culenburch Epiſcopo Trajectenſi.

Servii Grammatici Gloſſae Graeco-Latinae.

Anonymi Chronicon diverſorum geſtorum.

Adriani Papae VI. *Petri Scriverii, Jo. Iſaacii Pontani; aliorumque, quae variam doctrinam continent, Epiſtolae aliquot.*

Vetus jus Tranſiſalanicum, ſeu leges Tranſiſalanis latae a Johanne de Vernenburch Epiſcopo Trajectenſi.

Tomo VII. qui prodiit anno MDCCVI. *Chronyck of Hiſtorie van Ooſt-Frieslant, beſchreve door den weledelen, geſtrenge, achtbaare Heer Eggeric Beningha &c.*

Tomo VIII. edito anno MDCCVIII. *Arnoldi de Bevergerne civis Monaſterienſis Chronicon Monaſterienſe ab initio Epiſcopatus usque ad an.* MCCCCLVII.

Anonymi aliud ab Henrico de Morſa usque ad Johannem de Hoya miſſum in poſſeſſionem anno MDLXVII.

Matthaei Tympii SS. Theolog. Lic. Epiſcoporum Monaſterienſium catalogus, uſque ad Erneſtum Bavarum, ſeu ad an. MDCXII.

Continuatio uſque ad eum, qui feliciter jam rebus praeeſt, Hermannum Wernerum Wolf Comitem de Metternich.

Anonymi vitae & res geſtae Dominorum de Arkel.

Sibrandi Leonis Friſii vita & res geſtae Abbatum Horti divae Virginis, ſeu Mariengard apud Friſios.

Tomo IX vulgato anno MDCCIX. *Auctor rerum & Trajectenſium & Hollandicarum Anonymus, ab ipſis Epiſcopatus & Comitatus initiis usque ad Maximilianum, & ejus filium Philippum, & quantum ad Trajectenſia, ad Davidem Burgundum.* Adjecit editor non tantum *Obſervationes*, ſed & *Acta publica, inſtrumenta, electiones Epiſcoporum, modumque electionis & diplomata Pontificia ex Archivis, quae Ultrajecti, majoris Eccleſiae.* Qui auctor nemo alius eſt, niſi ipſe Veldenarius, in latinam linguam, qua eo ſeculo Monachi utebantur, verſus; quod mirum Matthaeum non animadvertiſſe.

Tomo decimo & ultimo, edito anno MDCCX. continetur *Equeſtris Ordinis Teutonici Chronicon, cui accedit Tractatus de Equeſtri Ordine Melitenſi, ut & Epiſtolae Pontani, aliaque nonnulla.*

Licet vero haec *Analecta* nullo fere ordine edita ſint, multa tamen egregia continent, quibus Hiſtoria obſcurioris aevi, & praecipue Trajectina, illuſtratur. Dolendum quoque, quod tam innumeris erroribus Typographicis ſcateant, quod praecipue obſervavi in diplomatibus, quorum varia a me cum originalibus conlata a Matthaeo vel vitioſiſſime deſcripta, vel a Typographo mendoſiſſime inpreſſa deprehendi. Recuduntur vero haec *Analecta* Hagae in 4. Vereor tamen, ne iidem errores fideliter manſuri ſint; non enim, ut emendatiora & meliori ordine congeſta haec *Analecta* haberemus, eorum editio iteratur; ſed tantum quia prior raro occurrit, & cariſſime venditur.

Ejus

Ejus cura quoque prodiit *Alciati contra vitam Monaſticam ad Bernardum Mattium Epiſtola. Accedit Sylloge Epiſtolarum virorum Clariſſimorum, quae variam doctrinam continent, ut Giſanii, Vulcanii, Brabei, Scriverii, Pontani, Voſſii, Sibrandi Siccamae, Gronovii, Boxhornii & aliorum, nec non vetera aliquot Teſtamenta ſeculo* XII *& initio ſequentis ſcripta.* Leidae MDCCVIII. 8.

Manuductio ad Jus Canonicum. Leidae MDCCVI. 8. de qua videndi Lipſienſes in Supplem. Actor. t. III. ſect. V. pag. CCXIII. & Manuductionem hanc *pereruditam* vocat Struvius Biblioth. Jur. cap. XIII. §. XVII.

Fundationes & Fata Eccleſiarum, quae & Ultrajecti & in ejusdem ſuburbiis, & paſſim alibi in dioeceſi. Leidae MDCCIII. 4. Obſervandum vero, quaedam exemplaria praefixam habere Dedicationem Conſulibus, ut & univerſo Magiſtratui Trajectenſi, quaedam, omiſſa hac Dedicatione, ſeriem Praepoſitorum exhibere. Quum enim Magiſtratus, male habentes, quod homo parum ſibi conſtans, in Dedicatione ante Rerum Amersfortiarum ſcriptores, Amersfordiae jura paria cum Trajecto ſtatuiſſet, quum antea in libris de Nobilitate, aliisque, acerrimus juris Trajectini vindex fuiſſet contra minorum urbium injuſta tentamina, admodum frigide hanc Dedicationem accepiſſent, neque aliquo munere, quod eo tempore adhuc ſollemne, illum honoraſſent, Matthaeus caeteris exemplaribus, quae ultra ea, quae Magiſtratibus obtulerat, & quae amicis quibusdam donaverat, reſtabant, Dedicationem abſtulit; ita ut pauciora exemplaria hanc Dedicationem habeant, ideoque rariora ſint.

Horum omnium librorum quorum haberet optimum,

caeteriſque priorem, interrogatus a Crenio, nominavit *Inſtitutiones Juris Canonici*, & poſt *Fundationes & Fata Eccleſiarum*, teſtante Crenio III. de Libr. Scriptor. Optim. §. XXXIII. qui eum *antiqui moris virum, priſcamque gravitatem humanitate ſemper temperantem* vocat. Laudat eum quoque H. v. R. ad Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccleſ. p. CXLIII.

MEMMIUS (ABRAHAMUS) Hujus mentionem inveni in *dat gelahrte Preuſſen*, ſive *Boruſſia erudita* part. IV. tom. III. ubi ſeries Rectorum Magnificorum in Academia Regiomontana exhibetur, & dicitur Ultrajectinus, natus die Dominica, quae erat Victoris octiduum ante Michaelis MDLXIV. Doctor Medicinae, & Phyſices Profeſſor factus anno MDXCIV. Rector anno MDXCVI. & MDC. & mortuus XVIII Septembr. MDCII. aet. XXXVIII. An vero ſcripta reliquerit, ignoro. Filium hunc fuiſſe ſuſpicor *Petri Memmii*, qui, teſte Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCXLVIII. Trajecti Medicinam fecit, & Roſtochium vocatus, artem Medicam titulo Profeſſoris docuit, unde veroſimile filium ejus in Regiomontanam Academiam vocatum fuiſſe. Pater vero *Petrus* obiit XVII Julii an. MDLXXVIII. vid. Gruteri Chron. Chronic. Eccl. t. II. p. MCCLXXXIII. de quo Epiſtola Joh. Caſchi ad Arniſaeum in Burchardi Medico Studiorum Vindice pag. CXXVII. & cujus ſcripta memorat Lindenius de Script. Medic. in Petr. Memmio.

MINTURNUS (ANTONIUS SEBASTIANUS) Hic de Trajecto Epiſcopus Upentinus, & *Orationes Tridentinas de Officiis Eccleſiae praeſtandis*, quae Venetiis anno MDLXIV. prodierunt, ſcripſiſſe dicitur a Valer. Andr. Bibl. Belg. p. LXXVI. & Heuſſ. tom.

II. Hiſt. Eccleſ. p. cxxxviii. Eundem eſſe, qui de *Poëta* libros conſcripſerat, qui egregius liber prodiit Venetiis MDLIX. 4. quum nomen & tempus, quo editus, conveniant, & librum illum admodum rarum numquam a Valerio viſum, ideoque ab eo non recenſitum, diu ſuſpicatus fui. Verum poſtea Valerium Andream, qui eum *de Trajecto*, & Heuſſenum, qui *Trajectinum* facit, falli, vel plane diverſum ab eo, didici ex Nicodem. Addit. ad Toppii Biblioth. Neapol. pag. xxiii. qui *Antonium Sebaſtianum Minturnum* Italum, ab oppido Minturna adpellatum, Epiſcopum Augentinum ſcribit, ibique late de eo agit. Inter cujus opera, quae ibidem recenſet, *Orationes Tridentinae* non memorantur. Opportune vero ipſo fere tempore, quo haec typis mandantur, per epiſtolam monuit me eruditiſſimus cognatus Petrus Burmannus apud Friſios humaniorum literarum Profeſſor, hunc *Minturnum* revera de Trajecto fuiſſe oriundum, verum non Belgis, ſed Italis adcenſendum; quippe qui Neapolitanus fuit ex Trajecto (Trajetto) urbe regni Neapolitani prope fluvii Licris oſtia, quae ex ruderibus Minturnae crevit: idque didiciſſe ſcribit amiciſſimus cognatus ex Creſcimbeni Iſtoria della volgar Poëſia lib. II. pag. CLVI. Unde error Valerii Andreae natus videtur, qui cum legiſſet eum de Trajecto oriundum fuisſe, perperam id de Trajecto ad Rhenum accepit.

MONTANUS (PAULUS) ſive VAN DEN BERCHE, Trajecto natales debet die XXIV Auguſti an. MDXXX. ex clara & inſigni Montanorum familia. Utriusque linguae cognitione in ſchola patria ſibi comparata, Lovanium petivit, ubi ſedulo celebres iſtius temporis Profeſſores audivit, tantosque in Jure fecit

progreſſus, ut titulo Licentiati ſummos in Jure honores Andegavi IX Julii anno MDL adeptus ſit. Qua Laurea inſignitus, in patriam reverſus, ibique ſe cauſarum patronum profeſſus eſt, & paulo poſt Judicis Epiſcopi, qui Officialis nomine Antiſtitis Trajectini jura tuebatur, Adſeſſor creatus, deinde die IV Septemb. an. MDLXI. a Philippo II Hiſpaniarum Rege in ſupremum hujus civitatis Senatum adlectus, per novemdecim annos optimi & integerrimi judicis famam meruit. Et uti nemo tam beatus exiſtit, quin quodam vitio laboret, in noſtro quoque notarunt nimiam pertinaciam, qua ſententiam, quam ſemel amplexus erat, numquam mutabat. Cumque Ordines juſtiſſimis de cauſis jugum ſervitutis Hiſpanicae excuſſiſſent, & Senatores juramento, quod olim tyranno iſti praeſtiterant, ſoluti esſent, illeque refragaretur, dignitate Senatoria depoſitus eſt die I Septembr. anno MDLXXX. & privatus vixit ad annum MDLXXXVII. quo die XXX Septembris rebus humanis exemptus eſt. Ejus filius *Daniel van den Berch* nomine uxoris Henricae Boll Lunenburgi Dynaſta exſtitit, quod Praetorium poſteri ejus diu poſſederunt.

Poſt ejus mortem prodiit cura fratris Balthazaris *Tractatus de Jure Tutelarum & Curationum, in quo univerſa tutelaris materia & ſtatuta civitatis Ultrajectinae cum ampliationibus, limitationibus, quaeſtionibusque huic cognatis, nove & plene, tam theoretice quam practice, declarantur & enucleantur.* Leidae MDXCV. fol. Francof. MDCVII. Hagae MDCLVI. 8. & MDCLVII. 4. Quem Tractatum *locupletisſimum* vocat Rodenburgius in Dedicatione de Jure Conjugum, & laudat Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. LXIX.

Vid. Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. DCCXVII. Sweert. Athen.

Athen. Belg. p. DXCVI. Freher. Theatr. Viror. Illuſtr. p. II. ſect. IV. p. DCCCCV. Graev. Orat. in L Acad. Traj. Natal. & H. v. R. in notis ad Heuſſen. tom. II. Hiſt. Eccleſ. p. CXLII.

MOREELSE (HENRICUS) Natus eſt die XVII Decembr. MDCXV hac in urbe, matre Antonia van Wintershoven, & patre Paulo, Pictore celeberrimo, quem laudat Carolus van Mander 't leven der Doorl. Nederl. Schilders p. CCLXXXI. & p. CCXCIX. poſtea Senatore, Aedili & rationum urbanarum Magiſtro; qui non tantum in Picturae, ſed & in Architecturae arte excelluit, quod oſtendit in exſtructione inſignis portae Catharinae Trajectenſis, vid. Houbraken Toneel der Nederl. Schilders t. I. p. XLIX. In urbe patria poſitis utriusque linguae rudimentis, Harderovicum miſſus, ibi ſtudiis operam dedit ſub Joanne Iſaacio Pontano, & Antonio Matthaeo. Quum vero Trajectini Matthaeum, ut in novo Gymnaſio Jus civile explicaret, evocaſſent, noſter praeceptorem ſuum ſecutus eſt. Poſtea Leidam petiit, ibique Salmaſii, Heinſii, & Vinnii diſciplinae ſe tradidit. Deinde Galliam peragravit, ubi ab Edmundo Merillio, celeberrimo Jurisconſulto, Avarici Biturigum Doctor Juris renuntiatus eſt. In patriam redux Orationem habuit, qua conatus Magiſtratuum noſtrorum in erectione Scholae inluſtris laudavit, proque ea libro veſtito inſignibus urbis honoratum fuiſſe didici ex Actis Urbanis V Januarii MDCXXXV. & poſtea duodecim viris, qui in Curia Urbana juri dicundo praeſunt, extra ordinem adſcribitur anno MDCXLIII. Sequenti vero anno XXV. Martii Juris Profeſſor in Academia noſtra creatus, per decem annos egregie Jus civile interpretatus eſt. Cumque anno

MDCXLV & MDCXLVI. maximae vigerent & agitarentur controverſiae inter priora hujus civitatis membra, & Magiſtratus noſtros, Moreellius Hagam ad Principem Arauſionenſem delegatus eſt, ut cauſam Urbis ageret & defenderet, uti patet ex Actis Urbanis VI Februar. MDCXLVI. Oratorem diſertum & eloquentem fuiſſe inde quoque conſtat, quod Magiſtratus ei demandarunt Oratione panegyrica Wilhelmo ſecundo Principi Arauſionenſi Praefecturam gratulari, juxta decretum XXI & XXV Maji MDCXLVII. quod ex voto praeſtitiſſe Magiſtratus dono CL florenorum declararunt die XIX Junii dicti anni. Cumque anno MDCLII. in Senatorem Curiae ſupremae eſſet electus, Senatui urbano adfuit, & Magiſtratibus pro beneficiis acceptis gratias egit. Ne vero novo hoc honore res Academica quid detrimenti caperet, Profeſſionem obire, donec ſucceſſor eſſet datus, ultro obtulit; quod & praeſtitit ad XXV Aprilis MDCLIV. quo Oratione publica laboribus Academicis valedixit, uti conſtat ex Actis Urbanis XII, XIV Febr. MDCLII & XXV Aprilis MDCLIV. & ita concilianda loca diligentiſſimi & eruditiſſimi van de Water tom. II. Utrecht. Placcaetb. p. MLIV. ubi X Febr. MDCLII. electus, & tom. III. p. CCCCXCII. quo Senator factus dicitur XXIV April. MDCLIV. Anno MDCLV. ei demandata provincia adſidendi in ampliſſimo conſeſſu judicum, dirimendis controverſiis inter noſtrae Reipublicae & Hiſpaniarum Regis ſubjectos conſtituto, (*Chambre demi partie.*) Deinde anno ſcilicet MDCLXI. in Senatum urbanum lectus, primo recuſavit, & tandem annuit, ea tamen lege, ut ſemper ei integrum eſſet in Curiam redire & priſtinum locum tenere, juxta decretum quod exhibet idem van de Water tom. III. p. CLXXXVI. Statim vero hujus Reipublicae

blicae nomine rationum magiſtris, qui ſeptem foederatarum civitatum vectigalia & reditus Hagae Comitis curant & tractant, adſcriptus, paucis menſibus poſt, primo videlicet Octobris an. MDCLXII. ad Conſulatus faſtigium provectus eſt, eumque honorem per duos annos optime geſſit. Quo tempore omnes animi nervos intendit, ut patriam urbem ornaret, ejusque ſplendorem & dignitatem augeret. Hinc auctor fuit, ut moenia urbis proferrentur, & variis rationibus, edito & evulgato ſcripto, optimum hoc conſilium fulcire conatus eſt. Quod tamen, licet manus jam operi admotae eſſent, caruit ſucceſſu propter inſecutam temporum diritatem & bellum Anglicum. Quo Conſulatu integerrime perfunctus, mox ſe in Conſilium Senatorum ſupremum recepit. Quibus omnibus muneribus ſumma cum prudentiae & probitatis laude functum teſtatur Graevius tom. IV. Syll. Epiſt. Burm. p. XLIV. & anno MDCLXVI. XXI Maji obiit, conditus in templo Civili, ubi hoc ejus monumentum exſtat;

Viro Ampliſſ.
Quem rara virtus, doctrina & vitae integritas per omnes honorum gradus ad ſummum dedit,
HENRICO MOREELSE P. F. JC.
Urbis Trajecti Conſuli, Curiae Provincialis Senatori, in conſilio litibus judicandis inter Hiſpaniarum Regis & foederati Belgii cives, delegato.
H. M. P. M. M. P.
Omnibus bonis flebilis & deſideratus, obiit A. D. XII *Kal. Junii* CIƆ IƆ CLXVI.

Juſtum & tenacem propoſiti virum
Nulla mente quatit ſolida.

Licet praeter Belgicum illud ſcriptum, cujus ſupra meminimus, & quo Urbis amplificationem neceſſariam demonſtrare voluit, nihil praeter Orationem inauguralem *de Jurisprudentiae Romanae uſu hodierno*, & Diſſertationes quasdam, quum in Academia Jus profitebatur, ſcripſerit vel ediderit, multum tamen praeſtare potuiſſe, ſi animum ad ſcribendum adplicuiſſet, certiſſimum eſt, cum fuerit vir doctus, uti recte eum vocat Rodenburch Praefat. de Jur. Conjug. & ejus ope conſilioque ſe adjutum in libris de Auctionibus teſtatur Matthaeus in Praefatione. *Omnibus virtutibus perpolitum* dicit Wezel ad Novell. Conſtitut. art. xv. n. ix. ubi memorat ejus Diſputationem editam *de Legatis*.

Ejus Diſſertationem *de Manuductione ſtudioſi juris* exſtare in Voſſii diſſertationibus editis Trajecti MDCLVIII. 12. tradit Lipenius Biblioth. Philoſ. p. MCCCCXXXI.

Orationem in ejus obitum habuit Graevius, quae legitur inter ejus Orationes p. CLXXI.

MORUS (PHILIPPUS) Hic inter eruditos Trajectinos enumeratur a Clar. Graevio Orat. in L. Acad. Traj. natal. Patrem habuit Antonium, qui Pictoris celeberrimi nomen meruit, cujus merita exhibent Carolus van Mander in Het Leven der doorlugtige Nederlandſe en Hoogduytſe Schilders pag. CCXXX. (qui pag. ſeq. queritur, quod liberi ſuperſtites, licet humaniſſime rogati, nullam vitae aut fatorum hujus inluſtris viri narrationem dare voluerint) & Junius in Batavia cap. XVI. p. CCXXXIX. Noſter vero Canonicus ad S. Salvatorem privatam aliquamdiu vitam egit, & Mathematica ſtudia excoluit, variisque carminibus, quae luſit, laudem & famam inter Poëtas reportavit. Deinde ſe addixit Sebaſtiano celeberrimo Portugalliae Regi &

& periit in Africa menſe Auguſto MDLXXVIII. Ejus nomine prodiit

Triumphus pecuniae, ſive *Ode annalis*, quam pueri feriis Martinianis modulabantur. Traj. MDLXXVII. 4. quod carmen *politum, doctum & ingenio auctoris dignum* pronuntiat Valer. Andr.

Nabath Tragicomoedia ſacra. Traj. MDLXXI.

Comoedia ejus *Vinea* memoratur a Lipſio Epiſt. Famil. p. XI. quam eandem eſſe & Tragicomoediam *Nabath* veroſimile eſt.

Carmen ad Janum Douſam exſtat tom. III. Delic. Poëtar. Ital. p. DCLXIV.

Varia praeterea carmina luſit & edidit, quae apud diverſos leguntur, & ad eum multa Jani Douſae carmina exſtant, ut lib. V. Epigr. p. CXXIX. ubi ei exprobat quod Hiſpanis adhaereat, quum antea Hiſpani nominis oſor erat, libr. Hendecaſyll. p. CXCII, CXCIII, CXCIV, CC, CCII. & lib. II. Epod. carm. III. & Epiſt. IV & VIII.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCLXXVI.

MUELEN (JOHANNES ANDREAS VAN DER) Dominus de Niecop & Portengen, natus Trajecti VI Decemb. MDCLV. patre Wilhelmo Senatore & Judice urbano & matre Conſtantia Duitz. Frater illuſtriſſimi Guilielmi van der Muelen, Domini in Outbroekhuyſen &c. Decani Capituli S. Mariae, ut & Senatoris in ſupremo noſtro Tribunali integerrimi, viri praeconio noſtro majoris, cui vegetam ſenectutem omnes boni mecum ex animo optant, qui noſtrum fratrem ſuum germanum vocat Annotat. over de Ordon. der Stad Utr. Rubric. XXIV. art. II. & Diſſert. I. de Die Mundi pag. CCCLXII. In Academia patria ſtudiis diligentem ope-

operam navavit, & in Jure Johannis Voetii auditor fuit, uti ipſe ſcribit in Diſſertat. Jurid. circa Fideic. pag. CXL. utriusque Juris laurea condecoratus, aggeris Vianenſis Praefectus, ut & illius dioeceſeos Camerae judicialis Senator creatus eſt, poſtea Senatoriam in Curia Brabantiae, quae Hagae eſt, dignitatem obtinuit, obiitque Hagae Comitum anno MDCCII. & conditus eſt Voorburgi prope Hagam. Uxorem duxit Suſannam Catharinam Wiertz, filiam Senatus & Curiae Brabantiae Praeſidis, qui *Pia colloquia* edidit. vid. Praefat. ante Forum Conſcientiae.

Scripta ejus, quae edidit, ſunt:

Statuta & Conſuetudines dioeceſeos Vianenſis & Ameydenſis, tam in civilibus quam criminalibus cauſis, legibus, rationibus, deciſionibus munita ac illuſtrata, ut & eorum a jure communi divortia paſſim oſtenſa. Traject. MDCLXXXIV. 4.

Diſſertatio juridica circa Fideicommiſſum in teſtamento illuſtriſſimi D. Comitis Johannis Wolphardi de Brederode contentum, in qua, inſertis juris reſponſis a juridica facultate Leydenſi, aliisque magni nominis Juriſconſultis in ea quaeſtione datis, ſummarie inquiritur in illius fideicommiſſi qualitatem: illudque eſſe purum & perpetuum, non conditionale, & aeque filias ac filios Teſtatoris concernere, in uſum illuſtriſſimi ac regnantis Comitis Lippiae defendere, ut & ad contraria placide reſpondere conatus eſt. Ubi in Dedicatione dicit *ſe intentum lucubrationibus ſuper univerſum Jus, brevi, ſi Deus vitam & vires dederit, edendis.* Quae tamen numquam prodierunt.

Forum Conſcientiae ſeu Jus Poli, hoc eſt, Tractatus Theologico-Juridicus, in quo Jus fori ad normam juris

poli

poli revocatur, *&* *examinatur per ſelectas quaeſtiones*, *ſecundum tria juris praecepta digeſtas*, *&* *in tres partes diviſas*. Traject. MDCXCIII. 4.

MULERTUS (GERARDUS) Hic quoque Trajecto natales ſuos debet, patre Erneſto progenitus. Fuit non tantum natalium & opum ſplendore conſpicuus, ſed & Jurisprudentia inſignis, & in utraque militia exercitatus. J. U. Doctor, varios & inſignes honores & munera geſſit. Anno enim MDXXII. Senator in Curia Hollandiae & Praeſes Friſiae, anno ſequenti Caeſaris conſiliarius creatus, anno MDXXVII. Senator in ſummo Conſilio Mechlinienſi, anno ſequenti libellorum ſupplicum Magiſter, & poſtea an. MDXXXVIII. & MDXXXIX. Schenkii praefecti Groningani vices geſſiſſe, ſive *Luitenant of Stadhouder van Groeningen*, dicitur apud Gouthoev. Chron. pag. CV & CIX. Uxorem habuit Corneliam Poth.

Dum juvenis eſſet, & Pariſiis degeret, edidit *Additiones in Flores ultimarum voluntatum Bollandini Bononienſis* antiqui ſcriptoris, qui jura teſtamentorum uſui adcommodavit. obiit Hagae anno 1702 aetatis XLVii

Ubi vero, & quando obiit, ignoro, neque auctores, qui ejus memoriam conſervarunt, tradunt, ut Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. CCLXXXII. Sweert Athen. Belg. p. CCLXXXII. qui eum *virum exactae doctrinae & eloquentiae* vocat, & Graev. Orat. in L. Academ. Traj. natal.

MUNNIKS (JOHANNES) Trajecti XVI Octobr. an. MDCLII. patre Apothecario natus. Medendi artem in Academia patria didicit, & Medicinae lauream nactus, XXIX Octobr. MDCLXXVII. Lector in Anatomia, II Decemb. an. MDCLXXVIII. Profeſſor extra ordinem

dinem ſine honorario, & tandem IX Febr. MDCLXXX. ordinarius Anatomiae, Medicinae & Botanices creatus, ea conditione, ut per duos annos nullo honorario frueretur, obiit X Junii MDCCXI. duas duxit uxores: primam Helenam Meulemans anno MDCLXXXI. alteram Mariam de Graaf die XI Novemb. an. MDCLXXXV. ex quarum poſteriori utriusque ſexus liberos reliquit ſuperſtites. Scripſit

De Urinis, earumdemque inſpectione. Traject. MDCLXXIV. 12. quem librum ex Gallico auctore deſcripſiſſe dicitur in libello, qui contra eum prodiit, cujus titulus *Uromanticus Caſtratus.*

Chrirurgiam ad praxim hodiernam adornatam, in qua veterum pariter ac Neoreticorum dogmata dilucide exponuntur. Traj. MDCLXXXVI. 4. quam recenſent Lipſienſes Act. Erudit. Novemb. MDCLXXXIX. In linguam Belgicam verſa opera Cornelii Havardt prodiit ſub titulo *Munniks practyk der Heelkonſt.* Traj. MDCXCIII. 4.

De re Anatomica. Traj. MDCXCVII. 8. vid. Lipſ. Act. Erud. Novemb. MDCXCVII.

Adornavit quoque editionem partis quartae & quintae *Horti Malabarici* an. MDCLXXXIII & MDCLXXXV. fol.

MUYDEN (JOHANNES A) Hic quoque Trajecto natales debet, natus XXVI Januarii an. MDCLII. Juri operam dedit, ejusque ſummos honores conſecutus, primo praeceptor fuit quartae claſſis, deinde Prorector Gymnaſii Hieronymiani, & XXVII Decemb. MDCLXXX. extra ordinem Juris Profeſſor creatus, deinde VIII Octobr. MDCLXXXIII. inter ordinarios receptus, pervenit ad ultimam ſenectutem, & obiit XXV Maji an. MDCCXXIX. Duas duxit uxores, quarum poſteriorem Adrianam van Benthem matrimonio ſibi junxit anno

MDCLXXXIV,

MDCLXXXIV. Ex utraque liberos ſuſcepit, quorum nullus hodie ſuperſtes eſt.

Nullis vero ſcriptis memoriam ſui poſteritati reliquit, niſi duobus *Compendiis*, ſcilicet *Inſtitutionum* & *Pandectarum*, juxta quae in ſcholis privatis Inſtitutiones & Digeſta exponere ſolebat, quae ſaepiſſime recuſa, quorum primum praeterito anno cum Additionibus Everardi Ottonis Anteceſſoris noſtri prodiit in 8.

N.

NETHENUS (MATTHIAS) natus eſt XXVII Octobr. MDCXVIII. in oppido ditionis Juliacenſis, cui nomen Suchtela, patre Johanne, qui ibi Paſtorem tunc agebat, & poſtea in eccleſia Reeſſenſi verbum divinum adnuntiavit. In ſchola Reeſſenſi ut & Veſalienſi eruditarum linguarum cognitione percepta, Harderovicum deſcendit, ibique Henrici a Dieſt, & Johannis Cloppenburgii inſtitutione uſus eſt. Quumque Dieſtius ab Academia Harderovicenſi ad ſcholam Daventrienſem eſſet translatus, praeceptorem ſecutus eſt, ibique ad annum MDCLXII. manſit, quo Trajectum petiit, ut Gisbertum Voetium, Carolum de Maets, & Mainardum Schotanum docentes audiret; praecipue vero Gisbertii Voetii diſcipulus fuit, uti conſtat ex Voet. tom. I. Diſp. Theol. p. CCLXIV & DXXXVI. & ipſe Voetium praeceptorem ſuum vocat in Dedicatione ante Rhetorforti examen Arminianiſmi. Anno MDCXLII. inter S. S. miniſterii candidatos receptus, ſaepiſſime pro populo verba fecit. Anno MDCXLIV Magiſtrum artium creatum, proque dedicatione Diſſertationis inauguralis Magiſtratibus noſtris facta, XXV florenos acce-

cepiſſe, didici ex actis urbanis 11 Maji MDCXLIV. Quumque anno MDCXLVI. a Clivenſibus in paſtorem eſſet vocatus, antequam urbem & Academiam noſtram deſereret, ſupplici libello Ordines fruſtra rogavit, ut pro officiis, per quatuor annos in diverſis civitatis eccleſiis praeſtitis, honorario quodam, quo ſe aere alieno liberaret, gratificarentur. Locum ex actis Ordinum noſtrorum, unde haec reſcivi, hic deſcribere & inſerere, quia ſingularia qnaedam, ut & mentionem patris & fratrum ejus, continet, operae pretium duxi.

Extract uit de reſolutien van de Staten s' Lands van Utrecht den 4 July MDCXLVI.

Op de requeſte van Matthias Nethenus vertoonende, hoe dat hy ſuppliant nu 't vierde jaar in de Claſſis van Utrecht preparatoir geexamineert zynde, hem, dies verzogt zynde, ten dienſte der kerken dezer Provincie, zo in de ſtad als ten platte lande op allerhande dagen hadde laten gebruiken, daar anders meenigmaal de kerken en de gemeenten leedig, en zonder exercitie van Godsdienſt zouden geweeſt zyn: ook het veer en vragtgelt uyt het zyne by noot hadde verſchooten; meede in quaat weer en wintertyden groot ongemak uitgeſtaan hadde, en in den jare 1634. *in een geheel vierendeeljaars niet eenen Sondag was vry geweeſt; mitsgaders dat hy nu ſuppliant was ſtaande als Predikant binnen de Stad Cleve, en daarom eerſtdaags van hier derwaarts zoude trekken, en van deeze ſtad en Academie zyn afſcheid zoude neemen; verzoekende uyt zake van zyne dienſten voorſchreven, van Haar Ed. Mo. een eerlyke recompenſie tot aflegginge van zyne ſchulden alhier gemaakt, te mogen genieten, als ook tot verligtinge van zyn*

zyn ſuppliants vader, ſtaande als Predikant binnen Rees; die niet alleen hem ſuppliant, maar tegenwoordig nog vyf andere zyne zoonen, en broeders, op zyne koſten buiten huys ter ſchoole houdet, tot zyne groote beſwaarniſſe. Is geappoinčteert: de Staten van den lande van Utrecht ontzeggen des Suppliants verzoek.

Apud Cliveníes non tantum verbi divini miniſtrum egit, ſed & per biennium ſcholas moderatus eſt ad annum MDCLIV. quo XXIV Aprilis Theologiam docendi provinciam in Academia noſtra oblatam in ſe ſuſcepit, & XXX Maji habita diſputatione *de Tranſubſtantiatione*, Theologiae Doctor a Gisberto Voetio ſollemni ritu renuntiatus eſt. Ad annum vero MDCLXI. Profeſſoris Theologi partes in Academia noſtra ſuſtinuit, quo urbi & Academiae valedicere juſſus eſt. Quum enim per aliquot annos magnis animis agitatae eſſent contentiones inter Theologos & Canonicos Trajectenſes de uſu Bonorum Eccleſiaſticorum, & anno MDCLIX Magiſtratus noſtri rogaſſent Paſtores, ut ſententiam ſuam de uſu Bonorum Eccleſiaſticorum ſcripto exhiberent, illique in duas partes diviſi non omnes idem ſentirent, Nethenus anno MDCLX ex utriusque ſcripto conlegit capita, in quibus inter eos conveniebat, & Belgice edidit hoc titulo: *Concordia Miniſtrorum Ultrajectinorum in judicio de uſu bonorum eccleſiaſticorum*, in quo & in rationem Capitula reformandi, uti ajebat, inquiſivit. Huic Mareſius oppoſuit *Reflexiones breves ad conceptum Math. Netheni.* Quibus reſpondit Nethenus anno MDCLXI. edito libello, cui titulus *Neceſſaria defenſio concordiae paſtorum Ultrajectinorum.* Ordines vero Groningenſes literis ſcriptis primo ad Ordines noſtrae ci-

vitatis, quae leguntur in actis Ordinum IX Octob. MDCLXI. deinde ad Magiſtratus Urbis, hunc libellum varia in eorum contumeliam, ut & Samuelis Mareſii Theologiae Profeſſoris Groningani, continere ſignificarunt, petieruntque ut meritas pro convitiis lueret poenas, & Magiſtratus noſtri querelas has juſtas habentes XIV Aprilis MDCLXII. Profeſſoria dignitate illum orbarunt. Decretum totum hic deſcribere, uti in actis noſtris exſtat, placuit, ut inde conſtaret non tantum de ingenio turbulento hujus Theologi, ſed & Magiſtratus noſtros nullo partium ſtudio abductos, ſed re bene, rite & ſerio perpenſa & examinata, aequiſſimam & juſtiſſimam tuliſſe ſententiam.

Maandag den XIV Aprilis MDCLXII.

De Vroedſchap der Stad Utrecht ontfangen hebbende een Miſſive van de Ed. Mo. Heeren Staten van de Stad Groeningen en Ommelanden van date den 1 November 1661. door welke Haar Ed. Mo. ons bekent maken, dat zy met groote indignatie bevonden hebben, dat Matthias Nethenus S. S. Theologiae Doctor en Profeſſor in de Academie alhier, in zeeker by hem uytgegeeve boek geintituleert Neceſſaria defenſio concordiae Paſtorum Ultrajectinorum, welgemelte Haar Ed. Mo. voor de ganſche wereld diffameert, als zouden zy of hare voorzaaten, in haare publique vergaderingen hebben geconſenteert in kerkrooveryen, en onderſlaan van geſechte geeſtelyke goederen, de poſſeſſeurs van dezelve genoegzaam daar toe auctoriſeerende en maintineerende. Dat ook Samuel Mareſius S. S. Theologiae Doctor en Profeſſor primarius in Haar Ed. Mo. Academie, in 't zelve boek zeer ſchandelijk wort getraduceert, als een valſch profeet, en profaen menſche, byde in leere en in leven, en verleyder der zielen: verzoekende dat wy gemelte Profeſſor Nethenus daar over wilden te reeden ſtellen,

len, en ook na behooren corrigeeren, op dat het mooge ſtrekken anderen ten exempel, en de reputatie van Haar Ed. Mo. provincie, als ook van haare Profeſſor primarius, publiquelijk moge worden gevindiceert. Hebben wy niet konnen ſtilſtaan het voorſchreve boek te onderzoeken, en hebben daar in bevonden, dat de voornoemde Nethenus verhaalt hebbende uyt een brief, die van Acronius aan Conradus Vorſtius zoude zijn geſchreeve, dat zeeker regtsgeleerde het onderzoek van de kerkelijke goederen in de voorſchreeve Provincie door ordre van den Stadhouder gedaan, niet wel en zoude zijn bekoomen, en geſuccedeert; daar op onder anderen voecht, dat de welgemelde Heeren Staaten van die Provincie in haare publique landsvergaderingen in die kerkrooverye t'zamen bewilligt en geconſpireert zouden hebben, zo dat zy malkanderen onderling abſolveerden van de zonde. Gelijk wy ook hebben bevonden, dat dezelve Profeſſor Mareſius aldaar wort uytgemaakt voor een valſch Propheet van de Chriſtelijke waarheid: een haater en vyand van vreede, en van de reformatie: een waare Bileam: een inſtrument van den duyvel: een ſlaave van de gierigheid; die den Prince der duyſterniſſe door het vertoonen van het lokaas des bedriechelyken gelts leyt en dryft waar heenen hy wil, en in zijne gedurige ſlavernye verplicht hout: voor een verleyder der zielen: bederver van de waarheid en godzaligheid: een inſtrumeut van den Satan, om het koningryke Chriſti te bevegten, en het ryke van den Satan te beweeren: voor een Advocaat van leugen en van godloosheid: voor een Balaam, Simei en Doëg, zig vertoonende uyterlyk een veynſer van het Chriſtendom, van binnen een vyand, een beſpotter, een beſtryder, en een verraader: van wien alle, die haare zaligheid lief hebben, zig hebben te wagten, en wiens veele valſche, ſchandelijke en ergerlyke, en voor de zielen des menſchen doodelijke ſchriften niet en zyn voorgekoomen van den geeſt des monts Gods; maar die voortgebragt zyn uyt een krengige en ſtinkende Theologie van een Fransman, Beëlzebub daar toe meede werkende. Booven dien hebben wy ook bevonden, dat ge-

 melte

melte Nethenus, tracteerende van 't geen de Ed. Mo. Heeren Staten dezer Provincie, en wy in den jare 1660. *tot conſervatie van de ruſte, vreede en welvaaren van de politie en kerke, genootzaakt zijn geweeſt voor te neemen, met het uytzeggen van de Predikanten Abraham van den Velde, en Joannes Teeling, hy het zelve noemt een booze conjuncture van tyd, een verſeerde of verwonde ſtaat van de kerke, een geexaſpereerde geval van zaken, een tempeeſt, dat kort daar na was uytgebuyt, en de twee uytgezeyde predikanten in dat tempeeſt uytgeworpen te zyn: en occaſie neemende uyt het geene hy zeyt vernoomen te hebben, dat Marezius alhier zoude hebben geſchreeven, dat de voorſchreeve twee Predikanten waaren als twee Gazaſeels in de woeſtyne gezonden, daar op niet alleen voegt, dat dezelve met eere zouden hebben geleeden, verdient hebbende vergeleeken te worden met het voorbeeld van onzen gezegende Zaligmaker; maar ook dat zy gemeriteert hadden, den Zaligmaker, zelve buyten de ſtad uytgeleyt zijnde en geleeden hebbende, gelijkvormig te worden: en dat haare uytwerpinge by God glorieuſer zoude zyn, als het verblyf van anderen: en dat die met Chriſto leefden, ook 't zyner tyd met Chriſto verheerlijkt zouden worden. Beſchryvende voorts de voorſchreeve uytgezeide Predikanten, dat het mannen zouden zijn in geleertheid, welſpreekentheid en uyterlyke gaaven, neerſtigheid en geduurzaamheid, en, dat het principaalſte is, in yver van ſincere en leevendige godzaligheid uytſteekende, en aan oproerige predikatien onſchuldig; maakende alzulks zyne wettige Overigheden daar door voor de geheele wereld verdagt van een ongeregtige, tyrannique en godlooze daat; daar nogtans voor de goede ingezeetenen deezer ſtad, en die dezelve eenige jaaren te vooren hadden gefrequenteert, notoir was, dat veele regtveerdige, wettige en hoogdringende reedenen, na langduurige te vergeefs gepleegde patientie, en veelzints gebruikte verdraagzaamheid, welgemelte Haar Ed: Mo. en ons, dezelve reſolutie hadden afgeparſt. Van alle 't welke, en nog andere aanſtootelykheeden wy de paſſages van 't voorſchreeve boek Nethenus,*

thenus, voor Commiſſariſen uyt het midden van ons ontbooden en gecompareert zijnde, ter hand hebben doen ſtellen, en daar teegen van hem ontfangen en ingenoomen zyne defenſie by geſchrifte geſtelt, en die meede by ons geleezen en geexamineert zijnde; dewijl wy niet meer ter herten neemen, als dat de waare Chriſtelijke Gereformeerde religie met alle moogelijke vlyt en goede yver gehanthaaft en gevordert worde, en dat tot dien eynde in de Academie alhier door alle aandringende devoiren de ſtudeerende jeugt onder Gods genadige zeegen werde ingeſcherpt de wysheid, die zuiver, vreedzaam, beſcheyde, gezeggelijk, vol van barmhertigheid, en van goede vrugten en ongeveynſt is, en daar en teegen geweert en gedeteſteert die wysheid, die partydelijk oordeelende, bittere nyd en twiſtgierigheid in 't harte baart, die met opgeblaaſentheid raazende omtrent twiſtvraagen, en woordenſtryd, meer nyd, twiſt, laſteringen en kwaade nadenkingen, kraakeelingen, en verkeeringe der toehoorderen is voortbrengende, dan nuttigheid, leeringe en ſtigtinge Gods, die in het geloove is; en dat dezelve jeugt met alle vyerigheid van geeſte werde aangezet, om met gereynigde zielen in de gehoorſaamheid der waarheid, die na de godzaligheid is, in liefde te betragten, en met alle ſchriftuurlyke argumenten en reedenen te beweeren, zonder ſchelden voor ſchelden, en quaat voor quaat te vergelden, veel min onder de broederen, die eeven dierbaar geloof verkreegen hebben; maar onder dezelve te houden de eenigheid des geloofs door den band des vreedes, en met alle ootmoedigheid, zagtmoedigheid en langmoedigheid malkanderen in liefde te verdraagen en te vergeeven, zo ymant teegen ymant eenige klagten heeft, immers die te brengen voor wettelyke vergaderingen, om by alle betamelijke middelen beſliſt en needergelegt te worden, zonder door publique twiſt en laſterſchriften malkanders goede naam te ſchenden, en occaſie te geeven, dat van de vyanden en teegenpartye der heylige reformatie gelaſtert, de geloofsgenooten bedroeft, en door aanſtootelijke ergerniſſen den aanwas van Gods kerk, en de uytbreydinge van de Chriſtelijke waarheid geſtuyt en ver-

hindert worde; gelijk meede onze ernſtige intentie is, dat tot bevorderinge van de Chriſtelijke vreede en eenigheid in de politie en kerke, in dezelve Academie worden opgekweekt herders en leeraars, die alle zielen leeren de Overigheeden en magten over haar geſtelt onderworpen en onderdanig te zijn, en de ganſche gemeynte vlytelijk en opregtelijk inſcherpen de gehoorzaamheid, liefde en eerbiedinge, die zy den magiſtraten ſchuldig zijn, en dezelve daar inne met haar goet exempel voorgaan; en dat geweert worden, die de heerſchappyen veragten, die ſtout, eygenliefdig, hoveerdig, laatdunkende en onverzoenlijk zijn, die haar zelven behaagen, en de heerlijkheden niet ſchroomen te laſteren, en alzulxs allezints beoogt en betragt worde het eynde des gebots, de liefde uyt een reyn herte, uyt een goede conſcientie en uyt een ongeveynſt geloove. Soo iſt dat wy in deezen niet konnende leedig ſtaan onzen ſchuldigen en chriſtelijken plicht te betrachten, de zake met rype deliberatie van rade hebben overwoogen, en willende daar in voor zoo veel onzes ampts is, politiquelijk voorſien, vinden wy ons om redenen, en goede conſideratien, ons daar toe moveerende, bevoecht en verplicht, den gemelden Profeſſor Nethenus uyt zijne functie en profeſſie te verlaaten. Derhalven wy denzelven by deezen opzeggen en interdiceren de exercitie van dien, verſtaande dat deeze reſolutie aan gemelde Nethenus zal worde bekent gemaakt, en copye daar van behandigt, om hem daar na te reguleeren. Actum den 14 *April* 1662.

Hoc Senatus conſilium exhibent & van de Water Utr. Placcaatb. tom. III. pag. CCCCXXIX. & Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XIII. pag. CLX. qui & de eo teſtatur pag. CLXVI. *Memorabile eſt, quod mihi a fide digno de hoc Netheno, ſententiam fovente non ſalvatum Adamum, relatum fuit, ipſum adeo pertinacem opinionis ſuae fuiſſe, ut Herbornae nullam temere concionem ejus ſine mentione habuerit, quin nec in publicis precibus quandoque oblitus fuerit.*

Juſtis-

Juſtiſſime igitur Profeſſione excidit Nethenus, qui non tantum multa in Mareſium & Ordines Groninganos, ſed & in Ordines & Magiſtratus Trajectinos convicia evomuerat, neque memini umquam ſcriptum aliquod legiſſe, in quo tot convicia & calumniae reperiuntur, ita ut nulla non tantum pagina, verum ne verſus quidem ſit, qui iis non abundat. Ad annum vero MDCLXIX. privatam egit vitam, quo Herbornae Paſtoris, Inſpectoris & Profeſſoris Theologi munera in ſe ſuſcepit. Anno MDCLXXIV. fruſtra libello ſupplici rogavit, ut ſententia aboleretur & mutaretur. Obiit coelebs Herbornae IX. Octobris an. MDCLXXXVI. aetatis LXVIII. ejusque vitam & fata oratione funebri enarravit Nicolaus Gurtlerus, in ſchola Herbornenſi Philoſophiae & Eloquentiae, & deinde in Hanovienſi Theologiae & literarum amoeniorum Profeſſor.

Praeter hunc librum varias conſcripſit diſſertationes Academicas. Diſſertationes *de Conditionata, ſeu media in Deo ſcientia* exſtant apud Voet. t. I. Diſput. Theol. p. CCLXIV. CCLXXIII. CCLXXXV & CCCIX.

Dum hic Profeſſorem ageret, edidit Diſſertationes *de Decreto Dei circa contingentia libera abſoluto, an a conditione extra Deum ſuſpenſo.*

Item *de Scientia media.*

De Decreto Dei circa poſſibilia, quae non fiunt.

De Gratia Dei.

In Epiſtolas ad Timotheum. Traj. MDCLV. uti notat Le Long Biblioth. Sacr. t. II. p. DCCCLXXVII.

Diſputationum de concurſu Dei determinante an determinabili meminit ipſe in Praefatione ante Rhetorforti Examen Arminianiſmi, & Voetius tom. V. Dis-

putat.

putat. Theol. p. DCCXXVIII. & ut eas recudendas det contendit.

Diſputationem de Litera & Spiritu anno MDCLVII. ſcripſiſſe, quae anno MDCLXII. Groningae in 4. in Belgicum ſermonem verſa prodiit, teſtatur Crenius Animadv. Phil. & Hiſt. part. VII. pag. CXXVII. Anno MDCLXI. ad Spadanos fontes excurrens, ibi cum Joſepho Maria a Lens Capucino Namurcano de controverſiis religionis conloquium habuit, eique tradidit disſertationem de *Tranſubſtantiatione*, quam, quum Doctoris Theologi titulum Trajecti adipiſceretur, conſcripſerat. Capucinus ſcripto ei reſpondit, & Nethenus pro defenſione dictae diſſertationis edidit libellum contra Capucini reſponſum Amſtel. MDCLXVI. 12. quem memorat Lipenius Biblioth. Theol. t. II. p. DCCCLXXII. In quo libello recenſendo duplicem errorem commiſit Lipenius, I. quod Capucinum vocet *Joſephum de Lake*, quum nomen ejus fuerit *Joſephus Maria a Lens*. II. quod Nethenum noſtrum *Martinum* cognominet.

Conſcripſit & *Tractatum de Interpretatione Sacrae Scripturae contra Lud. Wolzogen.* Herbornae MDCLXXV. 4.

Edidit & *Samuelis Rhetorforti Examen Arminianismi* an. MDCLXVIII. 8. ubi in Dedicatione varia in contumeliam Magiſtratuum noſtrorum poſuit.

Duas Orationes funebres Herbornae habuit in obitum *Heidfeldii*, & *Cauſſenii*, ſcholae iſtius Mecaenatum.

NICOLAI DE TRAIECTO (GUILIELMUS) Belgice *Willem Claasze van Utrecht*. Quis & qualis hic fuerit, ignoro; quia vero lingua patria librum emiſit, hic quoque mentionem ejus faciendam exiſtimavi. Edidit autem librum hoc titulo:

Wil-

Willem Claasze van Utrecht Aritmetiſche en Geometriſche practyk der Bosſchieterye, waar in geleert wort alle het geen een Conſtapel, zo te waater als te lande, zonderling van nooden is te weeten, alles zo duydelyk geſtelt, dat de neerſtige onderzoeker volkomen berecht by hem zelven kan bekoomen, en leeren zo veel voor die geene die niet cyferen en kunnen, als voor die geenen, die het kunnen. Utrecht MDCLIX. 4.

NOODT (GERARDUS) Noviomago-Gelrus, natus IV Septemb. MDCXLVII. In literis humanioribus Johannem Schultingium & in Jure Petrum de Greve, qui eo tempore titulo Profeſſorum Noviomagi docebant, praeceptores habuit. Franequerae IX Junii MDCLXIX. J. U. D. titulum adeptus, Noviomagum rediit, ibique advocatum egit. Biennio poſt Profeſſor Juris in urbe patria creatus, ibi ad annum MDCLXXIX. docuit, quo ad Academiam Franequeranam translatus eſt; cumque ibi maximam ſibi famam adquireret, Trajectenſes ſibi vindicare conati ſunt, ſed primo haud proſpero ſucceſſu, cum a Friſiis aureis compedibus vinciretur, & retineretur, uti patet ex epiſtola Graevii ſcripta Heinſio tom. IV. Syll. Burman. Epiſt. DCXLVIII. ubi eum hoc elogio ornat.: *Vir eſt egregius, & qui ſolus inter Juris antiſtites apud nos literarum noſtrarum non eſt rudis; eruditionem ornat morum & ingenii elegantia.* Triennio vero poſt, ſcilicet anno MDCLXXXIII. ſe Trajectinis addixit; quibus tamen tam felicibus eſſe non licuit, ut diu tanto doctore fruerentur. Anno enim MDCLXXXVI. Academiae Leidenſis Curatores illum evocarunt. Relicta itaque urbe noſtra Trajecto, Leidam migravit, ubi ſummum illius Academiae decus & ornamentum

exſtitit ad annum hujus ſeculi vigeſimum quintum, quo xv Auguſti ultima in ſenectute vitae finem fecit, quum LXXVIII. aetatis annum ageret, & ſepultus eſt Noviomagi. Menſe Aprili anni MDCLXXXVI. Hagae Comitum uxorem duxit Saram Mariam van der Marck van de Leur, ex qua unicam tantum filiam ſuperſtitem reliquit, nuptam viro optimo van den Enden, filio celeberrimi cauſarum patroni Amſtelaedamenſis.

Merito Struvius in Biblioth. Jur. cap. VIII. §. I. *Juriſconſulti graviſſimi & elegantiſſimi* elogio illum ornat.

Scripta ejus ſunt:

Probabilium Juris liber unus. Leidae MDLXXIV. 4. *Liber* II & III. Ibid. MDCLXXIX. & *liber quartus* cum duobus aliis tractatibus hoc titulo: *Probabilium Juris libri quatuor, quibus accedunt de Jurisdictione & Imperio libri duo, & ad Legem Aquiliam liber ſingularis*. Leidae MDCXCI. & MDCCIV. 4. In quibus continentur multa rariora in Legibus explicata, emendata & inluſtrata. *Vir enim ille*, teſtante Morhovio t. III. Polyh. lib. VI. ſect. VIII. §. IV. *adcuratiorem cognitionem ad Juris intelligentiam adfert, & Philologiae praeterea ſacris imbutus eſt*. vid. & Lipſienſ. Act. Erudit. Junii MDCXCI.

Oratio de civili prudentia. Franeq. MDCLXXIX. 4.

Oratio de cauſis corruptae Jurisprudentiae. Traject. MDCLXXXIX. 4.

De Foenore & Uſuris libri tres, quibus multa Juris civilis, aliorumque veterum auctorum loca aut illuſtrantur, aut emendantur. Leidae MDCXCVIII. 4. vid. Lipſienſ. Supplem. t. III. ſect. V. p. CCXXXIV. Hos libros laudat Fabricius Bibliogr. Antiq. cap. XVI. §. XV. ubi

eum

eum vocat *Juriſconſultum Franequeranum*, quum eo tempore jam Leidae jus doceret.

Oratio de Jure ſummi imperii, & Lege Regia. Leidae MDCXCIX. 4. quae in linguam Gallicam verſa eſt a celeberrimo Johanne Barbeyraccio & prodiit MDCCVI. MDCCXIV. & cum aliis quibusdam diſſertationibus MDCCXXXI. In Anglicam linguam a Sauvagio verſa edita eſt Londini MDCCVIII. 8.

Julius Paulus, ſive de partus expoſitione & nece apud veteres liber ſingularis. Leidae MDCC & MDCCX. 4. quem recenſent Lipſienſes Act. Erud. Januar. MDCCI. Cumque ampliſſimus Bynkershoek in Opuſculo *de Jure occidendi, vendendi & exponendi liberos apud Romanos*, ejus ſententiam refutaſſet, Noodtius edidit *Amicam reſponſionem ad difficultates Julio Paulo, ſive libro de partus expoſitione & nece nuper motas.* Leidae MDCCXXII. quibus eruditiſſimus Bynkershoek repoſuit *Curas ſecundas de jure occidendi & exponendi liberos apud veteres Romanos.* Leidae MDCCXXIV. vide Lipſienſ. Act. Erudit. Novemb. MDCCXXIII. & Junii MDCCXXIV. & Struvii Biblioth. Jur. cap. VI. §. XX.

Diocletianus & Maximianus, ſive de transactione & pactione criminum liber ſingularis. Leidae MDCCIV. 4. vid. Lipſienſ. Act. Erud. Maji MDCCIV.

Oratio de Religione ab Imperio jure gentium libera. Leidae MDCCVI. 4. Quae quoque verſa in linguam Gallicam a Barbeyraccio anno MDCCVII. MDCCXIV & MDCCXXXI. prodiit, & in Anglicam interprete Joh. Savage, & in linguam patriam an. MDCCVI. & MDCCXXXIV. cum aliis ejusdem argumenti Lockii, Hoadley, & Driebergen, & excerptis quibusdam ex libro Gallico Barbeyraccii *de Doctrina morali patrum Eccleſiae*, & in linguam Ger-

manicam Francof. & Lipſ. MDCCXXIV. 8. vid. Nov. Literar. Lipſ. an MDCCXXVI. pag. DCCCXCVII.

Obſervationum libri duo, in quibus complura Juris civilis, aliorumque veterum ſcriptorum loca aut illuſtrantur aut emendantur. Leidae MDCCVI. 4. vid. Lipſienſ. Act. Erud. Maji MDCCVII.

De Forma doli mali in contrahendis negotiis admiſſi apud veteres. Leidae MDCCIX. 4. vid. Lipſienſ. Act. Erud. Septemb. MDCCIX.

Opera omnia cum ante edita, tum adhuc inedita. Leidae MDCCXIII. 4. Inter adhuc inedita conſpiciuntur *De Uſufructu libri duo, in quibus multa veterum loca aut emendantur, aut illuſtrantur:* & *de Pactis & Transactionibus ad Edictum Praetoris liber ſingularis.* vid. Journal Literaire MDCCXIII. tom. I. part. II.

Commentarius in D. Juſtiniani Digeſta, ſive Pandectas Juris enucleati, ex omni veteri jure collecti, quorum prima pars in quatuor libros diſtributa hoc volumine exponitur. Leidae MDCCXVI. 4. Hunc commentarium laudat Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. VIII.

Acta Erudit. Maj. 1717. pag. 193.–204.

Conjunctim deinde ejus *Opera omnia* prodierunt ab ipſo recognita, aucta, emendata multis in locis, atque in duos tomos diſtributa. Leidae MDCCXXIV. fol. ſecundum volumen continet *Commentarium in* XXVII. *priores Pandectarum libros.* vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Januar. MDCCXXV. Repetita fuit haec editio Leidae MDCCXXXV. fol. II. volum. In qua vita optimi hujus viri ab eruditiſſimo Barbeyraccio, Academiae Groningenſis hodierno decore & ornamento, conſcripta legitur, quam antea, anno ſcilicet MDCCXXXI. Gallica lingua compoſitam & editam, in latinam linguam verſam huic editioni praefixam conſpicimus. Summa vero fide

de Juriſconſultorum ſui temporis principis vitam, fata, & praecipue maxima in jurisprudentiam merita, celeberrimus Barbeyraccius in hiſtorica illa vitae narratione exponit.

Vide Niceron Tom. XVI. pag. 303—320.
Noodt Gerardus, opera omnia, ab ipso recognita, et aucta, et emendata multis in locis. Prohibita Decr. 14 jan. 1737.

OLIVERIUS (ARNOLDUS) Fuit Belga, an vero Trajecto natales debeat, adfirmare nequeo; verum quum Prior Trajecti fuerit, ibique vixerit, ejus memoriam non omittendam duxi. Ejus *Commentarium in Pſalmum* XLIV. & *Canticum Canticorum* MS. exſtare in Bibliotheca noſtra teſtatur Elſius Encomiaſt. Auguſtin. p. LXXXIV. Hodie tamen in Bibliotheca noſtra non exſtare credo, ſaltem in Catalogo edito non inveni.

OOSTERGA (CYPRIANUS REGNERI AB) Natus anno MDCXIV. Licet ipſe ſaepiſſime ſe Swollanum dixerit, origine tamen Friſium, & educationis intuitu Tranſyſalanum fuiſſe profitetur ipſe in Dedicatione tomi ſecundi Cenſurae Belgicae ad Pandectas. Swollae vero primam infantiam egit, ubi pater vigilias in turri agebat, unde per jocum dicere ſolebat ſe ex altiſſimo genere natum eſſe. Leidae, ubi Juris utriusque laurea ornatus erat cum ingenti omnium admiratione, uti ſcribit Cunaeus Epiſt. CCCVII. qua eum Altingio commendat ad Profeſſionem Juris in Academia Groningenſi, privatim collegia Juridica habuit, ibique docuit; donec III Martii MDCXLI. ſucceſſor Bernardo Schotano, quem Leidenſis Academiae Curatores nobis invidebant, in Academia noſtra datus eſt ea lege, ne per quatuor annos ſe alio evocari pateretur, ſub

annuo honorario ſexcentorum florenorum, quod anno ſequenti cum ducentis, & anno MDCXLIX. iterum ducentis auctum eſt. Primo tantum Inſtitutionum Profeſſor, deinde Pandectarum titulo honoratus, & VI Aprilis MDCLXX. titulum primarii Juris Profeſſoris adeptus eſt. Obiit XXV Octobris an. MDCLXXXVII.

Scripta ejus ſunt:

Logica Juridica, quam Trajecti MDCXXXVIII. 12. prodiiſſe tradit Lipenius Biblioth. Jurid. pag. CXXXVIII.

Lipenius ibid. p. XIV & CCCXL. memorat *Diſſertationem pro Cunaeo mutuum eſſe alienationem.* Leidae MDCXL. 8. quam cum diſſertatione *de Injuſtitia quarumdam legum Romanarum contra Maeſtertium* prodiiſſe Leidae an. MDCXLVII. idem Lipenius adfirmat p. CCXCII. ſcripta vero eſt contra Salmaſium, qui Cyprianum nomine *Alexii de Marſilia* deridendum publice propoſuit, vid. Schelhorn. Amoenit. Literar. t. XI. p. CCLXXV.

Epiſtola, qua breviter demonſtratur in mutuo alienationem fieri, & uſucapionem injuſtum eſſe modum acquirendi. Traj. MDCXLV. priore ejus parte reſpondit Salmaſio, poſteriore reſpondit libro Hugonis de Roy *De eo quod juſtum eſt.*

Cenſura Belgica in libros quatuor Inſtitutionum cum diſputationibus Juridicis ad Inſtitutiones. Traj. MDCXLVIII. 8.

Notae ad Everhardi Bronchorſtii methodum Feudorum. Traject. MDCLII. juxta Lipen. Bibl. Jurid. p. CLXXXV. & Struv. Biblioth. Jur. cap. XII. §. VII.

Cenſura Belgica, ſeu novae notae & animadverſiones, quibus omnes & ſingulae leges, quae in libris Pandectarum continentur, moribus praecipue Belgii, moribus generalioribus Chriſtianorum, jure divino, canonico, Philoſophia morali, rebus judicatis, communi doctorum

ſtorum opinione, Hiſtoricis, antiquariis, aliisque auctoribus, confirmantur, illuſtrantur, refutantur. Traj. MDCLXI & MDCLXV. 4. II. vol.

Cenſura Belgica in omnes leges Codicis. Traject. MDCLXVI. 4. quam laudat Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. CXI.

Cenſura Belgica ad Jus Canonicum, cum diſſertatione de uſu Juris Canonici, & de conſuetudine promovendi Juris utriusque Doctores, & duabus orationibus de jure ac poteſtate Principis circa ſacra ab hoſtibus reportata. Ibid. MDCLXIX. 4.

Cenſura ad Novellas conſtitutiones Juſtiniani, & conſuetudines Feudorum. Ibid. MDCLXIX. 4.

De ejus laboribus haec teſtatur Ludewig. in vita Juſtiniani & Theodorae cap. III. p. LXX. *In titulis juris & legibus ſingulis auctor in eo eſt, ut doceat juris patrii a Romano diſceſſus ac differentias, laudatis diligenter ſtatutis locorum, & doctoribus forenſibus Belgii, Galliae & Germaniae. Plura vidiſſet auctor, ſi aliquam medii aevi notitiam adtuliſſet ad hoc inſtitutum.*

Inmiſcuit ſe quoque controverſiis, magnis animis ſuo tempore agitatis, de uſu bonorum eccleſiaſticorum, cumque edito libello ſub ficto nomine *Petri Philonomi* pro Canonicis certaſſet, Voetiusque acriter ſe ei oppoſuiſſet, noſter altero libello famam ſuam contra Voetium vindicare conatus eſt. Verum Magiſtratus ejus venditionem prohibuerunt, quod aegre admodum tulit noſter, & libello ſupplici rogavit decreti iſtius mutationem. Qui libellus ſupplex propria Ooſtergae manu ſcriptus, in Curia noſtra a me inventus, dignus mihi viſus, ut hic inſeratur, quum occaſionem con-

tro-

troverſiarum cum Voetio habitarum indicet, aliaque memorabilia quaedam contineat.

Memorie de Ed. Heeren Burgermeeſters en Vroetſchappe der Stadt Utrecht overgegeve by Cyprianus Regneri ab Ooſterga J. U. D. en Profeſſor, reverentelijk vertoonende:

Dat t'ſedert hy d'eere en faveur heeft gehadt van alhier tot Profeſſor Juris beroepen te zijn, hem (beneffens 't welvaren van d'Academie en betragtinge van ſijn ampt en profeſſie) niet meer ter herten heeft laeten gaen, als 't reſpect van U Ed. en andere ſijne wettige overheden, dat 't ſelve alomme en by yder een mochte werden gecultiveert en geconſerveert.

Dat de Heer Gisbertus Voetius Theologiae Profeſſor verſcheyden boecken door den druck gemeen heeft gemaekt, die binnen deſe Stadt publyck zijn verkocht, daer inne ſijn E. belieft heeft tegen d'een en d'ander te gebruycken ſeer ſcherpe, taxative, injurieuſe en vinnige ſchimpredenen, ſelfs die tendeerden, ten minſten indirectelijck, tot disreſpect van de Heeren Hooghe Overigheden en Magiſtraet, gelijck bekent is, en al te klaer ſoude konnen aengeweſen werden, ſonder dat nochtans die voorſcreve boeken oyt ſijn opgehaelt.

Dat men bevint, dat het voorſz. vinnich ſchryven principaelijck voorkomt uyt een abuſive opinie en blinden yver of haet, die de Heer Gisbertus Voetius en ſijne adherenten verleydt tegens de poſſeſſeurs der Canoniſyen &c. mitsgaders jegens die geene, die deſelve in haer recht ſoeken te defendeeren, en by gevolge mede teghen de wettighe Overheden deſer Stadt en Provincie, met welkers goetvinden en aggreatie die worden gealieneert, en geconfereert, van welken Canoniſyen ook de Heeren Geeligeerden (repreſenteerende het eerſte Lidt van de Staeten dezer provincie) mede poſſeſſeurs en beſitters zijn.

Wiens niet jegenſtaende evenwel de Heere Gisbertus Voetius en ſijn ad-

adherenten ofte diſcipulen, ſoo by gedruckte boekjens, als mondelingh in haer openbaere predikatien, eenighe tyt herwaerts hebben geſuſtineert, dat de goederen tot Canoniſyen en anders behoorende, onrechtveerdigh wierden gepoſſideert, dat de beſitters dieven waeren, en de goederen ten behoeven van de Predikanten en Schoolen behoorden te komen.

In ſoo verre dat D. Abraham van de Velde inſonderheyt, 't voorſz. ſuſtenu niet alleen in ſijn Oogenſalve, maar ook doorgaens in ſijn predicatien, en voornamentlijk noch op den 29 May 1659. leſtleden publyckelijck getracht heeft ſtaende te houden. Daer by voegende, dat het beſitten van ſoodaenige goederen was kerckdieverye, en als een dootſlach, vermits de Predikanten ten platten lande en andere (tot wiens behoeve de voorſz. goederen moeſten komen) haer levens middelen wierden onthouden.

Daer na in ſijn gebedt, tot groot misnoegen, ergerniſſe en onſtelteniſſe van de gemeente (immers van de verſtandigſte uyt deſelve) ſijne wettige Overheden voor dieven uytkrytende, beſtaende daer in: Dat hy Godt danckte, dat onlangs de herten van de Magiſtraet ſodaenig bewoogen waeren geweeſt, dat niemant van haer Ed. Achtb. dat goet hadde willen aennemen, en ſich daer mede beſoetelen, en dat hy Godt bad, alſoo wederom een prebende vacant was, dat de Magiſtraet in dien goede yver wilde continueren, op dat de gemeente geen occaſie mochte hebben, krygen of neemen, om te ſeggen dat haere Overheden dieven zijn.

Dat hy vertoonder zynde Profeſſor alhier in libera Republica, ubi unicuique liberum relinquitur votum, en ſiende, dat niet alleen de wettige Overheden deſer Provincie, neffens derſelver hooge macht en reſpect, maer ook verſcheyden aenſienlycke, eerlycke, gequalificeerde Heeren, met ſoodaenige quaede middelen ſoo onbehoorlyck wierden aengetaſt, en ten toon geſtelt, en dat alle 't ſelve voortquam en gefundeert werde op de uytgegeven boekjens van den gemelten D. Gisbertus Voetius, en principaelyk op ſijn Theologiſch Advys, verſtonde hy vertoonder

thoonder zijn ampt en ſchuldige plicht te zijn in ſeeker boeckje onder de naem van Petrus Philonomus, ſijn contrarie opinie tegen 't ſelve Theologiſch Advys in alle modeſtie voor te ſtellen.

Dat het ſelvighe boekje by de voorſz. Gisbertus Voetius in ſijn boeck genaemt Wolcke der Getuygen, terſtont ſeer is overgehaelt, en hy vertoonder auteur van 't zelve genaemt wort ſeer onwetende, flatterende, en opgemaekte regtsgeleerde, als of hy vertoonder met gelt, of andere middelen, opgemaekt waere om een onregtveerdighe ſaeke te defendeeren, wordende daer en boven getraduceert een coup d'un piſtol geen eerſcheut weerdich &c.

De verthoonder laet ſtaen, dat hy in het boeckje geintituleert Vruchteloose Biddach, onder de naem van Euſebius ICtus ſeer deerlyck is doorgeſtreeke met de titul van een wyngicrich regtsgeleerde, welck boeckje oock by yder een gehouden wordt door de voorſz. Gisbertus Voetius geſmeet of gerevideert te zijn.

Dat hy verthoonder in libera Academia mogende libere neffens d'andere Profeſſoren diſputeeren, en ſijne opinie defendeeren, en by occaſie van ſeecker diſpuyt onder ſijn preſidie gehoude, oock hebbende gedefendeert ſeeckere Corollaria pro Canonicis a defendente propoſita, en daer in niet anders getoont, als dat hy bekleede het officie van een eerlijk man en regtsgeleerde, daetelijk daer over is op 't lyf gevallen en geaggreſſeert, eerſt door Paulo Voet Juris Profeſſore de Relictis contemplatione piae cauſſae, gedateert den 23 Martii 1659. en daer na wederom door den gemelten Heer Gisbertus Voetius met een diſpuyt van gelycke ſtoffe de Temporalibus Eccleſiae in dato den 16 April 1659. & diſp. ſeqq. oock ſelfs met inobedientie van U Ed. Achtb. reſolutie, waer by ſoo onlanchs noch de Profeſſoren verboden was, dat ſy ex induſtria of ſtudio niet jegens d'een of d'andere haere Corollaria of Diſpuyten ſouden invallen of diſputeeren.

Door alle welcke middelen en oorſaecke hy verthoonder geparſt is geworde met een naeder geſchrifte ſijn rechtmaetige opinie ſtaende te hou-

houden, en ſijne hooghgequetſte eer, naem en faem te vindiceeren en voor te ſtaen.

En heeft 't ſelve geſchrifte wel pacis cauſa onder de naem van Petrus Philonomus uytgegeven, maer alvorens 't ſelve aen de Ed. Achtb. Heeren Burgermeeſters bekent gemaeckt, en conſent daer toe verkreegen.

Waer door alſoo de publicatie van U Ed. Achtb. tegens het uytgeven van boecken en geſchriften, en de reden, waer op deſelve is gegront, ten vollen genoech gedaen was.

Hielde hy verthoonder ſich verſeekert, dat ingevalle D. Gisbertus Voetius of yemandt anders ſich in 't ſelve geſchrifte vermeynen mochte geledeert te weſen, als dan maer alleen als een particulier te conſidereeren ſouden zijn, en overſulks aen de juſtitie hebben moeten adreſſeeren, en ten dien opſichte het verkoopen van het boeckjen niet en ſoude worden verboden.

Te meer dewyl het ſelve boekje, dienende tot defenſie van d'oude poſſeſſie van d'Utrechtſe Canonicale goederen, met eenen oock defendeert de wettige regenten van deeſe Provincie. En daer by oock te gelyck tegengaet het onwettig, licentieus, en ſeditieus prediken van ſommigen, die U Ed. Achtb. perſoonen en derſelver loffelyke regeeringe (gelyck vooren) ſoo ſchandelyk laſteren en traduceeren.

En het niet alleen veyliger, maer oock pryſelyker te achten is, voor, als tegens de oude forme en ordre van regeeringe te ſchryven, mitsgaders de wettigheyt, auctoriteyt en Regenten te verdeedigen, als die te beſtryden en te ondermynen.

En dat ſulcken verbot van verkoopen is tot groot nadeel, en verkleeninge van de reputatie van den vertoonder, en ſyne partyen occaſie daer uyt ſullen nemen van verſcheyde hatelijke verwyten daer uyt te trecken, jae hem veel licht voor een pasquil of fameus libel maecker uytſchelden.

En hy verthoonder Profeſſor Juris in deſe Academie, en miſſchien

aen de conſervatie van ſijn eer en reſpect ſoo veel (onder correctie) gelegen is, als aen d'eere en het reſpect van D. Gisbertus Voetius.

Waerom hy verthoonder ook verhoopt, dat U Ed. Achtb. ſijne goede naem met die ſoo nadeelige prejuditien niet en ſullen laeten beſwaert. Maer alſoo alle de arreſten van Overheden jegens ymandt ongehoort gedecerneert en uytgegeven (naer alle rechten en rechtgeleerden gevoelen) altyt in ſich hebben deſe ſtilſwygende clauſule, tot dat partyen gehoort, anders ſal weſen gereſolveert, U Ed. Achtb. oock in deſen geen andere meyninge of intentie ſullen hebben gehadt, als haer decreet op des vertoonders juſtificatie te wederroepen en af te doen.

En verſoeckt derhalven dat &c.

An vero deſiderio ejus ſit ſatisfactum ignoro. Meminit & hujus Ooſtergae Valer. Andr. Biblioth. Belg. in Append. p. DCCCLX.

P.

PIGHIUS (ALBERTUS) Hunc, licet Campis in Tranſiſalania natum, minime hic omittendum exiſtimo, quum per eruditionem viam ſibi fecerit ad ſummum in noſtra civitate honorem, vitamque hac in urbe finiverit, & ſepulturae locum invenerit. Adoleſcens admodum Lovanium miſſus eſt, ibique in Gymnaſio Falconenſi liberalibus artibus & Philoſophiae ſtudiis operam dedit, deinde Theologiae ſe adplicuit, Hadriano Trajectino poſtea Papa, praeceptore uſus, uti teſtatur Lib. IV. Hierarch. Eccleſ. cap. VIII. pag. CXXIV. & Baccalaureus renuntiatus, poſtea Coloniae Doctoris laurea ornatus eſt. Maximam famam libris, quos edidit, conſecutus, ab Hadriano VI. Papa Romano, quem ex Belgio in Hiſpaniam tendentem jam

ante

ante comitatum fuiſſe, narrat Heuſſ. tom. vi. Hiſt. Eccleſ. pag. dlxxxviii. Romam evocatus eſt, uti adnotavi in Analectis de Hadriano vi. pag. cxxxviii. Quo mortuo, Clementi vii. & Paulo iii. P. R. gratiſſimus fuit, & varias legationes in Italiam & Germaniam obivit. In Matheſi, quam optime callebat, & ad quam excolendam varia inſtrumenta ipſe fecit, diſcipulum habuit Paulum iii. P. R. a quo duobus aureorum millibus donatus eſt, & uti refert Heuſſen d. l. Praepoſitura Eccleſiae S. Johannis Trajectenſis; cujus Eccleſiae jam anno mdxxiv. Canonicum creatum fuiſſe tradit Valerius Andreas. In monumento vero ſepulchrali, quod mox exhibebo, dicitur jam antea Metropolitanae Eccleſiae Canonicus & Theſaurarius fuiſſe. Paſtorem quoque patriae eccleſiae Campenſis ad annum mdxxxix. quo ſe munere hoc abdicavit, egiſſe ſcribit Heuſſ. d. l. pag. dlxxxii. Praepoſitus renuntiatus anno mdxxxvi. dicitur a Valerio Andrea. Heuſſen vero hunc honorem ei oblatum anno mdxxxv. adfirmat; qui quoque tom. ii. pag. lxviii. illum inter Decanos dictae Eccleſiae S. Johannis enumerat; ſed male, uti exiſtimo, neque invenitur in catalogo Decanorum iſtius Eccleſiae, quem nobis exhibet eruditiſſimus van de Water tom. i. Utr. Placcaetb. pag. ccliv. Honorum itaque & opum plenus, uti teſtatur Valerius Andreas, in Belgium reverſus eſt, & hac in urbe ſedes habuit ad mortem usque. Minime vero convenit inter ſcriptores de tempore, quo rebus humanis exemptus eſt. Brochius, quem adducit van de Water tom. i. Utr. Placcaetb. pag. ccliii. & Sweertius in Athen. Belg. xxix Decembris an. mdxliii. defunctum teſtantur. Miraeus iv Kal. Januarii mdlxii. obiiſſe ſcribit.

Merito Baelius in Lexico tom. III. pag. DCCXIX. reprehendit Guicciardinum, qui in Deſcriptione Belgii pag. mihi CLXI. adfirmaverat Paulum Jovium eumque ſecutum Laurentium Surium, Pighium anno MDXXX. Bononiae in ipſa Caroli quinti Caeſaris inauguratione mortuum perhibere, cum neque Jovius neque Surius mortem ejus ad hunc annum referant, & Jovius Elog. cap. CV. pag. CCXLVI. hunc caſum ita narret: *Quum id volumen* (de Hierarchia) *commentaretur, eum e ſummo vitae periculo certiſſimum Dei maximi numen eripuit. Bononiae enim in celeberrima pompa, quum transeunte coronato Caeſare Carolo quinto, pars lignei pontis juxta Caeſarem turbae pondere corruiſſet, Albertus tignorum atque hominum ruina oppreſſus eſt, ut probitatis ac inſtituti operis merito ſervaretur.* & addit Jovius, *Obiit nondum ſenex in patrio ſolo.*

Hanc tamen fabulam lubentiſſime ab Hoſpiniano, aliisque, qui purioribus ſacris favebant, divulgatam, ut Pighium opponerent Zwinglio, quem juſta Dei vindicta ſubito exſtinctum calumniabantur Papicolae, docet ibidem Baelius. Cumque Johannes Gerhardus Theologiae Profeſſor Jenenſis tom. V. Locorum communium ſcripſiſſet, *Pighium fuiſſe in tumultu oppreſſum una cum pecunia, quam a Papa & Cardinalibus propter operam ſuam, in cauſa Pontificia defendenda collatam, acceperat*, ei ſe oppoſuit Gisbertus Lappius a Waveren, qui ſuas animadverſiones miſit Nihuſio, celebri illi apoſtatae, a quo inſertae ſunt libro, cui titulus eſt, *Hypodigma, quo diluuntur nonnulla contra Catholicos diſputata in Cornelii Martini tractatu de Analyſi Logica*, inpreſſo anno MDCXLVIII. ubi oſtendit ex Epiſtola Johannis Vorſtii Decani majoris Eccleſiae,

ſiae, cui Pighius ſuprema ſua mandaverat, ſcripta XXIX Decembris an. MDLXII. ad Gerardum Hamontium Priorem Carthuſiae Colonienſis, Pighium XXVI Decembris MDLXII. Trajecti in aedibus clauſtralibus, quas in immunitate collegiatae eccleſiae S. Johannis magnificas poſſidebat, obiiſſe. Recte itaque Valerius Andreas VII Kal. Januarii MDXLIII. id eſt XXVI Decembris MDXLII. & Heuſſen tom. II. Hiſt. Eccleſ. pag. LXVIII. ad plures abiiſſe tradunt, licet idem Heuſſen tom. VI. pag. DLXXXII. diem mortis ad XXIX Decemb. d. a. referat, ubi Heuſſen exhibet reſponſum Gerardi Hamontii ad Johannem Vorſtium. Conditus vero dicitur in medio templi S. Johannis, & adſculpta ejus inſignia cum ſigno ſacri calicis, & ſuper his maeandri ſive gyri & flexus hunc verſiculum exhibentes:

PIGHIUS ALBERTUS PRAEPOSITUS HIC REQUIESCIT.

Additque Valerius, *forte aliquando ibi lectum fuit hoc Epitaphium, Iconoclaſtarum rabie in Belgicis ſeceſſionibus deletum:*

Hic dormit ille PIGHIUS mire ſagax,
Mireque felix nactus ingenium, ſtatim
Multis & amplis exercens ſe dotibus.
Lovanii primum, deinde Pariſiis
Variis politus artibus, ac his optimis.
Romae HADRIANI factus aſſiduus Papae
Comes eſt, amatus, nemo quantum amabitur,
In urbe Roma Pontifici ter maximo
PAULO ſupremo tunc Dei Vicario;
Merito efferendus pluribus praeconiis,
Quod peſtilentes vindicavit haereſes,
Quibus Lutherus ſe, ſuoſque perdidit

Factos

Factos rebelles Principes Germaniae:
Quod & paratas negligens inſidias,
Catholicorum ſancta dogmata,
Eccleſiaeque aſſeruit perſtrenue.
Falſas Buceri dum parat calumnias
Paucis, ſed aptis, graviter convellere,
Vix abſolutis operis primordiis,
Aqua gravatus, obrutusque intercute,
Scribendo ſummum finiit vitae diem.

Heuſſen vero Epitaphium, quod Jacobus Latomus Pighio poſuit, hodie adhuc juxta Chorum dictae Eccleſiae ſupereſſe teſtatur, quod exhibet Miraeus Elog. Belg. cl. III. pag. LVII. & Sweertius in Athen. Belg. & exſtat tom. III. Delic. Poëtar. Belgic. pag. XCIX. quod ita ſe habet:

Ne turba tumulum, Viator, iſtum
Sed adſta reverenter, & ſaluta
Sacratum cinerem viri ſacrati.
Ille eſt Pighius hoc loco ſepultus,
Aures qui Batavas ita expolivit,
Ut dicas ſapere Atticos lepores.
Quare tam bene dormiat, precare,
Quam docte nitideque & eleganter
Defendit Latiae decus tiarae,
Et morem ſtatuit pium ſacrorum,
Utro ut nomine debeant Latini
Plus illi addubitent: utroque certe
Ingens promeritum viri fatentur.

Falli tamen Heuſſenum puto, quum perluſtratis omnibus dictae Eccleſiae monumentis, hoc Latomi Epitaphium

phium invenire non potuerim. Verum aliud exſtat prope locum, ubi Canonici, quando publica ſacra celebrantur, ſedem habent, ubi conſpicitur tabula lignea, ſexaginta annos (ſcilicet anno MDCXIII.) poſt mortem Pighii, in memoriam noſtri Pighii, ut & Johannis Bredaji L. Art. Mag. adpenſa a Johanne a Reneſſe iſtius Eccleſiae Decano, & quinque Eccleſiarum in urbe Trajecto ſeniore Canonico, de quo videri poteſt Matthaeus Fundat. Eccleſ. pag. CXXV. Literae, injuria temporis fere deletae, difficillime legi poſſunt. Quae in honorem Pighii poſitae ſunt, ita ſe habere exiſtimo:

D. O. S.

R. P. D. ALBERTO PIGHIO. S. Theologiae & Artium Doctori, apud Belgas Campis nato. Cum in Matheſi & in primariis linguis verſatus, eruditioni rarae ac eloquentiae prudentiam & rerum publicarum uſum adjunxiſſet, ab Adriano VI *P. M. in hac urbe Trajecto nato, in Italiam evocatus, ſibi & ſucceſſoribus Papis Romanis acceptus, operam illis ſuam frequentibus legationibus navavit. Nam in Republica Chriſtiana negotiis expediendis dexter & admirabilis fuit. Scripſerat adoleſcens Lovanii ad Leonem* X *Papam de Ratione Paſchalis celebrationis, deque reſtitutione Calendarii, Aequinoctiorum & Solſtitiorum inventione, aliaque in Matheſi edidit opera non contemnenda. Aſtrologiam defendit, ſed prognoſticatores reprehendit. Jam Theologiae Doctor renuntiatus, de Hierarchia Eccleſiaſtica, item de Controverſiis in Comitiis Ratisbonenſibus, & diſſidiis componendis librum conſcripſit. Hinc contigit, ut Domino Carolo quinto Caeſari Auguſto virtutum ſuarum meritis tandem etiam innoteſcens, &*

ampliſſimae hujus Eccleſiae S. Johannis Praepoſitura & Archidiaconatu cohoneſtatus ſit, cum antea creatus quoque eſſet Metrapolitanae Eccleſiae Canonicus & Theſaurarius, haud dubie ad majores, imo ſummos honores, niſi immatura mors ei vitam anno 1543. *abripuiſſet, ſuiſſet evectus. Effigies ejus a ſummo pictore Schorelio artificioſisſime ad vivum delineata, hoc loco, quo ipſe ſepultus, ſervatur.*

Hunc Pighium *propter disputationes & ſcripta contra Lutherum, Melanchtonem, Bucerum, Calvinum & alios, ſectarum perditionis auctores, nomine & merito celeberrimum* vocat Sauſſay Contin. Bellarm. de Script. Eccleſ. p. XIII. Quaedam tamen in ejus ſcriptis, in quibus a doctrina in eccleſia papali recepta divortium feciſſe videbatur, diſplicuiſſe, & ex lectione librorum ſummi Calvini in errorem veniſſe, notant Poſſevinus & Theoph. Raynaud. de Mal. & bon. libr. n. CCCCLIII.

Scripta ejus ſunt:

Aſtrologiae defenſio adverſus Prognoſticorum vulgus qui annuas praedictiones edunt, & ſe Aſtrologos mentiuntur. Paris. MDXVIII. 8.

De Ratione Paſchalis celebrationis, deque reſtitutione Kalendarii Eccleſiaſtici. MDCXX.

De Aequinoctiorum Solſtitiorumque inventione.

Apologia adverſus novam Marci Beneventani Monachi Caeleſtini Aſtrologiam, poſitionem Alphonſinam, ac recentiorum omnium de motu octavi orbis depravantem.

Apologiae defenſio.

Apologia indicti a Paulo III. *Concilii adverſus Lutheranas confoederationes pleraſque, quibus eidem detrahant.* Coloniae MDXXXVII. fol.

Aſſertio Hierarchiae Eccleſiaſticae, quam Coloniae anno

anno MDLXXIV. prodiiſſe ſtatuit Valerius Andreas. Editio vero, quam habeo, praefert annum MDXXXVIII. fol. In hoc libro ipſum Eccleſiae auctoritatem ſuperiorem facere auctoritate S. Scripturae docet Wolfius tom. II. Lection. Memorab. pag. CXV. quod & apertiſſime oſtendunt haec verba in Dedicatione facta Paulo III. P. R. *Putavimus ante omnia neceſſarium, ut Eccleſiaſticae traditionis nihilo minorem, ne dicam multo etiam ampliorem, efficacioremque, quam Scripturarum auctoritatem, exiſtere, clarisſimis rationibus demonſtraremus, & niſi hac admiſſa, aut etiam Scripturis praemiſſa, ne illarum quidem auctoritatem ſibi ſatis conſtare, ut quae univerſa inde dependeat.* & vehementiſſime ubique invehitur in emendatorum ſacrorum auctores.

Ratio componendorum disſidiorum, & ſarciendae in religione concordiae. Coloniae MDXLII. 4. quem librum inprimendum miſerat Gerardo Priori Carthuſiae Colonienſis, uti patet ex Pighii Epiſtola, quam exhibet Gabbema Cent. I. Epiſt. LXXI.

De Miſſae officio contra Lutheranos.

De libero hominis arbitrio & divina gratia contra Calvinum. qui Pighium pene terruiſſe dicitur a Maſſono Elog. tom. II. pag. CCCCXXI. & hunc librum contra Calvinum ſcripſiſſe ea ſpe, ut ad Cardinalatus honorem promoveretur, ſcribit Beza in vita Calvini, notante Baelio in Lexico.

De Controverſiis praecipuis in Comitiis Ratisbonenſibus tractatis, & quibus nunc potisſimum exagitatur Chriſti fides & religio. Subjicitur *Quaeſtio de divortiatorum novis conjugiis, & uxorum pluralitate ſub lege Euangelica.* Item *Diatriba de actis* VI & VII. *Synodi.* Colon. MDXLII. fol.

Apologia contra Buceri calumnias, quae poſt ejus mortem prodiit Moguntiae MDXLIII. 4.

Operis *de immenſa Dei miſericordia* meminit Alardus Amſtelodamenſis apud Gabbem. Cent. I. Epiſt. XLVIII. ubi inſigni elogio Pighium ornat.

Librum *adverſus Graecorum errores* ſcripſiſſe, & Romae in Bibliotheca Sfortiana exſtare, ex Poſſevino notat Valerius Andreas.

Alberti Campenſis nomine librum editum de *Muſcovia* Venet. MDXLIII. Pighium noſtrum auctorem non habere exiſtimat Valerius Andreas. Sweertius dubitat, an labor hic noſtro Pighio, an Alberto Pio ſit adſcribendus.

Varias Pighii Epiſtolas ineditas ſe habere teſtatur Heuſſen.

Memoriam hujus viri nobis reliquerunt Poſſevinus Apparat. Sac. tom. I. pag. XXVI: Jovius in Elog. d. l. Miraeus Elog. Belgic. cl. III. pag. XXXIX. & de Scriptor. ſeculi XVI. cap. LXXVI. Valer. Andr. Bibl. Belg. pag. XXXVIII. Sweert. Athen. Belgic. Blount Cenſur. celebr. auctor. p. DXCII. Freher. Theatr. Viror. illuſtr. p. IV. pag. MCCCCXLVII. Baelius in Lexico & Heuſſen dd. ll.

PITISCUS (SAMUEL) Zutphaniae natus XXX Martii MDCXXXVII. patre Samuele, quondam verbi divini miniſtro Palatino, ob religionem profugo. In ſchola Grollana & Zutphanienſi poſitis utriusque linguae fundamentis, Daventriam conceſſit, ubi celeberrimi Johannis Frederici Gronovii auditor fuit. Poſt biennium ibi transactum Groningam petiit, ibique per tres annos Theologiae operam dedit. Studiis Academicis abſolutis & inter SS. miniſterii candidatos re-

receptus, ad Zutphanienſis ſcholae regimen admotus eſt, inde anno MDCLXXXV. Gymnaſio noſtro Hieronymiano praeficitur. Quo munere ad annum MDCCXVII. functus, rude donatus eſt, & nonagenarius naturae debitum perſolvit 1 Februarii an. MDCCXXVII. Errat enim Chriſtianus Grundmannus, qui in Epiſtola, quae exſtat in Obſervat. Miſcell. Germ. MDCCXVII. tom. III. p. LXIV. nuntiat plures mortuos eruditos anno MDCCXIV. interque eos Pitiſcum quem annorum LXXV. ſenem obiiſſe ſcribit. Duas habuit uxores, primam duxit, quum Zutphaniae ſcholas moderaretur, quae ipſi multas moleſtias peperiſſe dicitur; vino enim nimis dedita res domeſticas negligebat, imo libros ex ejus Bibliotheca ſurripuiſſe, ut ebrietati indulgeret, fertur. Alteram Trajecti matrimonio ſibi junxit, quae rem domeſticam bene curavit. Ipſe vero vitam ab omni commercio hominum remotam, & ut optime Jo. Freder. Reitzius, ſcholarum noſtrarum moderator, in Oratione de Orig. Gymn. Hieronym. p. XXVIII. *cochleae vitam* egit; qui quoque recte notat eum inter principes Rectorum eſſe ponendum, *ſi par diligentiae in ſcriptis judicium adtuliſſet.* Inmortuus libris, omne vitae tempus iis conſcribendis inpendit, illisque rem familiarem mirum in modum auxit; ipſe vero cibi vinique parciſſimus frugaliſſime vixit, & pauperibus decem millia florenorum legavit. A Crenio Animadv. Philol. & Hiſtor. part. III. p. LVII. *vir variis ingenii monumentis clarus*, & part. IV. pag. XXIV. *literatisſimus amicus noſter.* & part. XVIII. pag. V. *omni reconditioris genere vir perpolitus*, ubi binas ejus Epiſtolas exhibet & a diligentiſſimo Arentzenio Prorectore quondam noſtro meritiſſimo, jam vero Rectore Scholae Goudanae, in

 notis

notis ad Caton. p LXXXI. *Paedagogorum facile princeps* dicitur. Edidit

Fundamenta religionis Chriſtianae in uſum Gymnaſii Zutphanienſis. 8.

Curtium cum commentario perpetuo, variiſque iconiſmis aeri affabre inciſis. Traject. MDCLXXXV. & MDCXCIII. in qua editione de mendis Typographicis & integris verſibus omiſſis, queri Chriſtianum Junckerum teſtatur Fabric. t. I. Biblioth. Latin. lib. II. cap. XVII. repetita eſt editio Hagae MDCCVIII. 8. priorem editionem recenſent Lipſienſes in Act. Erudit. Septemb. MDCLXXXV. addita eſt ultimae editioni ejus effigies. In ultima editione Curtii, quam eruditiſſimus Snakenburgius Leidae anno MDCCXXIV. adornavit, Pitiſci notae non conſpiciuntur, & recte ibi omiſſae ſunt, *quoniam* (inquit doctiſſimus editor in Praefatione) *ad ea, quae nos in Curtio illuſtrando quaerebamus, parum faciebant; ſiquidem omnem illam doctrinam, quae de vera lectione, & ipſo ſcriptoris contextu nimium laborat, eumque ex variarum lectionum comparatione expurgandum, & ſuo loco reſtituendum judicat, non modo negligit & contemnit, ſed faſtidit plane, ſeque ab ea ratione abhorrere in Praefatione ſua teſtatur Pitiſcus, id unum agere contentus, ut vernaculis plerumque interpretationibus, & adcitis aliunde formulis juventuti ſcholaſticae conſulat.*

Suetonium cum commentario & pluribus iconibus. Traject. MDCXC. II vol. 8. & Leovard. MDCCXV. II vol. 4. Ubi ſimili modo ac Curtio, omiſſa de emendatione textus ſollicitudine, abjectaque variantium lectionum cura, ſelectas ſolum Philologicas, quae veteres ritus & ſermo-

ſermonis cultum ſpectant, textui ſubſtravit notas. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Septemb. MDCXC. Quae commentaria ita placuiſſe, ut mille & quingenta exemplaria prioris editionis intra decennium ſint diſtracta, ipſe teſtatur in praefatione ante ultimam editionem Curtii.

S Aurelium Victorem cum commentariis integris Schotti, Machanei, Gruteri, Fabri, Vineti, & Merici Caſauboni, & iconibus virorum illuſtrium ex veteri numismatum penu depromptis & aere deſcriptis. Traj. MDCXCVI. 8.

Lexicon Latino-Belgicum an. MDCCIV. 4. cujus optima editio eſt Dordr. MDCCXXV. 4. c'est une traduction de celui du P. Jachard.

Lexicon Antiquitatum Romanarum, in quo ritus & antiquitates tum Graecis & Romanis communes, tum Romanis particulares, ſacrae & profanae, publicae & privatae, civiles & militares, exponuntur. MDCCXIII. II vol. ſol. de quo, nondum eo tempore edito, bene ominatur Fabric. Biblioth. antiq. c. II. §. VI. Huic labori decem annos inpendit, & edidit quum jam LXXV. annos eſſet natus, vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Januar. MDCCXIV. Ipſe vero in praefatione, quam ultimae editioni Curtii praefixit, dicit hoc Lexicon ex antiquitatum Romanarum Graevii & Graecarum Gronovii Theſauris, & pleriſque aliis ſcriptoribus, qui antiquitates Graecas & Romanas a renatis literis ſuis commentariis inluſtrarunt, *per ſeptennium congesſiſſe aerumnalibi labore.* Editio 2da 1724. Amstelodami.

Ejus cura prodiit *C. J. Solini Polyhiſtor cum Salmaſii exercitationibus Plinianis.* Traject. MDCLXXXIX. II. vol. fol.

Franciſci Pomey Pantheon Mythicum.

Roſini antiquitatum Romanarum corpus abſolutiſſimum

mum cum notis Thomae Dempſteri, cui accedunt Pauli Manutii libri duo de Legibus & de Senatu, cum Andreae Schotti Electis de priſcis Rom. gentibus ac familiis: de Tribubus Roman. XXXV. *ruſticis atque urbanis: de Ludis Feſtisque Roman. ex Kalendario vetere.* Traj. MDCCI. 4.

In animo habuit edere *Lexicon Catullo-Tibullo-Propertianum*, ad quod, uti in Dedicatione ante Curtium teſtatur, concinnandum, ultra trecentos auctores inprobo labore excuſſerat. Ut edat rogat Crenius part. III. Animadv. Phil. & Hiſtor. p. VII. & Almelov. Biblioth. Prom. & Lat. p. XLIV.

Vid. Nova literaria Lipſ. an. MDCCXXVII. p. DLXXXVI.

POLL (LUCAS VAN DE) ex antiquiſſima & honeſtiſſima apud Trajectinos gente quae olim nobis varios Senatores & Conſules dedit, & hodie adhuc Amſtelodami ſummo in honore viget & floret, uti notat venerandus Pater Syll. Epiſtol. t. I. Epiſt. CXIX. natus VI Februar. MDCXXX. In Academia patria II Decemb. MDCLXVII. Lector Juris, biennio poſt, XXIV. ſcilicet Januarii MDCLXX. extra ordinem Profeſſor, & tandem II Maji MDCLXXIV. inter ordinarios receptus, Jus civile docuit ad ultimam uſque ſenectutem, XXIV videlicet Novembris MDCCXIII. quo rebus humanis valedixit. Fuit vero vir ſatis doctus, probus, hilaris, & de quo multi etiam nunc ſales & facetiae narrantur. Menſe Martio anni MDCLXXI. uxorem duxit Gertrudim ter Borch, Bura oriundam; ex qua paullo ante maritum defuncta nullos liberos ſuperſtites reliquit. Scripſit

De Exhaeredatione & praeteritione Romana atque hodierna. Amſtel. MDCC. 4. quem librum recenſent Lipſienſes

ſienſes in Act. Erudit. Martii MDCCII. & *eruditum* vocat Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. LXXIII. qui & ſecundam editionem an. MDCCXII. 4. memorat.

Orationem publice habuiſſe *de Auſpicatiſſima expeditione Wilhelmi tertii in Hyberniam*, *ejusque felici adventu in Bataviam*, carmine Heroico, didici ex Actis Magiſtratuum noſtrorum XXIII Februarii MDCXCI.

Varia quoque cecinit carmina, quae diverſis temporibus ſparſim prodierunt.

PONTANUS (HENRICUS) Weſtfalus, Steinfurtum patriam ſuam vocat in Orat. Funebr. in Obit. Petri van Maſtricht pag. XII. Ex eccleſia Lingenſi, cujus paſtor, & in Gymnaſio Profeſſor erat, ad noſtram evocato, ſimul Profeſſoris in Theologia munus eſt demandatum XVI menſis Octobris MDCXCIX. auctoritate Regis Wilhelmi tertii. A magiſtratibus enim noſtris vacua Theologiae profeſſio delata erat celeberrimo Campegio Vitringae, qui non tantum ſe nobis addixerat, ſed & jam ſarcinas conlegerat, & ſe itineri dederat. Verum hanc felicitatem Academiae noſtrae invidit malignitas quorumdam Theologorum, qui virum hunc optimum, & Theologorum ſui temporis principem, non alia de cauſa, niſi quod in multis juxta principia a celeberrimo Coccejo tradita Sacram Scripturam interpretaretur, ab Academia noſtra repellendum Regi perſuaſerunt. Rex itaque vocationem illam legitimam reſcindi juſſit, & hunc Pontanum nobis obtruſit, nulla alia ratione commendabilem, niſi quod uxorem duxerat Mariam Rooſeboomiam, ſororem Huberti Rooſeboomii, ſummi Conſilii Hollandiae & Zelandiae Praeſidis, qui magna apud Regem gratia pollebat. Pontanus autem impar tanto oneri, primo ro-

gavit, ut praeter dies Dominicos liceret miniſterio candidati uti, quod xx Martii MDCCII. ei conceſſum, deinde ut Praeconis munere ſe abdicaret petiit, quod aegre ei permiſſum, & xxv Februarii MDCCIV. Profeſſoris Hiſtoriae ſacrae titulus ei datus eſt. Quo munere functus eſt ad xv Septembris MDCCXIV. quo, poſtquam ingentes cruciatus ex nephriticis doloribus perpeſſus erat, omnium mortalium viam ingreſſus eſt. Male anno MDCCXX. obiiſſe tradit Jo. Fabricius tom. VI. Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. XCVIII.

Praeter tres Orationes, & duas vel tres Diſputationes Academicas, nihil ab eo conſcriptum inveni.

Oratio inauguralis de Columna nubis & ignis. Traj. MDCC. In 4. XIII. Kal. Mart. A. CIƆ IƆ CC. cum Theologiae Profeſſionem aggrederetur PP. 36

Oratio de Sale ſacrificiorum, cum magiſtratu Academico abiret, ubi de mellis & ſalis uſu in ſacrificiis egiſſe notat Fabric. in Bibliogr. Antiq. cap. XI. §. II.

Laudatio funebris Petri van Maſtricht. Traj. MDCCVI.

POTTIUS (ANTONIUS) Hujus mentionem apud neminem inveni praeter Arn. Heymricium, quem edidit Clar. Dumbar tom. I. Analect. p. CCCXXXIII. qui haec de eo teſtatur: *Patricia familia Trajecti ortus, decretalium ſtudio haud mediocriter praeſtans, foro pergratus, ingenio valens, moribus excellens, animo liberalis, ſermone verax, ac utraque lingua haud illepidus, modeſtusque.* Ex quo etiam conſtat vixiſſe tempore Davidis Burgundi Epiſcopi Trajectini, & gratia in aula ejus valuiſſe. Eruditiſſimus Drakenborchius mihi indicavit in ſtemmate familiae, ex qua genus duxit, dici filium Jacobi & Catharinae van Vlaenderen, & exſtitiſſe Canonicum Eccleſiae majoris Trajectinae, at-

atque Epiſcopi Officialem: Dignitatem vero Canonici adeptus eſt die XIV Julii anno MCCCCLXXIII. eique mortuo in eadem dignitate ſucceſſit Johannes Wtterwyck die V Novemb. an. MD.

R.

RADELANTIUS (GUILIELMUS) Natales ſuos debet Emmeneſſae pago ditionis Trajectenſis. Lovanii & Duaci ſtudiis operam dedit, quibus abſolutis, praefectus fuit ſtudiis & moribus Domini Rheedii & Moerendalii Decani, uti notat Matthaeus de Jure Gladii p. CCCXXIX. qui & addit olim inſignia ejus viſa in choro Eccleſiae de Emmeneſſe, verſu hoc ſubſcripto:

Virtus repulſae neſcia ſordidae.

Anno MDLXXX. ſupremi tribunalis Trajectini Adſeſſor creatus eſt, & denique anno MDXCVIII. ſummi hujus Senatus princeps. Fato functus eſt vir optimus anno MDCXII. natus annos LXXIII. & conditus in templo S. Petri, ubi hoc monumentum etiam nunc exſtat:

MEMORIAE SACRUM.
In obitum ampliſſimi & clariſſimi viri
D. GUILIELMI A. RADELANT.
PRAESIDIS dum vixit juſtiſſ. Senatus
apud ULTRAIECTUM vere digniſſimi.

Cui Phoebus pater & novem ſorores
Nuper tempora frondeis corollis
Cingebant, dederantque mente ab alta
Cedro digna loqui, & notare chartis;

Quique conſilii tenens habenas,
Ex aequo omnibus Utricenſi in urbe
Jura reddidit arbiter ſupremus;
Vindex juſtitiae & bonus ſacerdos,
Radelantius hoc jacet ſepulcro;
Immo non jacet, exoluta cujus
Mens dudum aethereas volat per auras,
Aevum vivere certa ſempiternum.

VIXIT AN LXXIII. M. VIII. D. XXX.

Conſilio interfuit XIII. ſed amplioribus dignum honoribus Chriſtus in coelum evexit

III. KAL. SEPT. CIↃ IↃCXII.

ALEIDIS AB HINDERST UXOR, ET JOH. A. RADELANT Fil. conjugi chariſſ. patrique pientiſſ. ad defuncti memoriam luctusque ſolatium moeſt. poſ.

ANIMAE LECTOR BENE APPRECARE.

Vidua ejus Aleidis de Hinderſtein mortua eſt Trajecti anno MDCXXII.

Fuit vero vir ingenio, doctrina & uſu praecellens, uti de eo teſtatur Rodenburch in Dedicat. de Jure Conjugum. Dum in vivis eſſet nihil ſcripſit, licet multa praeſtare potuiſſet, ſi animum ad ſcribendum adplicaſſet; verum poſt ejus mortem prodierunt *Deciſiones Curiae Provincialis Trajectinae* Traj. MDCXXXVII. 4. quas Amſtelaedami anno MDCXLVIII. 8. prodiiſſe adfirmat Lipenius Biblioth. Jurid. p. DLI. Quae tamen non reſpondent famae tanti viri, uti monet Rodenburchius d. l. cujus haec ſunt verba: *Illud duntaxat monuiſſe exteros viri juxta ac Curiae noſtrae intereſſe videtur,*

detur, ne ex Deciſionibus quibusdam, quas nomine Radelantii neſcio cujus inconſulta cura in publicum protruſit, tanti viri dotes aeſtimentur; quippe ex illis ipſis notatis licet animadvertere, raptim ea ab auctore, ſi quidem genuina ſunt, ut a litis cujusque deciſione recens veniſſet, in adverſaria conjecta, aut potius effuſa fuiſſe, quo materiam in numerato haberet, unde poſſet aliquando condecenti forma aliquid operis exſtruere. quod judicium veriſſimum agnoſcit eruditiſſimus van de Water Utrech. Placcaetb. II. pag. MLIII.

Carmen Radelantii ante Lamberti van der Burchii Hiſtoriam Sabaudiae conſpicitur.

Meminerunt hujus Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. CCCXXXIII. Graev. Orat. in L. Acad. Traj. Natal. & Matth. Rer. Amersf. Script. p. XXXVIII.

RATALLERUS (GEORGIUS) Hic licet Leovardiae in Friſia natus ſit, a plerisque tamen inter Trajectinos enumeratur, tum quia a prima pueritia Trajectum ductus eſt, tum ob ſummum honorem, quem ibi geſſit. Natus dicitur patre Johanne Quaeſtore Caeſaris, & in Friſiae Curia Praeſide, e vetuſta & nobili Ratallerorum familia, circa annum MDXVIII. Patria ſede relicta, puer Trajectum venit, ibique ſub celeberrimo Macropedio, qui ſumma cum fama ſcholas noſtras eo tempore moderabatur, uti ſupra in Macropedio obſervavimus, prima literarum fundamenta poſuit. Deinde Lovanium adiit, & poſtea varias Italiae Galliaeque Academias inviſit. Exſtat ejus epiſtola ſcripta Biturigibus Ludovico a Flandria Domino a Praet, qua, quia pater ejus iniquitate fortunae eo redactus erat, ut in omnium bonorum diſcrimen venerit, rogat, ut ſibi aliqua penſio ad tres tantum annos ex Regiae Ma-

jeſtatis fiſco decernatur, qua ſumptus ſtudiorum in Gallia & in Italia ſuſtinere poſſet. Celebriores in Gallia & Italia Profeſſores quum audiviſſet, exque eorum praeceptis Juris notitiam ſibi comparaſſet, in Belgium redux, primum in ſupremo Arteſiae conſilio, mox a Carolo quinto Imperatore in magno Belgicae conſiſtorio apud Mechlinienſes Senator, ac ſupplicum libellorum Magiſter creatus eſt. Anno MDLXV. legationem Danicam obivit, quam legationem ejusque ſucceſſum narrat in Epiſtola ſcripta Adriano Mylio, quae exſtat in Illuſt. Viror. Epiſt. ſelect. cent. I. n. LXXIII. Tandem ſupremi tribunalis Trajectini Praeſes XI Aug. MDLXIX. a Margareta Parmenſi factus, invitus priorem ſtationem deſeruiſſe videtur. In Epiſtola ſcripta eidem Mylio quae exſtat in Ill. vir. Epiſt. ſelect. cent. II. n. VI. nuntiat Mechlinia relicta Trajectum conceſſiſſe, *ex tranquillo nimirum tutoque portu in alterum pelagus abreptus, utinam meo bono, vel potius reipublicae, ſed nullis excuſationibus locus patuit.* Summa vero cum integritatis & eruditionis fama ſupremae noſtrae dioeceſis Curiae praefuit, qui, uti recte teſtatur Rodenburchius in Dedicat. de Jure Conjugi. *Ob ſummam eruditionem apud ſummos viros ornamentum ſeculi ſui audivit.* Neque tantum juris peritiſſimus exſtitit, ſed & humaniores literas & praecipue Graecas excoluit, & Poëtices laude floruit, unde eum recte *omni literarum genere expolitisſimum* vocat Suffrid. Petr. in Append. ad Bekam p. CXC. Amiciſſimus fuit Guilielmo Cantero, qui egregium ipſi carmen luſit, quod exſtat tom. I. Deliciar. Poëtar. Belg. p. DCCCXXXVII. Janus quoque Douſa laudes ejus cecinit tom. II. Delic. Poët. Belg. p. CVI. vid. & lib. II. Epod. I, IV. & Cupidin. lib. I. Eleg.

Eleg. XI. Uxorem habuit Margaretam van Loon, ex qua ſuſcepit filium Philippum, qui ſummi Tribunalis Trajectini Graphiarius fuit, & filiam Corneliam, nuptam Philippo Doubletio Quaeſtori foederati Belgii, cujus poſteri nomen Ratalleri geſſerunt. vid. Gouthoev. Chron. p. CIX. & Hooft lib. XXV. Hiſt. Belg. p. MCXII.

Obiit vero ſexagenarius VI Octobr. MDLXXXI. & non MDLXXX. ut in priori editione Valerii Andreae legitur, & apud Sweert. in Athen. Belg. & quidem morte ſubitanea in ipſa Curia inopinato fato extinctus eſt, vid. Barth. ad Stat. II. Theb. CXIII. *a nobis*, ſcribit Lipſius Epiſt. Select. Cent. I. Epiſt. XXVIII. *abiit ad beata illa loca, idque praecipiti quodam fato; nam breve valens ad Curiam cum veniſſet, ſubito deliquio animi concidit, nec ſurrexit. Ita ereptus patriae optimus civis, nobis amicus.* cujus & Epiſtola ad Ratallerum exſtat ibid. XXV. In ejus mortem ita luſit Adrianus van der Burchius Poëmat. p. CIX.

Te merito proles flent, & dolet uxor ademptum,
Ratallere, tuae gloria magna domus.
Te luget quidquid Phoebo Muſisque dicatum eſt,
Et quidquid leges ſacraque jura colit.
Nam quoquo aſpicias ita te doctrina bearat,
In variaeque favens duxerat artis opus.
Ut non unius fueris laus ſumma ſenatus,
Ac praecellentis primus honore togae.
Sed quid agant? ſuperanda gravis jactura ferendo eſt,
Nec ſuprema poteſt ire redire dies.
Unum eſt, quo debent animi lenire dolorem,
Atque levare gravi pectora moeſtitia.

Quod

Quod mundo ereptus miſeri contagia ſecli
Fugeris, & quidquid triſtia fata trahunt.

Edidit

Heſiodi opera & dies verſu elegiaco Latine reddita ſimul cum *Epigrammatum lib.* I. Francof. MDXLVI. 8. ubi *Rotallerus* nominatur, uti eum quoque vocat Geſnerus Append. t. I. Biblioth. & Fabricius in Bibliotheca Graeca ubique, quando ejus mentionem facit.

Ex Graeco in Latinum ſermonem verterat verſibus elegantiſſimis *Sophoclis ſeptem tragoedias*, quarum tres cum amici ejus eo inſcio Lugduni anno MDL. evulgaſſent, ille poſtea omnes ſeptem edidit Antverpiae an. MDLXX. & MDLXXVI. 8. *Sophoclem* tamen typographi incuria multis mendis ſcatere dolet in Epiſtola, quae exſtat in Illuſtr. Viror. Epiſt. ſelect. cent. II. n. VI. vid. & cent. I. n. LXXIII. LXXXIII. & LXXXIV. & Gabbem. Epiſt. Claror. viror. cent. III. Epiſt. XVI. *Sophoclis Ajacem* ut & *Electram* cum *Ratalleri poëtica paraphraſi* occurrere in H. Stephani Tragoediis ſelectis an. MDLXVII. 12. teſtatur Fabricius t. I. Biblioth. Graec. lib. II. c. XVII. §. II.

Euripidis Tragoedias tres Phoeniſſas, Hippolitum Coronatum, & Andromachen Latio donatas, cum fragmentis e veteribus Poëtis apud Stobaeum eodem metri genere expreſſis. Typis Plantin. MDLXXXI. 12. Has infinitis locis correctas ipſius Ratalleri manu in Bibliotheca Nicolai Heinſii ſe vidiſſe teſtatur Graevius Orat. in L. Acad. Traj. nat.

Elegiam & Epitaphia in obitum Guielmi Canteri. Refert & Sweertius inter ejus ſcripta *Catalogum brevem omnium Toparcharum, qui ditionem Trajectinam*

ſub

ſub Carolo V. & Philippo II. gubernarunt, & Praeſidum, qui ſupremo Senatui praefuerunt, quem ſervaſſe Suffr. Petr. de Script. Friſ. Decur. XIII. n. II. tradit diligentiſſimus van de Water Utr Placcaetb. II deel pag. MLIII. qui varios adducit auctores, qui memoriam hujus viri conſervarunt. Praeter eos videndus & Baelius in Lexico t. IV. p. m. XXXVI. ubi errores Valerii Andreae & Sweertii notat, ut & plagium Johannis Lalemantii, de quo vide & Illuſtr. Vir. Epiſt. ſelect. cent. I. n. LXXXIII. qui *Septem Sophoclis tragoedias* in Latinum ſermonem verſas edidit Pariſiis an. MDLVII. & plerumque verſione noſtri Ratalleri uſus eſt nulla ejus mentione facta. Notandum tamen, quod errores, quos Valerio Andreae adſcribit Baelius, ſcilicet quod ignoraverit Ratallerum omnes Sophoclis Tragoedias edidiſſe, & quod *Phoeniſſas*, *Hippolitum Coronatum* & *Andromachen* Sophoclis, cum ſint Euripidis, tragoedias vocet, non inveniantur in prima Bibliothecae Belgicae editione, quae anno MDCXXIII. in 12. prodiit; ibi enim memoratur editio omnium Sophoclis Tragoediarum Antv. MDLXX. & MDLXXVI. 8. & ibi recte *Phoeniſſae*, *Hippolitus Coronatus*, & *Andromache* Euripidi & non Sophocli adſcribuntur. Quod probat priores editiones non ſemper negligendas, & aliquando in quibusdam correctiores eſſe prioribus.

RAVENSPERGERUS (IACOBUS) Natus Groningae VII Decembris an. MDCXV. patre Hermanno, Sigena-Naſſovio, qui Theologiam in Academia Groningenſi docuit, cujus fata ex vitis Profeſſorum Groningenſium exhibet Freherus Theatr. Vir. Illuſtr. p. I. ſect. III. p. CCCCXXV. Magiſter artium in Academia patria renuntiatus eſt anno MDCXXXIX. quumque ſum-

ma diligentia & induſtria nomen inter Philoſophos comparaſſet, Trajectini Magiſtratus Matheſin docendi provinciam, loco Bernardi Schotani Leidam evocati, ei extra ordinem III. Martii an. MDCXLI. demandarunt. Inter ordinarios Philoſophiae Profeſſores adſcriptus eſt XIX Februar. an. MDCXLIV. & X Aprilis an. MDCXLVIII. Phyſicam profitendi facultas, vacua abitu Senquerdi Amſtelodamum, ei data. Menſe Auguſti vel Septembri anni MDCXLII. uxorem duxit Eliſabetham van Haſſelt, ex qua filium Jacobum ſuperſtitem reliquit, qui poſt calculum exſectum annum aetatis XXI. agens coelebs obiit die XXIX Novemb. anno MDCLXVII. Noſter vero defunctus eſt in ipſo aetatis flore XXII Aprilis an. MDCL. quum tantum XXXV aetatis annum adtigiſſet, longa tabe confectus & emaceratus. Quumque Samuel Mareſius, Theologiae Profeſſor Groninganus, edito libello religionem ejus ſuſpectam haberet, & vehementia morbi chronici & lethalis inpediret famam & exiſtimationem, quam apud probos huc usque ſuſtinuerat, publice defendere, advocatis teſtibus fide omni digniſſimis, calumnias has Mareſii deteſtatus, ſeque pure & recte de religionis capitibus ſentire profeſſus eſt hoc modo: *Ego Jacobus Ravenſpergerus, Philoſophiae in hac Academia Profeſſor, gravi morbo ultra vigenti tres hebdomadas adflictus, mentis tamen per Dei gratiam ſatis compos, teſtor coram Deo & vobis praeſentibus a me in hunc finem evocatis, me ex animo credere, Scripturam Sacram eſſe unicum & infallibile fidei principium: inſuper orthodoxam & reformatam religionem in omnibus & ſingulis dogmatibus ac partibus ſuis, prout ex Catecheſi, confeſſione Belgica, & canonibus Synodi Dordracenae exponuntur, ac publice in hac*

hac aliisque eccleſiis Belgicis traduntur, Scripturae Sacrae conformem eſſe, atque adeo veram viam ſalutis in ſe continere, in qua & vivere & mori me paratum profiteor. Proteſtor itaque contra iniquas ſuſpiciones & calumnias, quibus Dn. Samuel Mareſius, Theologus Groninganus, meam in fide orthodoxiam libello nuperrime edito tit. Xenia Academica, publice infamare conatus eſt, cum coram Deo mihi conſcius ſim, me nullis heterodoxorum ſententiis ſanctiſſimae fidei noſtrae repugnantibus, inprimis Socinianorum, Vorſtii, Remonſtrantium, Jeſuitarum, quorum praecipua aliquot ſcripta mihi ſatis lecta & perſpecta fuerunt, calculum numquam adjeciſſe, aut eas publice privatimque juventuti inſtillaſſe, uti diſcipuli noſtri & Theſes Academicae, Theologicis principiis ac dogmatibus data occaſione fideliter ancillantes, hoc abunde teſtari poterunt. Ex abundanti addo, me toto pectore antehac deteſtatum eſſe, & etiamnum deteſtari, omnes Atheismos, Scepticiſmos, Libertinismos, tum veteres tum novos, omniaque in univerſum abſurda, communibus Chriſtianismi aut Eccleſiarum aut ſcholarum reformatarum ſententiis condemnata. Ultrajecti XV *Martii* MDCL. *Jacob Ravensperg aegra manu in lecto.*

In margine inſtrumenti erat additum:

Huic teſtimonio Cl. Dn. Ravenspergerum aegra manu, firma tamen & conſtanti mente, nobis praeſentibus ſubſcripſiſſe teſtamur infraſcripti XV *Martii* MDCL.

Gisbertus Voetius.
Antonius Matthaeus p. t. Eccleſiae Senior.
Johan Godſcalck van Schürman Senior eccleſiae.
Daniel Berckringer Exſenior.

 Ita

Ita optime noſter famae ſuae conſuluit, & ſiniſtram de religione opinionem vindicavit contra iniquas criminationes Mareſii, qui, virulentiſſimi ingenii homo, nullis fere Theologis ſuo tempore viventibus pepercit, & inauditis calumniis religionem eorum ſuſpectam reddere conatus eſt. Uti patet ex libello anno MDCLXII. edito, varia excerpta ex diverſis libris Mareſii continente, quibus Mareſii maledicentia probatur, conſcripto a Synedrio Trajectino, eo animo, ut perſuaderet Magiſtratibus noſtris injuria Mareſium queri de Netheno, quum in iſto ſcribendi genere Nethenum longe ſuperaret.

Placide itaque & pie obdormivit Ravenspergerus, & oratione funebri laudes & merita ejus proſecutus eſt Daniel Berckringerus. Vid. Voet. Praefat. ante Exercit. & Biblioth. Studioſ. Theol. edit. poſt. qui & inſigni hoc elogio illum mactat in dicto libro lib. II. cap. XVI. *Per immaturam & Academiae huic luctuoſam mortem D. Jacobi Ravenspergeri in flore aetatis nobis erepti, exſpectatio noſtra non parum interturbata. Vir erat non tantum ingenii, memoriae & eloquentiae admirabilis, ſed & plurimae experientiae, inprimis vaſtae lectionis, curioſus & lynceus quorumcumque rariorum & praeſtantiſſimorum ſcriptorum inveſtigator. Ad ſpecialem Phyſicam, praeſertim Matheſi aut Medicinae adnexam, illuſtrandam atque ampliandam unice factus videbatur, & feliciſſima ſorte ad profesſionem Phyſicam & Mathematicam delectus. Nihilominus tantus in ſpeculationibus Metaphyſicis & ſcholaſticis, ut neminem forte iſtius aetatis ſuperiorem, paucisſimos ſibi pares habuerit. Multa & rara minabatur, non pauca affecta, nonnulla prope abſoluta habebat. Quod ſi hae-*

haeredum ſtudio illa expoliri & publico uſui donari nequeant, habent ſaltem ſtudioſi noſtri ſpecimina aliquot Diſputationum Phyſicarum, Metaphyſicarum, Mathematicarum, quibus tanquam acetariis ſapientiae appetitum ſtimulent, & ad imitationem provocentur. Aemilius Orat. & Poëmat. p. CCCCXXI. ubi eum moribundum adloquitur, vocat *amicum longa conſuetudine ſibi conjunctisſimum.* Honorificam quoque ejus mentionem facit Pontanus Orat. funebr. in exceſſum Petri van Maſtrigt pag. v. his verbis: *Ravenspergeri meminiſſe libet, qui in prima juventute parentem Steinfurtenſem & Groninganum Theologum longe ſupergreſſus, fama ingenii magnopere inclaruit, inprimis cum Spinoſam adgrederetur, tametſi pleraque ejus ſcripta perierint, quo caſu neſcio, certe inſigni detrimento boni publici & poſteritatis.* Qui & porro narrat ad Academiam Albae Juliae in Tranſilvania lautiſſimis conditionibus vocatum, abnuiſſe, ſeque Trajectinis addixiſſe.

Edidit varias Diſſertationes Academicas *Diſputationis de anima ovi* meminit Voetius tom. v. Diſp. Theol. pag. CXXV. ubi eum *Philoſophum ſubtilem & perſpicacem, nec vulgarem Theologum* nuncupat, & *Diſputationem de Deo* memorat Ibid. p. CCCCLXIV. Diſputationem Aſtronomicam *de Mundi ſyſtemate* ab eo editam anno MDCXL. adfirmat Velthuyſius tom. II. Oper. pag. MCXXVIII.

RAVIUS (CHRISTIANUS) Natus dicitur Berolini anno MDCXIII. Hujus mentionem faciendam, & quae de eo invenire potui, adnotanda exiſtimo, quia hic publice linguas Sanctas docuit. Roſtochio Soram demigraſſe, ibique Geographiam inter Profeſſores Regios profeſſum fuiſſe, tradit Buchnerus Epiſtola ſcripta

Maji an. MDCXL. part. II. Epiſt. p. XLVIII. Orientem peragraſſe, & Perſicae, ac praeſertim Turcicae linguae peritiſſimum fuiſſe teſtatur Ludovicus de Dieu epiſtola ſcripta Voſſio, quae inter Voſſianas DXI. plurimosque MSS. Codices ex Oriente adportaſſe patet ex epiſtola, quam ex Londino XXI Januar. MDCXLII ſcripſit Voſſio, quae inter Voſſianas DLXXXI. reperitur, ubi Voſſio Bibliothecae ſuae Orientalis, quadringentis MSS. refertae, uſum offert. An vero eo tempore, an vero poſt deceſſum Trajectinum, Oxoniae Linguarum ſanctarum praecepta tradiderit, ignoro. Anno ſequenti Trajectum adpuliſſe videtur, & Bibliothecae noſtrae publicae quatuor Orientales libros donaſſe, didici ex actis noſtrorum Magiſtratuum XI Decemb. MDCXLIII. paulo poſt, ſcilicet XV Januarii MDCXLIV. orationem habuit de *Scribendo Lexico Arabico*, & XIX Februarii d. a. ei facultas data Linguas Orientales docendi, nullo tamen certo honorario adſignato, verum decreto XVII Junii MDCXLIV. quadringenti floreni, & VI Jan. MDCXLV. centum & quinquaginta, & III Martii ejusdem anni ſexcenti ei dati, & honeſta miſſione eodem tempore inpetrata, abiit. Poſtea Holmiae apud Chriſtinam Sueciae Reginam fuiſſe patet ex tom. III. Syllog. Epiſt. Burm. p. DXC. Upſaliam a ſtudioſis contumeliis adfectum deſeruiſſe, & redire noluiſſe tradit Fellerus in Monument. inedit. p. DLXIX. qui & addit, libros, quos memorabat, non habuiſſe, nemini certe vel unum monſtraſſe. Deinde per duos annos, ſcilicet ann. MDCLXIX. & MDCLXX. Linguas Orientales in Academia Kilonienſi Profeſſor extra ordinem docuit, & inde in Academiam Viadrinam migravit, teſte Mollero Iſagog. ad Hiſtor. Ducat. Sleſvic. & Holſat. part.

IV.

IV. cap. I. §. IV. Ubi obiit anno MDCLXXVII.

Scripta ejus ſunt:

Panegyricae Orationes duae de linguis Orientalibus. Traject. MDCXLIII. 4. in quarum una *Locmannum* Mythographum Muhammedanorum confundere cum *Alcmane* Lacedaemonio Poëta Lyrico, notat Möller. Homonymoſcop. pag. CCLII.

Obteſtatio ad univerſam Europam pro diſcendis rebus & linguis Orientalibus. Ibid. MDCXLIV. fol. cujus meminit Crenius Animadv. Philoſ. & Hiſtor. part. II. p. CLXXXVII. quam anno MDCXXXIV. prodiiſſe ſcribit Imbonatus in Biblioth. Latino-Hebraica pag. CCCXXXII.

Ortographiae & Analogiae, vulgo Etymologiae, Ebraicae delineatio, praemiſſa verae Etymologiae ſeu Lexico generali concordantiarum manualium Hebraearum. Amſtelod. MDCXLVI. 4.

Grammatica Generalis Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Samaritana, Anglice. Londini an. MDCXLVIII. 8.

De Dudaim Rubenis diſſertatio Philologica. Upſaliae MDCLV. 8.

Annotationes in verſus poſtremos Geneſeos capitis XXX. Ibid. d. a. 8.

Apollonius Pergaeus ex verſione Arabica Latine. Kolonii MDCLXI. 8. vid. Krauſe Animadv. ad Boecler. Bibliograph. Critic. pag. DCCCLXXX.

Verſio nova in caput IV *Geneſeos cum quibusdam annotatis.* Ibid. MDCLXIV. 8.

Verſio Latina ex Hebraeo ſeu priorum capitum Geneſeos cum notis Theologico-philologicis. Ibid. MDCLXV. 8.

Chronologia infallibilis de annis Chriſti ex ſolo veteri Teſtamento demonſtratis, ſcilicet concepti, nati, bapti-

ptizati, paſſi, reſurgentis, adſcendentis, die Pentecoſtes Paracletum mittentis, juxta ductum codicis Ebraei numquam viſum, demonſtrativae demonſtrationes. Praemittuntur aliquot magnorum virorum cenſurae. Ibid. MDCLXIX. & auctior MDCLXX. fol. quam *Chronologiam* refutaſſe Cellium Matheſeos Profeſſorem Heinſio ſcribit Schefferus Syll. Epiſt. Burm. t. v. pag. CXLV. addens, *quae res tanto dolore Ravium dicitur adfeciſſe, ut Academiae huic valedixerit, & nunc factus ſit Profeſſor Francofurti ad Oderam.*

Synopſis Chronologiae Biblicae centum Epocharum Biblicarum ab orbe condito ad adſcenſionem Chriſti. Berolini MDCLXX. fol.

Orbis Hieraticus Levitarum per quinquagenos Jojaribi orbis deſcriptus. Ibid. MDCLXX. fol.

Excusſio diſcusſionis ineptae Abrahami Calovii. Upſaliae MDCLXXI. fol.

Diſputatio Chronologica de plenitudine temporis Chriſti in carne a priori deducta. Francof. ad Oderam MDCLXXIII. 4.

Triginta arcana Biblica conteſtantia aeram Chriſti anno mundi 4041. *non* 4000. *ut Calovius docet.* Ibid. MDCLXXV. fol.

Catena Magnetica.

Fons Sionis.

Ortographia Arabica.

Vid. Schefferi Suecia Literat. p. CCCCI. Le Long Biblioth. Sacr. t. II. p. DCCCCXX. MCLXIII. MCLXIV. MCLXXIX & MCLXXXVIII. & Jo. Fabric. tom. v. Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. DVIII.

REGIUS (HENRICUS) ſive DE ROY, Trajecti natus fuit XXIX Julii St. Juliano an. MDXCVIII. In Academia

mia Franequerana ſtudia abſolvit, & Artium liberalium Magiſter & Medicinae Doctor renuntiatus, primo medicinam fecit in Friſia Orientali, Nardae in Hollandia, & demum in urbe patria. Anno MDCXXXVIII x Julii Profeſſio Medicinae, Theoriae & Botanices extra ordinem in Academia noſtra ei demandata eſt, & anno ſequenti XVIII. Martii inter ordinarios adſcriptus, ſatis boni & diligentis Profeſſoris partes ad mortem usque ſuſtinuit. Demonſtrationes Anatomiae decreto Magiſtratuum XXXI Decemb. an. MDCXLIX ei quoque injunctae ſunt. Summus & acerrimus Carteſianae Philoſophiae fuit vindex & propugnator, qui primus artem medicam a ſcholaſticis erroribus purgare, & ſecundum Carteſii placita emendare adgreſſus eſt. Deerat tamen ei illa prudentia & judicium, quibus pollebat Renerius, cujus merita mox memorabimus, unde maximas in Academia excitavit turbas & lites. Antequam ad cathedram Academicam promotus erat, amicitiam contraxerat cum Renerio, a quo Carteſii philoſophandi methodum edoctus, & perlectis Carteſii ſcriptis, magnum amorem pro inſigni illo Philoſopho concepit; quumque certis diebus problemata Phyſica doceret, eaque juxta Carteſii principia explicaret, invidiam fecit conlegis quibusdam, male habentibus antiquorum Philoſophorum placita rejici, & lectiones Regii majori auditorum frequentia celebrari. Quibus adcedebat, quod cum IX Julii an. MDCXXXIX. ſub Arnoldo Senquerdio diſputatio haberetur, & Praeſes reſpondentem, cui juxta Carteſii ſententiam dubia movebat ſtudioſus quidam Regii diſcipulus, adjuvare conatus eſſet, Regius diſcipuli partes ſumpſerit, & magno animo contra conlegam diſputaverit; quo facto varios conlegas alienavit, uti narrat

Baillet. vit. Carteſii lib. v. cap. v. & ut erat fervidiſſimi ingenii, variis diſſertationibus Carteſii dogmata propugnavit, quibus non tantum Stratenum Medicinae, & Ravenspergerum Matheſeos Profeſſores, ſed & Gisbertum Voetium irritavit, qui varias diſſertationes & theſes ei oppoſuerunt, Voetiusque eum haereticum pronuntiare non dubitavit; & libellis famoſis in vulgum ſparſis ipſi exprobatum eſt *ei caput circumagi ad inſtar molae Jutphaſienſis*, uti narrat Velthuyſius, tom. II. oper. p. MXLIII. in carmine a ſtudioſo quodam compoſito & poſt Voetii theſes inpreſſo, his verbis petitus Regius:

Simia mendacis Galli, mendacior ipſo.

Reſpondit quidem Regius ſcripto, cui titulus *Reſponſio, ſeu notae in appendicem ad corollaria Theologico-Philoſophica*; verum Voetius effecit, ut Senatus Academicus, excepto Aemilio & Cypriano ab Ooſterga, querelas contra Regium coram Magiſtratibus inſtitueret, & Regio interdiceretur nullas lectiones neque ſcholas privatas praeter Medicas habere, ut ex Actis Magiſtratuum noſtrorum XXI & XXII Februar. & XV Martii an. MDCXLII didici. videndus & Baillet. vit. Carteſii lib. VI cap. VII. & ſuaſit Regio Carteſius, ut huic decreto Magiſtratuum pareret, vid. tom. I Epiſtol. Carteſii LXXXVII & XCIII. & quomodo Voetio reſponderet, praeſcribit epiſtola ſequenti; niſi verum ſit, quod Regius ſcripſerat, ſcilicet ſe periclitari de profeſſione, ſi Voetio reſpondeat, *quod miratus ſum*; (ſunt Carteſii verba) *neſciebam enim illum in veſtra civitate regnare, magisque liberam putabam, & miſeret me ejus, quod Paedagogo tam vili, & tam miſero tyranno ſervire ſuſtineat*; quo caſu, ut taceat, monet, a quo tempore Philoſophicis ab-

abſtinuit, & Medicis ſe totum tradidit. & 11 Decemb. an. MDCLXI. titulum Profeſſoris Medicinae primarii obtinuit. Die XXI. Januarii an. MDCXXXIV. uxorem duxit Mariam de Swart. Obiit vero die XIX. Februar. an. MDCLXXIX. vid. Graevii Epiſt. ad Heinſium tom. V. Syllog. Burm. p. DLXXXV, qui funebri oratione eum laudavit. Neſcio vero quo caſu factum ſit, ut in conlectione Orationum Graevii ea omiſſa ſit.

Scripta ejus ſunt:

Phyſiologia, ſive cognitio ſanitatis, tribus diſputationibus in Academia Trajectina publice propoſita. Taject. MDCXLI. 4. qua Voetium irritaſſe, ita ut inſtituta querela apud Magiſtratus pene exciderit munere, narratur in Sorberianis pag. CLXXXI, ubi dicitur *Regius fuiſſe veritatis cognoſcendae cupidus, nec acumine carens, quo poſſet indagare; & mirum quam enthuſiasmata Carteſii ſuſcepiſſe, & veneratum fuiſſe.* Porro de ejus Phyſiologia ita judicat Sorberius: *Regius nimis confidenter & audacius Phyſiologiae titulum uſurpare viſus eſt in theſibus. non eſt unius hominis explicationem polliceri rerum omnium, quas naturae vox ambitu ſuo complectitur, praeſertim cum non parum juvent, qui praeceſſerunt, ut fatebatur Regius. Satius igitur fuiſſet titulum praeſcribere hujusmodi de Phyſiologiae ſive &c. Exercitationes. ſperare nimia facit titulus alius, nempe perlectis intellectisque tribus Diſputationibus nihil ſuperfuturum ad Panſophiam iſtam; quod ſane ſperare non auſim, licet vehementer id optarim.*

Spongia pro eluendis ſordibus animadverſionum Jacobi Primiroſi in theſes ipſius de Circulatione ſanguinis. Leidae MDCXLI. 4. Jacobus enim Primiroſius conſcripſerat *Animadverſiones, quas pro circulatione ſanguinis in A-*

cademia Ultrajeſtina Regius diſputandas propoſuerat. Leidae MDCXL. qui & *Antidotum adverſus Regii venenatam Spongiam ſive vindicias animadverſionum Regii Spongiae repoſuit.*

Fundamenta Phyſices. Amſtel. MDCXLVI. 4. Quae, licet Carteſius, cui, antequam evulgabat, legenda dederat, pleraque inprobaret, variosque errores oſtendiſſet, invito Carteſio edidit, &, ut ei placeret, in praefatione invidendis elogiis Carteſium ornavit, quod male habuit Carteſium, qui non tantum in tom. I. Epiſt. XXII. docet Regium ejus ſcripta non intelligere, & ejus adſertiones nullo ordine poſitas, abſque veris probationibus, ita ut paradoxae videantur, edidiſſe. vid. & Epiſt. XCVI, XCVII & XCVIII, verum & publice in editione Gallica Principiorum an. MDCXLVII. Regii librum inprobare coactus eſt. quare Regius in editione ſecunda horum *Fundamentorum* an. MDCLIV. omnia elogia, quae in Praefatione primae editionis Carteſio dederat, omiſit; quod minime convenire ſymbolo, quo effigiem ſuam ornavit *candide & generoſe*, ſcribit auctor Praefationis ante tom. I. Epiſtol. Carteſii, qui & notat nimia φιλαυτία laboraſſe Regium, & niſi ſibi praeſumpſiſſet plus ſapere Carteſio, multa de ejus ingenio ſperandum fuiſſe. vid. Baillet. vit. Carteſ. lib. VII. cap. VI & VIII.

Explicatio Mentis humanae, ſive Animae rationalis. MDCXLVII. quam refutavit Carteſius, cui reſpondit Regius; nihil vero repoſuit Carteſius; verum poſt ejus mortem tractatum apologeticum pro Carteſio contra Regium conſcripſiſſe Tobiam Andreae Profeſſorem Groningenſem anno MDCLIII notat Baillet. vit. Carteſii lib. VII. cap. XIII.

Fun-

Fundamenta Medica Traject. MDCXLVIII. 4. Qui libri deinde ſub titulo *de Arte Medica*, *& cauſis rerum naturalium* ſaepius inpreſſi ſunt, ut an. MDCLVII, MDCLXIV, MDCLXVIII. 4.

Hortus Academicus Ultrajectinus. Traj. MDCL. 8.

Philoſophia Naturalis. Amſtel. MDCLI. MDCLIV & MDCLXI. 4. quae ex lingua Latina in Gallicam verſa prodiit Traj. MDCLXXXVI. 4. & neminem melius oſtendiſſe cauſam ſpontanei motus Herbae pudicae, quam Regium in libr. IV. Philoſ. Natur. teſtatur Morhovius t. II. Polyh. lib. II. part. II. cap. XLIV. §. III. Hunc librum continere compendium Philoſophiae Carteſianae, licet non ſatisfaciat omnibus, notat Struvius Biblioth. Philoſoph. cap. V. §. IV.

Ejus *Praxis Medica* ſub *Luminis rationalis* titulo prodiit Medioburgi anno MDCLXXXVI. deinde Theodorus Cranen Profeſſor Medicinae Leidenſis obſervationes edidit, quibus *Regii Praxis Medica* inluſtratur & emendatur Leidae MDCLXXXIX. 4. vid. Lipſiens. Act. Erudit. Octobr. MDCLXXXIX.

Vid. Graevii Orat. in L. Acad. Traj. nat. Merklin. Linden. renovat. p. CCCC. & Molleri Homonymoscopia cap. II. §. XVII. pag. LXXIV.

RELANDUS (ADRIANUS) Ripenſis Weſtfriſius, filius Johannis, paſtoris Ripenſis & deinde Amſtelodamenſis facundiſſimi, ex Agatha Prins, & frater Petri Juriſconſulti, cujus *Faſtos conſulares* Adrianus noſter poſt fratris obitum evulgavit. Natus eſt die XVII Julii anno MDCLXXVI. Vix undecimum aetatis annum ingreſſus, ſcholarum ſtadio confecto, triennium in inluſtri Amſtelodamenſium gymnaſio moratus eſt, ibique Petrum Francium humanitatis ſtudia, Alexandrum de

Criticus nimis audax, et in SS. Ecclesiae Patres parum religiosus - ita Michael à S. Joseph Tomo 1. pag. 107

Bie, Philoſophiam, Matheſin & Graecam linguam, Guilielmum Surenhuſium linguas Orientales, Judaicasque antiquitates docentes, audivit. Deinde in Academiam Trajectenſem conceſſit, & in domum Leideckeri receptus, ſe in celeberrimi Graevii & Leusdeni diſciplinam tradidit. in Philoſophia praeceptores habuit Gerardum de Vries & Johannem Luyts, quibus cunctas Philoſophiae partes praecipientibus per tres annos pertinaci ſtudio adhaeſit eo cum fructu, ut, conſcripta *de Libertate philoſophandi* diſſertatione, Magiſter Artium ſit creatus, anno aetatis XVII. His praeſidiis inſtructus animum ad coeleſtem doctrinam adplicuit, & Gerardi van Maſtricht, Hermanni Witſii, Melchioris Leydekkeri, & Hermanni van Halen, celeberrimorum eo tempore Theologorum, ſedulus auditor fuit. Deinde Leidam petiit, ut ſtudia Theologica ſub Frederico Spanhemio, Jacobo Triglandio, & Johanne Marckio abſolveret. Stadio Academico confecto, praeficitur ſtudiis filiorum comitis Portlandiae, & Philoſophiam & linguas Orientales docendi provincia in Atheneo Lingenſi ei obfertur, quam in ſe ſuſcipere hortatu patris, qui filium tam longinque abeſſe nolebat, recuſavit. Brevi poſt, anno ſcilicet MDCXCIX. Gelri Philoſophiae profeſſionem in Academia Harderovicenſi ei demandarunt, & IV Novembr. MDCC. ad Academiam noſtram translatus, literas Orientales & antiquitates ſacras ſummo cum auditorum concurſu docuit, quumque Friſii ad ſe adlicere conarentur, ut in Academia Franequerana juventutem in linguis ſanctis erudiret, & Leidenſis Academiae Curatores in animo haberent Jacobo Gronovio ſucceſſorem dare, uti conſtat ex Actis Magiſtratuum noſtrorum IV Januarii anno

MDCCXIII

MDCCXIII & XVI & XXIII. Novembr. MDCCXVI, conditiones illas abnuit, & ſe nobis addixit. Uxorem duxit Johannam Catharinam Teelingiam, patre Johanne Conſule Ziriczeenſi & Maria Hoffera natam, ex qua Filiam Catharinam Eliſabetham, nuptam Paulo Johanni de Ruever JCto, & filium Johannem Hubertum ſuperſtites reliquit. Obiit autem ſingulare illud Academiae noſtrae ornamentum & decus v. Februar. an. MDCCXVIII. variolis exſtinctus, quum tantum XLI. aetatis annum ageret, & ita virum eruditiſſimum in medio aetatis flore mors bonis literis eripuit, uti recte notat Fabricius de ſcriptor. Verit. Relig. Chriſt. cap. L. p. DCCXLVII. qui & jure merito *elegantiſſimi ingenii & exquiſitae eruditionis virum* vocat tom. IV. Biblioth. Graec. lib. IV. cap. XXXIV. §. XIX. diſertiſſima oratione juſta ei perſolvit Joſephus Serrurier (qui male in nov. Liter. Lipſienſ. an. MDCCXVIII. pag. CXXV. vocatur *Cerulier*) Medicinae & Philoſophiae in Academia noſtra Profeſſor, vir optimus, & ob ſolidam eruditionem & morum integritatem magni habendus. Sepultus eſt Ripis, celeberrimo Weſtfriſiae pago, ubi primam adſpexerat lucem, & condi mandaverat cum hoc epitaphio, quod ſibi ipſi poſuerat:

Terra tegit cineres, quae cunas praebuit olim,
Principium curſus, metaque facta mei.
Quisquis es, incertae ſtadium decurrere vitae
Dum licet, ante oculos meta ſit usque tuos.
Conficitur ſpatium diſpar, verum exitus omnes
Unus, & hac hora te quoque forte manet.
Ergo vive Deo, praepone aeterna caducis,
Atque animi potior ſit tibi cura tui.
Quidquid agis, pateriſve, tuis Chriſti exprime mores,
Non alia fas eſt ſcandere ad aſtra via.

Scri-

Scripta, quibus brevi iſto vitae tempore nomen inmortale inter eruditos promeruit, haec ſunt:

Notae ad Othonis hiſtoriam doctorum Miſchnicorum, quas dum Leidae ſtudiis operam dabat, evulgavit.

Oratio de incremento, quod Philoſophia coepit hoc ſeculo, habita anno MDCXCIX, quum Philoſophiae docendi provinciam in Academia Harderovicenſi ſuſciperet. Amſtel. MDCC. 4.

Oratio pro lingua Perſica, & cognatis literis Orientalibus, dicta XXI Februar. MDCCI, quum Linguarum Orientalium profeſſionem ordinariam in Academia Trajectina ſuſciperet Traj. MDCCI. 4.

Galatea, luſus Poëticus, inſcio auctore prodiit Amſtelod. MDCCI. 8. & deinde Traj. & MDCCX & MDCCXVIII.

Ut & *Notae in Tanaquillum Fabrum de vitis Poëtarum Graecorum* Gallice Amſtel. MDCC. 12. ubi & exſtat ejus *Ode in Poëſin Lucretianam*, quae quoque legitur in Belgica verſione Lucretii a Johanne de Wit edita Amſtel. MDCCI. notante Fabricio tom. II. Biblioth. Latin. lib. I. cap. III. varia praeterea carmina, ut *Elegia ad Rever. D. Dominicum Paſſioneum, quum inter Harderovicum & Daventriam curru excuſſus & alliſus ſolo crus laeſiſſet* an MDCCVIII. & alia diverſis temporibus edita, Poëtam feliciſſimum fuiſſe probant.

Analecta Rabbinica, in quibus continentur *Gilberti Genebrardi Iſagoge Rabbinica, una cum ejus meditationibus & tabulis Rabbinicis: Chriſtiani Cellarii Rabbiniſmus, ſive inſtitutio grammatica Rabbinorum ſcriptis legendis & intelligendis adcommodata: Joh. Druſius de particulis Chaldaicis Syriacis & Rabbinicis: Index commentariorum Rabbinicorum, qui in ſacrum codicem ejusque partes conſcripti ſunt e libro Strimen, cui titulus La-*

bia

bia dormientium: Bartolocci vitae celebriorum Rabbinorum, qui in Sacrum Codicem ſcripſere R. Salomonis Aben-Esrae, D. Kimchi, Levi Ben Gerſon Abarbanelis & R. Moſis Alſchech: & D. Kimchi in decem priores Pſalmos Davidis commentarius cum Latina verſione Ambroſii Janvierii. Traject. MDCCII & MDCCXXIII. 8. quae recenſent Lipſienſes Act. Erudit. Febr. MDCCXXIV. utiliſſimus tyronibus harum literarum liber dicitur a Fabricio in Bibliogr. Antiq. cap. I.

Diſſertationes quinque de Nummis veterum Hebraeorum, qui ab inſcriptarum literarum forma Samaritani adpellantur: accedit Diſſertatio de Marmoribus Arabicis Puteolanis. Traject. MDCCIX. 8. quae *Diſſertationes* antea ſeparatim prodierant Amſtel. MDCCII. & MDCCIV. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. April. MDCCIII & Septemb. MDCCIX. & Fabric. Bibliogr. Antiq. cap. XVI § IX. Laudat has van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. LII.

De Religione Muhamedica libri duo Traj. MDCCV & MDCCXVII. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. April. MDCCVI. & Journal Literaire tom. X. pag. XXVII. & ſeqq. qui quoque Belgice, Germanice, Gallice & Anglice prodierunt, notante Fabricio de Scriptor. qui veritat. religion. Chriſt. aſſer. cap. L. pag. DCCXLVII.

Diſſertationes miſcellaneae, ſcilicet de ſitu Paradiſi terreſtris: de mari rubro: de monte Garizim: de terra Ophir: de Diis Cabiris: de veteri lingua Indica de reliquiis veteris linguae Perſicae: de Perſicis vocabulis Talmudis: de jure militari Mohammedorum contra Chriſtianos bella gerentium: de linguis inſularum quarumdam orientalium de linguis Americanis, & de gemmis Arabicis. Traj. MDCCVI MDCCVII & MDCCVIII. III vol. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Februar. MDCCVII.

Oratio in obitum Pauli Bauldry. Traj. MDCCVI. 4.

Decas exercitationum Philologicarum de vera pronuntiatione nominis Jehovah; quarum quinque priores Johannis Druſii, Sixtini Amamae, Ludovici Capelli, Johannis Buxtorfii, & Jac. Altingii lectionem nominis Jehovah impugnant; poſteriores quinque Nic. Fulleri, Th. Gatakeri ſingulae, & ternae Joh. Leusden tuentur. Traject. MDCCVII. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Decemb. MDCCVII.

Antiquitates ſacrae veterum Hebraeorum. Trajecti MDCCVIII. 8. Compendium, juxta quod antiquitates ſacras in ſcholis privatis exponebat & docebat, quod longe locupletius, caſtigatiusque prodiit Trajecti an. MDCCXII. & eodem anno Leucopetrae cum praefatione Johannis Franciſci Buddei juxta Hausmanni Introduct. in notitiam Scriptor. Homiletic. cap. II. §. XXXV. & Lipſiae an. MDCCXIV. & iterum Traj. an. MDCCXVII. & opera Bucheri Bud. MDCCXVII. 8. quod compendium *elegans* vocat Fabricius in Bibliogr. antiq. cap. I. §. VIII. & recenſent Lipſienſes in Act. Eruditor. Maji MDCCIX.

Oratio de Galli cantu Hieroſolymis audito. Traj. MDCCIX, quam die XXVI Martii d. a. recitavit, quum Rectoris magnifici munere abiret. Haec in linguam Belgicam verſa prodiit Traj. MDCCXVIII. 8.

Enchiridion ſtudioſi Arabice conſcriptum a Borhanedino Alzernouchi, cum duplici verſione Latina, altera Frederici Roſtgaard ſub auſpiciis Joſephi Baneſe Maronitae Syri, altera Abrahami Echellenſis Traj. MDCCIX. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. April. MDCCX.

Elenchus Philologicus, quo praecipua quae circa textum & verſiones Sacrae Scripturae diſputari inter Philologos ſolent, breviter indicantur, in uſum ſtudioſae juventutis. Traject. MDCCIX. 12.

Bre-

Brevis introductio ad Grammaticam Hebraeam Altingianam. Accedit ad exercitium analyſeos liber Ruth cum commentariis Rabbinicis & obſervationibus Maſoreticis, Hebraice & Latine. Traj. MDCCX. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Octob. MDCCX.

Epicteti Manuale & Sententiae, quibus accedunt tabula Cebetis, & alia ejusdem argumenti, cum notis Claudii Salmaſii & Marci Meibomii. Ibid. MDCCXI. 4. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Auguſt. MDCCXI.

Lettre a ſon excellence Monſeigneur Le Comte de Kniphuyſen ſur une piece d'or trouvée ſur ſes terres. Ibid. MDCCXII. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erud. Octobr. MDCCXIII.

Palaeſtina ex monumentis veteribus illuſtrata, & chartis Geographicis accuratioribus adornata. Ibid. MDCCXIV. II. vol. 4. recenſent Lipſienſes Act. Erudit. Januar. MDCCXV. Opus ſtupendae eruditionis & inmortali laude digniſſimum, recuſum in Germania Norimbergae an. MDCCXVI. 4. ſed quae editio longe inferior eſt priori, in qua errata omnia in Trajectina editione ad calcem notata, manſerunt, notante Zeltnero in Theatro virorum eruditorum qui Typographiis laudabilem operam praeſtiterunt pag. DLXXXVI. In qua *Palaeſtina* pulcherrimam Euſebii libro de locis Hebraicis lucem adtuliſſe teſtatur Fabricius in Bibliogr. Antiq. cap. V. §. IV, & V. laudat hunc laborem Relandi, & eum *virum exquiſitae eruditionis* vocat. verſus eſt hic liber in linguam Belgicam, omiſſis obſervationibus literariis, & prodiit Trajecti an. MCCCXIX. hoc titulo: *Palaeſtina opgehelderd, of de geleegentheid van het Joodſe land uyt de gedenkſtukken der ouden getrokken, en op vaſter gronden als voorheen bewezen en aangetoont door den Heer Adriaan Reland.*

Oratio de uſu antiquitatum ſacrarum. Traj. MDCCXIII.

Anno MDCCXV. edidiſſe *Mappam Geographicam Japoniae* nuntiant Nova Liter. Lipſienſ. an. MDCCXV. pag. CXLIX & MDCCXVI. pag. LXXXII.

De Spoliis templi Hieroſolymitani in arcu Titiano Romae conſpicuis. Ibid. MDCCXVI. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Februar. MDCCXVII. & Journal Literaire tom. IX. pag. CCCVII. Acta Eruditor. Febr. 1717. pag. 69—73.

Belgice edidit *vitam Ebn Jokdan.* 8.

Exſtat & Ejus *Epiſtola ad Johannem Conradum Hottingerum*, ante *Hottingeri commentarium Philologicum ſive Exercitationes decem de decimis Judaeorum*, qui qui liber Leidae an. MDCCXII in 4. prodiit.

Diſſertatio ejus *de Uxore domiſeda in Epiſt. ad Titum cap.* II. *com.* V. legitur in Bibliotheca Hiſtorico-Philologico-Theologica Bremenſi Claſſ. I. Faſcic. III. V. quam non ſine inſectatione Relandi refutavit Jacobus Haſaeus in eadem Biblioth. Claſſ. III. Faſcic. VI. II. p. MXIX. vid. vener. Pat. Syllog. Epiſtol. t. IV. pag. DCV. in notis. Exſtat quoque in Claſſ. I. Faſcic. II. ejus *Diſſertatio de Tryphone Judaeo Juſtini martyris antagoniſta, in qua probatur eum a R. Sarphone diverſum fuiſſe.* Eodem tempore quo diſſertationes *de uxore domiſeda*, & *Tryphone Judaeo* edebat, etiam tertiam in lucem emiſit *de Barbaris & Schytis ad Coloſſ. cap.* III. *verſ.* XI. Fuerunt autem diſſertationes Academicae, quae publice ventilatae ſunt anno MDCCXVII.

Edidit & fratris *Petri Relandi Faſtos Conſulares.* Traject. MDCCXV. 8.

In animo habuit varia *vetera Itineraria* edere.

Elogium viri hujus ſummi exſtat in Actis Eruditor. Lipſienſ. Auguſt. MDCCXVIII. Hiſtoir. Critiq. de la Re-

Republ. de lettres t. xv. p. ccccxii. Journal Literaire tom. x. pag. ccxi. & ſeqq. Fabric. t. vi. Hiſt. Biblioth. Fabrician. p. cxxi. Klefeker. Bibliothec. Erudit. Praecoc. p. cccxiv. & ſeqq. & apud Niceron Memoir. pour ſervia a l'hiſtoire des homm. illuſtr. &c. t. i. p. cccxxxix. & tom. x. part. i. pag. lxii. & part. ii. pag. lxxvii.

RENERIUS (HENRICUS) Natus in urbe Hojo ad Moſam anno MDXCIII. Primum Leodii, deinde Lovanii in Falconis collegio adſcitus, ſtudiis operam dedit. Lovanio relicta Leodium repetiit, ibique S. S. Theologiae ſtudio jam initiatus, lectione Inſtitutionum de Chriſtiana religione maximi Calvini, ita de veritate puriorum ſacrorum perſuaſus eſt, ut patriam ſuperſtitionem ejuraret, &, ut iram & indignationem parentum effugeret, Leidam ſe contulit, ubi, in collegium Gallicum receptus, per quinquennium ſacrarum literarum ſtudio incubuit. Academicis ſtudiis abſolutis, ut ſibi honeſte victum quaereret, (a patre enim ob mutata ſacra exhaeredatus erat) ſcholas privatas Leidae inſtituit, totumque ſe Philoſophicis ſtudiis tradidit; & primus fuit inter Batavos, qui Carteſio innotuit, cum quo arctiſſimam amicitiam per omnem vitam coluit; tantamque doctrinae famam jam comparaverat Renerius, ut poſt mortem Burgersdici Curatores Leidenſis Academiae de Renerio ſucceſſore dando deliberarent. Qui cum moras necterent, noſter conditiones ampliſſimas, quibus ſtudiis trium inluſtrium juvenum praeſiciebatur, amplexus eſt, & incertae vocationi praetulit, ut ex epiſtola Renerii ad Gaſſendum probat Baillet vit. Carteſ. lib. iii. cap. iv. & ex epiſtola ejus ad Cunaeum MS. non edita, data xii. Auguſt. MDCXXIX. conſtat Amſtelodami habitaſſe apud Johannem Eremi-

tam (Hans l'Hermite) cujus forte filiorum paedagogus fuit. Major vero ejus erat eruditio, quam ut inter paedagogos conſeneſceret, unde Daventrienſibus, ut Philoſophiam profiteretur, ſe addixit anno MDCXXXII. & Carteſius, ne a tum caro amico divelleretur, Daventriam quoque lares transtulit, ibique ad annum MDCXXXIV. permanſit. quo quum Trajectini novam inluſtrem ſcholam aperuiſſent, illi Renerio Philoſophiam docendi provinciam demandarunt, qui, inpetrata diſcedendi venia a Daventrienſibus, ſe nobis tradidit, & optimi Profeſſoris partes ſuſtinuit. Quumque poſtea, anno ſcilicet MDCXXXVIII. Daventrienſes Martinum Schookium vocaſſent, literisque peterent, ut Magiſtratus noſtri eum dimitterent, illi humaniſſimis verbis reſcripſerunt ſe facile conſentire ad remunerandum favorem, quem Daventrienſes praeſtiterant, quando Renerium, Philoſophum tam celebrem & excellentem, iis non invidiſſent, ſed abire permiſiſſent, uti ipſa decreti verba XIII Octobr. d. a. ſonant. Vixit vero cum Carteſio conjunctiſſime, *abdita naturae & coeli extima penetrare ab eo edoctus*, uti tradit Aemilius ante carmen, quo funus ejus proſecutus eſt, quod legitur poſt ejus Orationes pag. CCCCXII. & ipſe in epiſtola ad Marſennum de Carteſio teſtatur: *Is eſt mea lux, meus ſol, erit mihi ſemper Deus &c* Summa vero cum prudentia & animi moderatione juxta Carteſii methodum naturae principia magis veritati conformia juventuti inſtillavit, ita ut nullos fere adverſarios, qui ejus doctrinae ſe obponebant, invenerit: quam viam ſi inſtitiſſet Regius, ſanior Philoſophia plures fautores, & imitatores habuiſſet, & forte Ariſtotelicae Philoſophiae ſectatores ſe dociliores praeſtitiſſent. Maxime vero induſtrium

ſtrium & diligentem Renerium fuiſſe inde conſtat, quod per quamque hebdomadam ſex lectiones publicas, & duodecim privatas maxima auditorum frequentia habuerit. quibus laboribus ne conficeretur, Magiſtratus decreto XXVI. Februarii MDCXXXVIII duarum recitationum gratiam fecerunt. Nimiis autem vigiliis & laboribus enecato, eodem anno febris maligna per ſex menſes longioris vitae ſpem praecidit. Narrat auctor vitae Carteſii, noſtrum hortatu amicorum, qui, ei coelibem vitam agenti, perſuaſerant matrimonium ineundum, illudque recuperandae priſtinae ſanitatis unicum remedium ſupereſſe, virginem honeſtam thori ſociam ſibi elegiſſe; verum ipſo nuptiarum die menſae adcumbentem, male habere ſe ſentientem, in lectum deportatum, brevi poſt ſcilicet XVI Martii MDCXXXIX anno aetatis XLI obiiſſe. In quo tamen fallitur Bailletus; duas enim habuit uxores, prima fuit Anna Vivien, poſteriorem Annam Velthuſiam matrimonio ſibi junxit die XXI Octobr. anno MDCXXXVIII. neque obiit XVI Martii; Aemilius enim eum oratione funebri laudavit XV. Kal. Apr. ſive die XVIII Martii, & quidem poſtridie exſequiarum. obiit itaque VIII vel IX Martii anni MDCXXXIX. certe ex rationibus Eccleſiae majoris conſtat ſonitu campanarum mortem ejus Trajecti defletam eſſe die X Martii; inter ſecundum igitur matrimonium & mortem ferme quinque menſium ſpatium interceſſit. Vidua ejus poſtea ad ſecunda vota tranſiit, ac nupſit cuidam Adriano van Tyell, qui Gorinchemi habitabat, uti mihi indicavit celeb. Drakenborchius. Cadaver optimi hujus Profeſſoris in templo majori conditum eſt, funerique adfuerunt omnes Magiſtratus & Profeſſores, & poſtridie Oratio habita ab Antonio Aemilio, qua egregiis enco-

comiis merita Renerii poſteritati commendavit. In qua oratione quum Aemilius Carteſium *noſtri ſeculi Atlantem & Archimedem unicum* adpellaſſet, bilem movit Gisberto Voetio, uti infra in Voetio videbimus. vid. Baillet. vit. Cartes. lib. v. cap. II & III.

Praeter diſſertationes quasdam Academicas, nulla ſcripta poſteritati reliquit.

RODENBURGIUS (CHRISTIANUS) Trajecti XXVI Junii an. MDCXVIII. natales ſortitus eſt, patre Johanne & matre Gertrudi Bor progenitus. Patrem admodum puer amiſit, & traditus fuit curae avunculi Petri Borrii, primo judicii civitatis patriae a ſecretis, deinde Senatoris & Judicis urbani, quem Thaletem ſuum, & a cujus manu atque inſtitutione ſe profectum eſſe, gloriatur in praefatione ante tractatum de Jure conjugum, & ad quem exſtat epiſtola Barlaei XXII. Avunculus ejus major fuit Petrus Borrius celeberrimus ille Hiſtoriarum Belgii conditor, uti patet ex carmine, quod noſter juvenis XVIII annorum compoſuit ante tomum ultimum Hiſtoriarum Borrii. Studiis ex voto abſolutis, & Juris utriuſque Doctoris titulum adeptus, primo ad petitionem & rogationem dicti avunculi Petri Borrii judicibus urbanis a ſecretis, ei, ut in illo munere vicariam operam praeſtaret, adjungitur, uti legitur in actis noſtrorum Magiſtratuum XV & XXIII Martii MDCXLII. Poſtea ſcilicet XXVII Martii MDCXLIII. ipſe a tabulis, & die XXV Maji an. MDCXLIX. inter Senatores ſupremi tribunalis adlectus, ſumma cum integritate munere illo functus eſt. & tanta juris ſcientia excellebat, ut anno MDCLIV. nomine Ordinum generalium in Angliam ſit miſſus, controverſiarum inter ſocietatem Indiae Orientalis Angliae & Belgii dirimendarum

rum cauſa. Ex Anglia redux XXVI Septembris ejuſdem anni, quae ibi geſſit, in conventu Ordinum noſtrorum enarravit. Anno MDCLVII nomine civitatis patriae judex ſedit in conlegio, quod nomine *Chambre demi partie* in annalibus patriis notiſſimum eſt. Canonicus Eccleſiae D. Petri Trajectenſis VIII Februar. an. MDCLIX in principem ſeu Electorum ordinem adſcitus eſt, & dignitatem Decani conſecutus XXI Septemb. an. MDCLX, variis muneribus et honoribus optime pro republica geſtis clarus exſtitit. Fuit enim extra ordinem ſupremi dicaſterii Senator, & ad conlegium Ordinum generalium, ut & ad Conſilium ſtatus Belgii delegatus; ita ut merito celeberrimus Graevius Orat. in L Acad. Traject. natal. *non tantum ſcriptis, ſed & maximis honoribus, quibus functus eſt, inluſtrem* pronuntiet. Duas duxit uxores, priorem Mariam de Goyer die IV Maji anno MDCXLI quibus nuptiis gratulatus eſt Kinſchotius lib IV. Poemat. p. CCV. alteram Gertrudem Gelon anno MDCLIII. Obiit vero vir egregius XVIII Januarii an. MDCLXVIII.

Hunc *tam Juris civilis, quam ejus, quod nobis patrium eſt, peritiſſimum* pronuntiat vir inluſtriſſimus, ſingulare ſupremi Tribunalis decus & ornamentum, Guilielmus van der Muelen Annot. over de Ordonn. der Stad Utrecht rubric. XXII art. VII. no. XIV. Edidit.

Tractatum de Jure conjugum, in quo de viri in uxorem poteſtate, eorumque obligationibus, mutuis gratificationibus, bonorum communione, pactisque dotalibus, illuſtriores controverſiae ad uſum fori patrii vicinarumque regionum expenduntur, cum tractatione praeliminari de Jure quod oritur ex ſtatutorum vel conſuetudinum diſcrepantium conflictu. Trajecti MDCLIII. 4. In octavo quoque Ant-

verpiae prodiiſſe memorat Graevius, qnam editionem inſpicere non licuit. magni vero hic Tractatus ſtilo terſiſſimo ſcriptus, hodie fit a cauſidicis noſtris. Memorabile quoque eſt, quod duo viri nobiliſſimi ex equeſtri ordine Gerardus de Reede de Drakeſteyn & Gerardus de Reede de Renswoude, Rodenburgio hunc foetum carmine gratulati ſint, quo inſigni exemplo evidentiſſime patet, politiores & elegantiores literas eo tempore minime neglectas, ſed a viris primariis magis quam hoc ſeculo excultas fuiſſe.

Rodenburgii ope & conſilio ſe adjutum in concinnandis libris de Auctionibus teſtatur Matthaeus in praefatione, ubi & epigramma Rodenburgii conſpicitur. Sic & carmen compoſuit in commentarium ejusdem Matthaei de Criminibus, unde conſtat non infelicem Poëtam fuiſſe.

RÖELL (HERMANNUS ALEXANDER) Natus eſt anno MDCLIII in praedio Dölberg, ſito in Comitatu Marcano Weſtphaliae prope Unnam, patre Johanne, Domino in Dölberg, qui per omnem aetatem militiam ſecutus anno MDCLVI alae equeſtri praefectus obiit, & matre Eliſabetha Bruggemans, quae anno praecedente MDCLV fatis conceſſit. Optimis itaque parentibus in tenerrima aetate orbatus, tutorum curae traditur, & ab iis, hauſtis in urbe Unna utriusque linguae fundamentis, ad inluſtre Gymnaſium urbis Hammonae ablegatur, ubi celeberrimi nominis Philoſophum Abrahamum Gulichium, Philoſophiae & Eloquentiae praecepta docentem, & Adrianum Pauli, linguae ſanctae cognitionem profitentem, audivit, tantaque animi contentione ſtudiis incubuit, ut anno MDCLXX ſub praeſidio optimi praeceptoris Gulichii diſſertationem *de Studio Mathema-*

matico Philoſophiae praemittendo defenderit. Relicto eodem anno hoc Gymnaſio, Trajectum deſcendit, ut beatae memoriae avo meo Franciſco Burmanno, ſacras literas non ſine eruditionis & pietatis fama interpretante, praeceptore uteretur. Ubi cum tuto propter adpropinquantem infenſo animo Galliae Regis militem commorari non poſſet, Groningam tetendit, ut Jacobo Altingio celeberrimo Theologo adhaereret; verum hoſtiles copiae, huic urbi quoque extremam ruinam minitantes, Groningam & totum Belgium deſerere coegerunt. Suſcepto itaque in Germaniam itinere, Bremae, Marpurgi & Heidelbergae aliquantulum ſubſtitit, & eruditiſſimos Theologos, qui iis in locis docebant, ſibi faventes & amicos reddidit. Dein Helvetios adiit, & ex Heideggeri, Mylleri & Suiceri praeceptis rerum divinarum uberrimam ſcientiam ſibi comparavit. Quibus anno MDCLXXIV valedictis, patriam repetiit, & per biennium Hammonenſe Gymnaſium frequentavit, quod celebre eo tempore reddebat Theologus conſummatiſſimus Wilhelmus Momma. Inde iterum Trajectum deſcendit, ut ſub auſpiciis beati avi finem Academicis ſtudiis faceret, ejusque per annum & dimidium ſedulus auditor fuit. Tandem Leidenſem Academiam quoque inviſendam exiſtimans, ibi per aliquot menſium moram Spanhemium, Wittichium, Le Moyne & Hulſium audivit. Ex praecipuorum itaque Theologorum, quibus ea aetate eccleſia noſtra fulguit, praeceptis quum animum coeleſti doctrina inbuiſſet, in patriam revertitur. Ubi vix pedem figerat, quin a Colonienſibus in paſtorem eligatur; verum adverſa valitudine inpeditus fuit huic eccleſiae operam, quam addixerat, praeſtare. A morbo illo, qui eum per ſesquiannum fere pedem vix

domo efferre permiſerat, liberatus, ab Eliſabetha Frederici Bohemiae Regis filia Abbatiſſa Hervordienſi, ut ei a ſacris eſſet, evocatur. Quod munus ad mortem optimae Principis, quae incidit in annum MDCLXXX, exercuit, eaque defuncta Bremam ſeceſſit, ubi per ſex menſes privatis ſtudiis mentem divinis ſcientiis altius excoluit. Quibus peractis, expetitus eſt ab Albertina Principe Arauſionenſi, Wilhelmi Naſſavii Principis Friſiae Gubernatoris vidua, ut ipſi a concionibus eſſet, ibique per biennium aulici praeconis partes ſuſtinuit. Deinde in urbem Daventriam lares tranſtulit, ubi ad annum MDCLXXXVI Eccleſiaſten egit, quo ad Franequeranam Academiam tranſlatus eſt. Quum enim anno MDCLXXXV. Friſiae Academiae Curatores Philoſophiae ordinariam profeſſionem ei demandaſſent, conditionem abnuit, neque accepit, niſi extra ordinem Theologiae profeſſione ei quo que oblata; quam tamen ante inaugurationem ordinariam declararunt. Stationem Franequeranam cum Trajectina commutavit, luculentis & maxime honorificis conditionibus ad Theologiam noſtra in Academia profitendam XI Junii an. MDCCIV vocatus; quam ſpartam ad annum MDCCXVIII exornavit, quo XII Julii Amſtelaedami obiit anno aetatis LXVI. Uxor ei fuit Cornelia Bailli, quae cum lautiſſima dote numeroſa eum prole beavit, cujus tres tantum ſuperſtites hodie ſunt, Johannes Alexander J.U.D. qui per aliquot annos in inluſtri Gymnaſio Daventrienſi Jus civile titulo Profeſſoris interpretatus eſt, nunc vero hic Trajecti ſibi, Muſis, & amicis vivit, vir omnium qui literas & morum honeſtatem amant, aeſtimatione dignus; Sara nupta Danieli Schorer, patricio Medioburgenſi; & Wilhelmus Medicinae Doctor, qui Amſtelaedami

Ana-

Anatomen publice docet. Vidua vero obiit XVI. April. an. MDCCXXXVII.

Fuit certe ſine controverſia ſummus Philoſophus & Theologus. An vero ſingulari opinione *de Generatione Filii Dei & Morte temporali fidelium*, meruerit inter haereticos adſcribi, Theologis diſceptandum relinquimus.

Errorem Röellii *de Generatione filii Dei* ortum ex dogmate Carteſii *nihil verum eſſe, niſi quod clare & diſtincte percipi poſſit*, oſtendere conatur Ludewig de Philoſophis caute legendis cap. I. §. VII. tom. II. Opuſcul. pag. DCXXXIX. ubi illum vocat *virum ingenio acutum, judicio acrem, in dicendo promptum, ſuavem ac facilem*. Symbolum, quo uſus eſt, exhibet Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XI. pag. CXLVI.

Scripta ejus ſunt:

Oratio Inauguralis de Religione rationali. Franeq. MDCLXXXVI & non MDCLXXXV, uti Fabricius de Scriptor. Relig. Chriſtian. c. XXIV p. CCCCXCVII, quam poſtea edidit titulo *Diſſertationis de Religione rationali* Franeq. MDCC. Traject. MDCCXIII. 8. vid. Act. Erudit. Lipſienſ. an MDCCII pag. CCCLXII. & editionis quintae Herbornae an MDCCV in 8. meminit Fabric. d. l. cap. XX pag. CCCCLXVI. In linguam Belgicam quoque verſa eſt. Hunc libellum de Religione rationali *elegantem & pereruditum* vocat Heumannus de Libr. Anonym. & Pſeudon. p. I. cap. II. §. V. Celeb. van Til Biblioth. Theol. ſelect. pag. CVII. haec de eo ſcribit: *Eſt amicus noſter Philoſophus ſubtiliſſimus, multaque habet cognitu utilia, licet, ſalva amicitia, etiam intercedant, quibus calculum noſtrum non adjicimus. Prudenter itaque legendus eſt, & cavendum a Philoſophia, quotieſcumque philoſophemata*

ſugillant revelata. Evidentia enim revelationis debet nos revocare ad dubitationem in ratiociniis.

Examen breve poſitionum XII. *viri ampliſſimi Ulrici Huberi.* Franeq. MDCLXXXVII. 4.

Vindiciae examinis brevis poſitionum XII *Cl. viri Ulrici Huberi, oppoſitae ejus Strictturis, quibus mala ejus fides & calumniae demonſtrantur & refelluntur.* Ibid. MDCLXXXVII. 4. quae duo ſcripta recenſentur in tom. VI. Biblioth. Univ. & Hiſt. pag. CCCCLXXXIV & D.

Theſes Theologicae de generatione Filii, & morte fidelium temporali. Franeq. MDCLXXXIX. 4. quibus editis adverſarios nactus eſt ſummum Theologum Campegium Vitringam, plurimosque alios, qui variis diſſertationibus opinionem Röellii inpugnarunt. Hinc noſter anno MDCLXXXIX & MDCXC binas iterum evulgavit diſſertationes Theologicas de eodem argumento, oppoſitas Cl. Vitringae de eadem materia diſſertationibus. Johannes David Brugmannus Weſtphalus conſcripſit Diſſertationem Theologicam in novas quorumdam Clariſſ. Batavorum Röellii & Rhenferdii de morte temporali hypotheſes inquirentem Lipſiae MDCCIV habitam & editam, & poſtea anno MDCCV Franequerae recuſam in 4. quam commendat Crenius Animad. Philol. & Hiſtor. part. XVIII p. CLIV.

Kort en eenvoudig berigt van het verſchil over de geboorte des Zoons, en tydelyke doot der geloovigen. MDCXCI. 4.

Diſſertationes Philoſophicae de Theologia naturali duae, de Ideis innatis una Cl. Gerardi de Vries diatribae oppoſita. Franeq. MDCC. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Aug. MDCCII.

Oratio funebris de vita & morte Philippi Matthaei, hono-

Het kerkelyke Oordeel, waar door eenige Meeningen van de vermaarde
Heere Alex. Röell in de Synoden veroordeelt zyn; Gepresen van de
Professooren der Godgeleertheid in de Hollandsche Academie te Leiden
uit het Latyn in het Neerlands vertaelt door H. W. [illegible]

honorarii Medicinae in Academia Friſiorum Profeſſoris. MDCCI.

Oratio inauguralis habita Trajecti de Theologia, & Theologiae ſupernaturalis prae naturali praeſtantia. Traj. MDCCIV. 4. quae & in linguam Belgicam verſa prodiit.

Commentarius in principium Epiſtolae Pauli ad Epheſios, quo etiam continetur demonſtratio divinitatis ſcriptorum Pauli. Traject. MDCCXV. 4.

Commentarii in Epiſtolam S. Pauli ad Epheſios pars altera, & brevis epiſtolae S. Pauli ad Coloſſenſes exegeſis, opus poſtumum. Traj. MDCCXXXI. 4. ubi praefixa legitur praefatio filii Dionyſii Andreae, Theologiae & Philoſophiae Doctoris, & in Gymnaſio Daventrienſi Philoſophiae Profeſſoris, & deinde civitatis Daventriae Conſulis, in qua famam parentis vindicat a calumniis Fruterii verbi divini miniſtri Roterodamenſis.

Explicatio Catecheſeos Heidelbergenſis. Traj. MDCCXXVIII. 4. qui liber poſtumus ab eodem Dionyſio Andrea eſt editus.

Praeterito anno prodiit ejus *Exegeſis in Pſalmum LXXXIX opus poſtumum.* Duisburgi 8.

Edidit & *Gulichii Analyſin & Compendium librorum Propheticorum antiqui & novi foederis.* Amſtel. MDCLXXXIII. 4. & de vita Gulichii laborioſa & moribus optimis, alibi plura ſe dicturum promiſiſſe Röellium, refert Mayerus in Biblioth. Biblica Diſſert. VIII. num. XV.

Eenige uytgeleezene Leerredenen van Antonius Rouſe in zyn leeven Predikant te Maſtricht, quibus prae-

fa-

ſationem praemiſit, in qua de Paſtorum Doctorumque munere diſſerit. MDCCII. 4.

Ut & *Prophetiam Zachariae explicatam a viro* Cl. *Tzatmar Nemethi*, cui amplam *de Sermone Prophetico* diſſertationem praemiſit. MDCCXIV.

Varias quoque conſcripſit Diſſertationes Academicas, quas recenſent eruditi Bibliothecae Bremenſis editores Claſſ. II. Faſcic. IV, unde pleraque haec excerpſimus. vid. & Nova Literar. Lipſienſ. an. MDCCXVIII p. DCXXVI.

ROSWEIDUS (HERIBERTUS) celeberrimi nominis Jeſuita natus eſt Trajecti. XI Kal. Febr. an. MDLXIX. vigeſimum aetatis annum agens ſocietati Jeſu nomen dedit. Philoſophiae ſtudiis Duaci incubuit, quam deinde, ut & ſacras literas ibidem & Antverpiae profesſus eſt. Deinde luſtratis plerisque Belgii Academiis ad ſcribendum ſe adplicuit, & antiquitatum eccleſiaſticarum peritiſſimum oſtendit. Licet vero acerrimus avitarum ſuperſtitionum fuerit vindex, & ſcriptores, qui ab eo diſſentiebant, & purioribus ſacris nomen dederant, non ſatis benigne & humaniter tractet, ſed ubique traducat, debita tamen laude non fruſtandum exiſtimo; humanioribus enim literis quam maxime inbutum, & omnis aevi, praeſertim medii, monumenta, & inprimis ſacra, indefeſſo labore perveſtigasſe, luculenter probant ejus ſcripta, quibus nomen inter eruditos meruit. Ita ut merito Scriverius ad Martialem II, LXXXV *virum ſpectatae diligentiae & eruditionis* vocet; & Gouthoeven Chron. part. I. p. CCXXV. *Heribert Rosweide een van de geleerſte der Jeſuyten in de Nederlanden, zo in de Griekſe als Latynſe tale.* & Cl. Graev. Orat. in L Acad. Traject. nat. *Societatis Je-*

Jeſu Sacerdotem doctiſſimum pronunciet. Inſigni elogio eum mactat Sweertius in Epiſtolis Camdenianis p. CXLVII. a Barthio lib. XIV Adverſ. cap. ult. dicitur *doctiſſimus & clariſſimus vir.* & lib. XXXI Adv. cap. XIII. *Eruditiſſimus, praeclare de bonis literis meritus hactenus & mereri etiam porro ſtudens.* ab Oudino de Scriptor. Eccleſ. tom. I. pag. DCCCCXX. *vir eruditus, ſed cui otium non ſufficiebat, ideoque coactus ſaepe ſtudiis & curis aliorum uti.* tom. II. pag. DCCCCXCVII. *vir praeclare de literis ob inſignia opera, quae in lucem edidit, meritus.* & tom. III. p. 2547. *Theologus doctiſſimus ſocietatis Jeſu.* a Fabricio Tom. III. Biblioth. Latin. lib. IV. cap. III. p. DIII *vir pius & eruditus.* Multum vero de Rosweido conqueritur Baudius cent. II. Epiſt. LXXV. Obiit Rosweidus Antverpiae V Octobr. MDCXXIX, aetatis LX, uti Bollandus in epiſtola, quae reperitur inter Voſſianas CCCCLXXI, nuntiat.

Scripta ejus ſunt:

Faſti Sanctorum cum actis praeſidialibus Sanctorum Taraci, Probi, & Andronici. Antverp. MDCVII. 8. continet vero ſpeciem & delineationem operis, quod moliebatur *de vita Chriſti, ac B. Mariae Virginis, Sanctorumque*, quod tomis XVIII conſtaret, & notat celeberrimus Fabricius tom. IX Biblioth. Graec. p. XXX ex Ittigio de Bibliothecis Patrum, quod, cum hanc ſciagraphiam conſpexiſſet Bellarminus, rogaverit, qua aetate eſſet, qui haec tanta promitteret? & quum didiciſſet quadraginta jam annos natum eſſe, porro quaeſiverit, illine ſit exploratum victurum ſe adhuc ducentos annos? tantum enim temporis requiri ad illa pro dignitate digerenda & elaboranda. Eventum vero huic ſententiae reſpondiſſe patet, quod ultra ſeculum elapſum ſit, quo poſt Rosweidi obitum Bollandus, Pa-

pebrochius aliique in edendis Vitis Sanctorum operam dederunt, & nondum ad umbilicum pervenerunt.

Diſputatio de fide haereticis ſervanda ex decreto Concilii Conſtantienſis cum Daniele Plancio Scholae Delphenſis moderatore, in qua quae de Huſſo hiſtoria eſt, excutitur. Antv. MDCX. 8.

Notationes in vetus Martyrologium Romanum & Martyrologium Adonis ad MSS. recenſitum. Ibid. MDCXIII. Fol. & Paris. MDCXLVI. & in Bibliotheca Patrum tom. XVI edit. Lugdun. an MDCLXXIX. notas has *eruditas* vocat Labbaeus de Scriptor. Eccleſ. t. I p. XII. Valeſius in editione Euſebii Hiſtor. Eccleſ. ſubjecit diſſertationem de *Martyrologio Romano*, *quod edidit Rosweidus*, in qua contra eum probare conatur, nullum unquam fuiſſe proprium ac particulare Martyrologium eccleſiae Romanae ante illud, quod juſſu Sixti quinti Papae Romani eſt editum, & adnotationibus Baronii inluſtratum; & Martyrologium non Romae, ſed Aquilejae compoſitum, totumque fere deſcriptum ex eccleſiaſtica hiſtoria Rufini Presbyteri Aquilejenſis, cum ipſis etiam mendis quae in Rufino exſtant.

Johannis Moſchi Pratum Spirituale cum notis. Ibid. MDCXV fol.

Vitae Patrum, ſive de vita & verbis ſeniorum libri decem, hiſtoriam Eremiticam complectentes, auctoribus ſuis & nitori priſtino reſtituti ac notationibus illuſtrati: accedit Onomaſticon rerum & verborum difficiliorum cum multiplici Indice. Ibid. MDCXV. Lugduni MDCXVII & auctius Antverp. MDCXVIII fol. vid. Poſſevini Apparat. Sac. t. I. p. DCCXXXV. quam poſteriorem editionem ad an. MDCXXVIII. referunt Labbaeus de Script. Eccleſiaſt. t. I. p. CCCCXLVIII. ubi *Onomaſticon* hoc vocat *eruditiſſimum*:

&

& Fabricius tom. IX Biblioth. Graec. lib. v. cap. XXXII, ubi praeclarum hoc opus recenſet p. DCXXI. ut & Lipenius Biblioth. Theol. pag. DCXXI. Continet vero hoc *Onomaſticon* medii aevi, ut & rituum, eruditiſſimam explicationem.

Vindiciae Kempenſes pro Thoma de Kempis, auctore libri aurei de Imitatione Chriſti adverſus Conſtantinum Cajetanum Abbatem S. Baronti ordinis S. Benedicti. Ibid. MDCXVII. 12. & juxta Lipenium Biblioth. Theolog. t. II p. CLXV an. MDCXXII. & ejus recenſione *Thomae a Kempis de imitatione Chriſti libros* prodiiſſe MDCXVI. 24. ſcribit Draudius Biblioth. Claſſ. tom. I. pag. CCCXXX.

Lex Talionis XII *Tabularum Cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dicta, retaliante Rosweydo.* Ibid. MDCXIV. 8. ad annum MDCXV refert Fabricius tom. XII Biblioth. Graec. p. CLXXV.

Contra hunc librum Jacobus Capellus defenſionem Caſauboni in ſe ſuſcepit, & edidit *Vindicias Caſaubonianas contra Rosweydum* Sedani MDCXIX. notante Zeltnero in Theatro erudit. viror. qui ſpeciat. Typogr. laudab. oper. praeſtit. p. CX.

Contra Capellum ſcripſit Rosweidus *Anti-Capellum, ſive exploſionem naeniarum Jacobi Capelli, quas funeri Iſaaci Caſauboni ad Legem* XII *Tabularum in Vindicis ſuis accinuit.* Antv. MDCXIX. 8. cui Capellus obpoſuit librum, cui titulus: *Aſſertio bonae fidei adverſus praecipuas Heriberti Rosweydi ſtrophas, ſeu artes Romanae ſedis, Jacobi Capelli notis in Her. Rosweydi Jeſuitae librum de Fide haereticis ſervanda delineatae.* Sedani MDCXIX. 8. & reſpondit Rosweydus libro, cui titulus: *Syllabus malae fidei Capellianae excerptus ex Jacobi Capelli mendaci adſertione bonae fidei, & fi-*

ctis artibus Romanae ſedis pro Anti-Capello ſuo, & diſſertatione de Fide haereticis ſervanda. Ibid. MDCXIX. 8. juxta Valer. Andr. & Alegambe; Sweertius vero ut & Fabricius ad an. MDCXX referunt, Lipenius autem Biblioth. Theol. p. CCCCLXV ad an. MDCXXVI & p. DCXCII ad an. MDCXIX. Niceron tom. XXII Memoir. des Homm. Illuſtr. &c prodiiſſe anno MDCXXVI. 8. adfirmat, ſecutus Draudium in Biblioth. Claſſ. tom. I pag. CLXXII.

Edidit praeterea *Johannem Buſchium de origine Coenobii & Capituli Windesheimenſis.* Ibid. MDCXXI. 8. de quo videnda quae infra in Gulielmo Vorntken adnotabimus.

Eucherium Lugdunenſem de contemptu mundi & laude Eremi. Ibid. MDCXXI. vid. Labb. de Scriptor. Eccleſ. t. I p. CCXCV.

D. Paulini Epiſcopi Nolani opera cum notis amoebaeis Frontonis Ducaei & H. Rosweidi. Ibid. MDCXXII. 8. quam editionem laudat Labbaeus tom. II de Scriptor. Eccleſiaſt. p. CLXII. non tamen ſatis adcuratam exiſtimavit Petrus Franciſcus Chiffletius, notante Fabricio tom. III Biblioth. Latin. lib. IV cap. III pag. DIV. & Oudino de Scriptoribus Eccleſiaſt. tom. I p. DCCCCXX. repetita deinde eſt haec editio cura Johannis Baptiſtae Le Brun Paris. MDCLXXXIV. II. vol. 4. vid. Fabric. de Scriptor. verit. relig. Chriſt. p. CCXLVII. Act. Erudit. Lipſienſ. an. MDCLXXXV. p. CCCCLXXXII & Journal des ſcavans t. XVI p. CXVII. Muratorius vero in Analectis tom. I edidit quatuor *Paulini* poëmata quae deſunt prioribus editionibus.

Subpreſſo nomine evulgavit, *Vindicias inferiarum Juſti Lipſii contra Joſephum Scaligerum.* Ibid. MDCVIII. 8. vid. Placcii Theatr. Anonym. p. XLI & CCCLXXII. quas *Vindicias* anno MDCVI prodiiſſe adfirmat Alegambe.

Ma-

Maledicentiam ejus in Scaligerum notat Buchelius apud Matth. Syllog. Epiſtol. cxxvi.

Auctorem libri qui ſine nomine contra Baudium prodiit, ſuſpicatur Baudius Cent. II Epiſtol. xlvi.

Ejus epiſtola ſcripta Theodoro Cantero exſtat apud Matthaeum Syllog. Epiſtol. xv. variasque ejus ineditas literas ad Johannem Meurſium ſeniorem adhuc ſupereſſe teſtatur Morhov. I Polyh. xxv §. ix. ut et alias in Bibliotheca Gudii §xvi.

Epiſtola Puteani ad Rosweydum, qua de difficilibus quibusdam locis Gellii eum conſulit, habetur in Cent. I Epiſt. Puteani xvi. & Epiſtola Bruningii data Rosweido exſtat tom. II Syll. Epiſt. Burm. p. clxxxvi. & Lipſii ad Rosweidum Epiſt. Select. cent. iv Miſcell. Ep. xlii. & Centur. II. ad Belgas Epiſt. xxxvii. & Rosweidi ad Lipſium Syll. Burm. t. II p. cxl.

Lingua vernacula ſeu Belgica edidit *Vitas Sanctorum* Antverp. mdcxix. mdcxxix & mdcxli. II vol. fol.

Sylvam Eremitarum Aegypti ac Palaeſtinae cum figuris aeneis Bolswerdi. Ibid. mdcxix.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Chriſto ad Urbanum viii. Antverp. mdcxxiii. II. vol. fol.

Item *Hiſtoriam eccleſiae Belgicae*. Ibid. mdcxxiii. fol.

Vitas Sanctarum virginum, quae in ſeculo vixerunt cum imaginibus aereae ſculpturae, addito tractatu *de Statu virginitatis*. Ibid. mdcxxvi. & mdcxlii. 8.

Vitas S. Ignatii de Lojola & S. Philippi Nerei ex actis canonizationis.

In Belgicum ſermonem vertit *Alphonſi Rodriguez de Exercitio ſpiritualis perfectionis part.* I.

Item *Johannis Bourghesii meditationes de vita &*

paſſione Chriſti. Antverp. MDCXXIII.

Ut & *Thomae a Kempis libros de Imitatione Chriſti*, vid. Fabric. Biblioth. Med. & infim. Latinit. lib. x p. DCXXXIX. quos & Gallice vertit. vid. Ibid. p. DCXLI.

Elogia hujus viri nobis reliquerunt Ribaden. Biblioth. Jeſuit. pag. LXXXIX. Alegambe Biblioth. Scriptor. Societ. Jeſu p. CLXXVIII & CLXXIX. Valer. Andr. Bibloth. Belgic. p. CCCLXXV. Miraeus de Scriptor. ſeculi XVII cap. CLXXXVIII. Sweert. Athen. Belg. p. CCCXL. Bolland in Praefat. ante tom. I Act. Sanctor. & Witte Diar. Biograph. ad ann. MDCXXIX.

RYSSENIUS (LEONARDUS) Trajectinus, Theologiae operam dedit ſub Gisberto Voetio, cujus ſectae per omnem vitam acerrimus exſtitit vindex & propugnator. Theologiae lauream meruit, Doctorisque titulo inſignitus eſt. Anno MDCLV credita ei fuit eccleſia Tullenſis & Twaalenſis in dioceſi noſtra, unde anno MDCLIX. Heusdam abiit, quam, anno MDCLXVIII. Daventriam vocatus, reliquit. quumque Heusdani anno MDCLXXIV iterum in paſtorem elegiſſent, Daventrienſibus valedixit, & priori eccleſiae Heusdanae operam ſuam addixit, & circa finem ſeculi elapſi naturae debitum ſolvit.

Scripta ejus ſunt

De Ludo aleae MDCLX. 12.

Synopſis impurae Theologiae Remonſtrantium. Traj. MDCLXI. 8. cui additum eſt *Reſponſum ad epiſtolam Arnoldi Poelenburgii.*

Exercitatio de juſtificatione Patrum, & remiſſione peccatorum in veteri Teſtamento. Ibid. MDCLXVI. 8.

Synopſis Theologiae elencticae. Daventr. MDCLXXI. 12.

Diſſertatio Theologica, qua orthodoxa ſententia, quod fides

fides non ſit amor, oſtenditur & defenditur contra improbas criminationes tenebrionis Cephae Piſtophili ad celeberrimum Gisbertum Voetium. Traject. MDCLXXVI. 4.

Dootſtuypen der Carteſianen en Coccejanen. Ibid. MDCLXXVI. II vol. 4. cui ſe oppoſuit Petrus Allinga edito ſcripto, cui titulus: *Uytvaart van D. Leon. Ryſſeni verſtikt in zyn ingebeelde dootſtuypen der Carteſianem en Coccejanen* de. 4 [illegible] 1696. Ultrajecti.

Diſſertatio de Praedeſtinatione. Gornich. MDCLXXIX. 8.

Juſta deteſtatio ſceleratiſſimi libelli Adr. Beverlandi de Peccato originali. Ibid. MDCLXXX. 8.

Diſſertatio de Reformatione intenſive adaugenda. vid. infra in Schookio.

Nomine *Arnoldi Reyneſii* ſcripſit contra *Exercitationes ſacras M. Schookii*, ut in Schookio videbimus.

S.

SALDENUS (GUILIELMUS) In Dedicatione ante Otia Theologica facta magiſtratibus Trajectinis, ſe *Trajectinum nativitate, educatione, ſtudiorum inchoatione, continuatione & abſolutione*, gloriatur. In Academia patria Theologicis incubuit ſtudiis, praeceptoribus uſus Gisberto Voetio & Hoornbeekio, uti patet ex Voet. tom. II Disputat. Theologic. p. CCCIV. & ipſe teſtatur in Praefatione ante Otia Theologica, & de Libris legend. lib. II cap. III §. XII. Paulum Voetium quoque *praeceptorem ſuum benevolentiſſimum & fautorem* vocat de Libr. legend. lib. I. cap. I. §. V. Abſolutis ſtudiis Academicis, demandata ei fuit anno MDCXLIX cura eccleſiae in Renswoude, unde anno MDCLII vocatus ad eccleſiam de

de Cockenge noſtra quoque in dioeceſi, anno MDLV ad Enchuſanos migravit, ubi quum per novem annos paſtoris munus obiviſſet, Delfenſes eum ſibi vindicant anno MDCLXIV, & denique Hagam vocatus anno MDCLXXVII, ibi eccleſiaſtem egit ad finem vitae, qui ipſi contigit anno MDCXCIV. amiciſſimus ipſi fuit Witzius, uti ſcribit Lib. I. de Libr. leg. c. VII § IV. qui auctor fuit, ut Trajectini ei non roganti titulum Theologiae Doctoris tribuerent, teſtante Marckio Orat. Funebr. in Obit. Herman. Witzii. Laurea enim doctorali in Theologia a Senatu Academico ſine examine communibus ſuffragiis donatus eſt, vid. Dedicat. ante Otia Theolog. quod tamen contra Academiae leges factum eſt.

Scripta ejus ſunt:

Concionator Sacer. Hagae MDCLXXVIII. 12.

Exercitatio de jure Zelotarum. MDCVXXIII. quam ut majoris operis ſpecimen praemiſiſſe teſtatur in ſermone praeliminari ante Otia Theologica, quae poſtea inſerta Otiis Theologicis.

Ejus eſt ſub nomine *Chriſtiani Liberii Germani* βιβλιοφιλία, *ſive de ſcribendis, legendis & aeſtimandis libris exercitatio paraenetica.* Traj. MDCLXXXI. 12. quo libello πρόγευσμα majoris operis dare voluit, quod ſuo deinde nomine Amſtelod. MDCLXXXVIII. 8. *de Libris, varioque eorum uſu & abuſu* vulgavit, vid. Placc. de Script. Pſeudon. p. CCCCXVIII. & Lipſienſ. Act. Erudit. MDCLXXXVIII. Octobr. In quo libro pag. CXXIV. male poſuit, quod Carneades a Clytomacho obſcurus dictus fuerit, ut nunquam percipere ſe potuiſſe adfirmaverit, *quaenam ſcriptoris ejus mens ſenſusque fuerit*, ideo reprehenſus a Baelio in Lexico t. II. p. LXIV. quod locum

cum Ciceronis, unde haec hauſit, non bene inſpexerit, ſed apud alium ſcriptorem adductum deſcripſerit, undeſaepiſſime errores naſcuntur: eumque ipſa loca veterum ſcriptorum, quos adducit, non legiſſe, ſed ab aliiis citata produxiſſe, ideoque ſaepius erraſſe, probat idem Baelius in Lexico variis in locis, vid. & t. II p. CXVIII, & vocat eum *le bon Mr. Saldenus.* neque benigne de hoc labore ſenſit Jacobus Gronovius, cujus verba exhibet Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. x pag. CLXXII. magis hiſtorice de librorum copia & multitudine, quam ſecundum morum praecepta, Saldenum egiſſe judicat Stollius Introd. in Hiſtor. Literar. part. I. pag. VII.

Otia Theologica. Amſtelod. MDCLXXXIV. 4. recenſent Lipſienſes Act. Erudit. Novemb. MDCLXXXIV. continent haec *Otia* quatuor libros, quibus variae diſſertationes exhibentur. Libro I. *de Auctore Pentateuchi: de Potu Zelotypiae: de Canis pretio: de Calculo albo: de Surculo in carne Pauli.* libr. II. *de Mundi natali: de Protoplaſtis: de Typorum veteris Teſtamenti uſu & abuſu in horto Edenis pars prior: de Fratricidio Caini: de Polygamia veteris Teſtamenti: de Juda Iſcariote.* Lib. III. *de Haman: de Hebraeorum* כרות. *de libri Eſther divinitate: de Eunuchis: de Sadducaeis & Phariſaeis: de Horto Edenis pars poſterior.* Libr. IV. *de Jure Zelotarum: de Mendicantibus in Iſrael: de Parabolis Euangelicis: de Publicanis: de Loco nativitatis Chriſti.* vid. le Long Biblioth. Sac. t. II. p. DCCCCXXXIX. laudare haec *Otia* Witzium notat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. VIII. pag. XLVII. varia continere lectu non inutilia teſtatur van Til Biblioth. Theol. Select. p. CIII.

Saldeni ut & Petri de Witte cura prodiiſſe Joh.

Hoornbeeckii Miſcellanea Sacra ſupra in Hoornbeekio adnotavi.

Belgica lingua varia conſcripſit, ut

Ongevoeligheid des herte omtrent de geeſtelyke zaken. MDCLXI, qui liber dignus, ut in Latinam linguam vertatur, dicitur a Voetio de Exercit. Pietat. cap. XXXIV § VIII, notante Crenio Animadv. Philol. & Hiſtor. part. VIII pag. XLVI.

Weg des Trooſtes. Utr. MDCLXII. Laudat hunc libellum van Til Biblioth Theol. Select. pag. LXII.

Kragt des H. Avondmaels. MDCLXIV.

Weg des leevens. MDCLXV.

Klagten der Heyligen.

Leeven uyt de doot. MDCLXIX.

Droevige ſtaat eens Chriſtens.

Een Chriſten vallende en opſtaande.

Toetſteen van een Chriſtens oordeel.

Eens leeraars hoogſte wenſch.

Pauli nederigheid.

Kinderſchool. Delft MDCLXXIII. qui forte libellus eſt, quem ad prima veritatis pietatisque elementa tenerae juventuti ſimpliſſimo modo inculcanda, ſcripſiſſe, & de quo contemptim judicaſſe Jacobum Coelmannum teſtatur ipſe de Libr. leg. II. cap. II. §. I.

Hi libri omnes in duodecimo prodierunt.

Sub titulo *Deſiderii Pacii* edidiſſe *Zeedig verzoek aan Juffrouw Anna Maria Schurmans* ex Placcio notat Moller. Iſagog. ad Hiſtor. Ducat. Sleswic. & Holſat. part. II cap. V § ult.

Vid. & Lipſienſ. Act. Erudit. an MDCLXXXVI p. C. & CI. *Cet Auteur avoit du jugement et du sçavoir. Dict. Caen.*

SARCERIUS (REINERUS) Hic licet Solmondae in

in agro Comitatus Burani an. MDXL natales debeat, commemorandus, cum per viginti annos ſcholae Hieronymianae praefuerit, & ex ejus diſciplina Henricus & Adrianus van der Burchii, Heribertus Rosweydus aliique viri docti, prodierint. Rectoris munere functus eſt ad annum MDLXXXVI, quo repurgatis ſacris, illi avitarum ſuperſtitionum tenaciſſimo miſſio data, uti ex ſchedis Adriani van der Burch docet Matthaeus tom. III Anal. p. CCCCXLIII. ad mortem tamen usque, quae contigit anno MDXCVII, Rectoris nomen retinuiſſe ſuſpicatur vigilantiſſimus Reitzius Orat. de Orig. Gymn. Hieron. in addend. In ejus mortem Hadrianus van der Burchius hos luſit verſus, qui extant in ejus Funeribus p. IX.

Fle ſchola Sarcerii mortem, vos & ſtudioſi
Illum, qui vobis gymnaſiarcha fuit.
Qui pueris acri ſtudio, atque labore praeivit,
Quem morum probitas extulit & pietas.
Occidit ille tamen, nec ei fera Parca pepercit,
Aſt vitae in medio ſuſtulit e medio.
Praemiſſum, non amiſſum, ſibi crede juventus,
Calcanda eſt lethi cuilibet iſta via.
Tu quoque, quando dies aderit ſuprema, ſequeris,
Nec quisquam a mortis vulnere liber erit.
Immenſi donec ſolvatur machina mundi,
Terminet & mortem mors fera morte ſua.

Scripta ejus nomine edita ſunt:

De Amicitia Ode tricolos triſtrophos ad Martinalia Hieronymianae ſcholae auditoribus praecinenda. MDLXXIX. 4.

Elegia ſcholaſtica de Cruce ſeu adflictione perferenda MDLXXXII. 4.

Elegia ſcholaſtica ſeu commendatio laboris. MDXCI. 4.

Laus Aurorae, qua juventus ad ſtudium matutinum invitatur. MDXCIII. 4.

Vid. Valer. Andr. Biblioth. Belgic. p. DCCXC.

SCHOOKIUS (MARTINUS) natus die I April. MDCXIV. patre Gisberto & matre Johanna a Voorſt civibus Trajectinis. Johannes Voetius Oratione in obitum Andreae Eſſenii eum inter Bommelanos refert. Cl. vero Drakenborchius in ſerie Profeſſorum poſt Orationem Panegyricam in natal. ſecul. Acad. Traj. Trajectinum facit. Forte Bommelae natus eſt, & puer Trajectum cum parentibus migravit. Prima literarum fundamenta poſuit ſub avo materno Antonio a Voorſt, viro erudito ſed coeco. Deinde traditus eſt in diſciplinam Antonii Aemilii, & anno MDCXXIX in Academiam Franequeranam miſſus, ibi Joh. Hachtingium in Philoſophia, Adrianum Metium in Matheſi, Guielmum Ameſium, Johannem Maccovium & Mainardum Schotanum in Theologia, praeceptores habuit. Ameſium praeceptorem vocat in Praefat. Exercit. Var. & Exercit. I § VI. IX § VIII. & XXI § IV. Maccovium praeceptorem laudat Exercit. XXVII. § VII. Licet enim a conſanguineis, Remonſtrantismo profunde inmerſis, in Academiam ablegatus eſſet, ut Juri operam daret, & ipſi ut juris ſtudioſo libros juridicos miſiſſent, ille eos clanculum cum Theologicis permutavit, & omnes cogitationes ad commodum & decus eccleſiae ab anno decimo quinto aetatis compoſuit, nulli niſi Theologico ſtudio privatim vacans, ſolique Dei providentiae inputans, quod poſtea Philoſophiam docuerit, uti ipſe teſtatur in Praefatione de Bonis Ec-

eleſ.

cleſ. Per tres annos Franequerae ſubſtitit, inde Leidam abiit, ubi Burgersdicium Philoſophiam & Walaeum Theologiam docentes audivit. Anno MDCXXXII inluſtri Gymnaſio in noſtra urbe erecto, domum rediiſſe videtur; nam menſe Octobri & Novembri d. a. duas diſſertationes *de Indulgentiis* praeſide Voetio defendit, uti conſtat ex Voet. tom. II Diſputat. Theolog. pag. CCLXXXVI & CCXCI. deinde ſcholas privatas aperuit, inſtitutis Philoſophicis & Theologicis conlegiis, unde a Saldeno de Libr. Leg. lib. II cap. III § XII *juvenis anno vigeſimo aetatis Profeſſor creatus* dicitur. in quo errat Saldenus, nam XXI Decembris MDCXXXV ei quidem conceſſa facultas exercitia oratoria, & collegium oratorium habendi, & in nova Academia anno MDCXXXVI primus fuit, cui honores in Philoſophia delati, ea de cauſa dono quod fere LX florenos valebat, a magiſtratibus noſtris honoratus; verum non niſi XI Julii MDCXXXVIII ei extra ordinem demandata profeſſio humaniorum literarum cum ſalario trecentorum florenorum. & quum eodem anno a Daventrienſibus vocatus eſſet ad profeſſionem Hiſtoriarum & Eloquentiae, operam ſuam obtulit magiſtratibus noſtris, modo tantum honorarium darent, quantum Daventrienſes promiſerant; verum illi honeſtam miſſionem dare decreverunt, ne multitudo Profeſſorum eis oneroſa eſſet, uti ſonant ipſa decreti verba XII & XIII Octobris d. a. quod aegre tulit Schookius, eoque adludere credo verba, quae exſtant de Bon. Eccleſ. ſect. IV cap. XXI ubi dicit: *Provincia Trajectina alias felix, neſcio quo fato tamen peregrinis plus aequo addicta.* & in Praefatione ante Exercit. Var. § XVI ſcribit *ſe in patria per plures annnos ſine ſua culpa negligentiſſimum.* canina ſua mordacitate inviſum Trajectinis Daventriam

migraſſe ſcribit Voſſius in Append. Guidian p. cccxxix. ubi eum *impudentiſſimam beſtiam* vocat, & Nethenus in libello ſupplici Magiſtratibus Trajectinis oblato, dicit Schookium *zo notabelyk de reputatie en het regt der Stad te na geſproken te hebben*, uti inveni in Act. Magiſtr. Traj. xiv April mdclxii. Ad Daventrienſes itaque ſe contulit, qui poſt editum tractatum pro Gisberto Voetio eum vocarunt, uti tradit Gronov. Syll. Burman. t. ii p. dlxxx. hujus enim hyperaſpiſtes eo tempore erat, & ſua, antequam ederentur, Voetio legenda dabat, uti ſcribit Voſſius in Epiſtol. Praeſt. viror. dxlvii. vid. & Epiſt. dxlviii. & Epiſtol. Voſſii ccccliv. paulo tamen poſt acerrimus ei inimicus fuit, ideo reprehenſus a Saldeno de Libr. Legend. lib. ii cap. iii § ii, qui ingratiſſimum Voetii diſcipulum fuiſſe notat, quum πανσοφίας *ſuae imaginatione inflatus, praeceptorem ſuum optimum clariſſimum Voetium, cui ſe omnia debere publice antea profeſſus erat, tam contumelioſe habuerit, ut virulentis ſuis in eum invectivis eruditum orbem in ſtuporem pene egerit*. vid. & cap. v § iii. Voetio inter alia objecit, quod *ipſi multos in Bibliotheca ſtudioſi Theologiae citatos auctores ſubminiſtraverit*. vid. Aſchpan. de Superſt. Erudit. cap. iii § vi. Apud Daventrienſes ad an. mdcxl Profeſſoris munere functus eſt, quo ad Academiam Groningenſem tranſiit, ubi Logicam & Phyſicam docuit. ex invidia, quod Trajecti opes ejus non fuiſſent auctae, Groningam ſe contuliſſe ad Mareſium notat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. vi pag. cviii. Poſtea honorarius Profeſſor in Academia Francofurti ad Viadrum creatus eſt, & Berolini moratus, ut vitam Electoris, vel, ut alii, Hiſtoriam Brandenburgicam, vid. Patin. Epiſt. clxv, conſcriberet titulo Hiſtoriographi

&

& Conſiliarii Electoris Brandenburgici. vid. Struv. Act. Literar. Faſcic. VII p. LXI. Niceron tom. XX Memoir. pour ſerv. a l'Hiſtoir. des hom. ill. &c. p. LVI. narrat ex Thurmii Itinere literario inſerto tom. XI Amoen. liter. Schelhorn. Schookium ob injuſtas criminationes, quibus Carteſium obprimere conatus erat, ſe maxime exoſum reddidiſſe Carteſii diſcipulis, eum variis modis vexantibus, quique eum per XIV hebdomadas Trajecti areſto detinuerant, & forte hanc ob rationem Belgium deſeruiſſe, & in Germaniam migraſſe. Addit & alteram rationem, quam Mareſius Thurmio reddiderat, ſcilicet Schookium, priore uxore amiſſa viduam, quam divitem credebat, thori ſociam elegiſſe, quumque praeter ſpem nulla fere ad ſuſtentanda onera matrimonii bona adtuliſſet, tanto aere alieno obpreſſum fuiſſe, ut creditorum moleſtiam effugiendi cauſa Germaniam petierit, & ita inſalutatis Groninganis lares tranſtuliſſe. In epiſtolis Danieli Heinſio datis, quas produxit venerandus pater tom. II Syll. Epiſt. p. CCCCLXIII & ſeqq. queritur variis calumniis ſe obprimi, & indigne haberi a conlegis, & pag. CCCCLXVIII. gratias agit Heinſio, quod ſollicitus ſit de eo *ex carcere* (ita ſtationem Groninganam vocat) *educendo*. Notandus vero error Teiſſeri, qui in Auctar. Catal. Auctor. & Biblioth. pag. CXCIX Schookium primo Lugduni Batavorum, deinde Francofurti ad Oderam Logicae & Phyſices Profeſſorem facit, quum nunquam Leidae docuerit. Ex priori uxore Angelica van der Mark, quam XXI April an. MDCXXXIX duxit, quinque habuit filios, quos omnes ſtudiis conſecraſſe tradit in Praefatione ante Exercit. Sacr. Obiit vero anno MDCLXIX aetatis LV. mortem ejus ad annum MDCLXVIII refert Patinus Epiſt. CLXV. male an-

no

no MDCLXV defunctum tradunt Freherus Theatr. Viror. Illuſtr. p. MDLII. Le Long Biblioth. Sacr. t. II pag. DCCCCLIII. & Niceron. Memoir. pour ſerv. a l'Hiſt. des hom. ill. t. XII pag. CCCLXV.

Auctor fuit diverſorum librorum, quibus orbem eruditum oneravit, nullusque umquam Trajectinus tot ſcripta evulgavit, de quibus, ut mihi videtur, rectisſime judicat ſtatim adductus Niceron d. l. p. CCCLXXIV, cujus verba ita ſe habent: *Schookius ſe plaiſoit a traiter des ſujets ſinguliers & c'eſt ce qu'il eſt facile de voir par la plupart de ſes ouvrages; mais il ſeroit a ſouhaiter, qu'il n'eût pas affecté une ſi grande erudition, & qu'il eut ſçu ſe renfermer dans ſon ſujet, ſans donner dans des digreſſions, qui l'abſorbent ſouvent, & qui le font perdre de vue.* Guido Patinus Epiſt. CXXII Theophilum Raynaudum cum Martino Schookio & Hermanno Conringio confert, ita tamen ut utrumque a Raynaudo vinci contendat, quo in judicio eum labi, cum profundior eruditio & limatius in Conringio fuerit judicium quam in Reynaudo, & parum apte Schookium Conringio conlatum ſcribit Morhovius lib. I Polyhiſt. cap. XVI § XXX & XXXI. eum maledicum & in calumniando inpudentem vocat Voſſius Epiſt. DCLXIII. de ejus animo adverſus Grotium vid. Voſſ. Epiſtol. CCCCLIV. Scripta ejus probant fuiſſe virum diligentiſſimum, verum judicio deſtitutum, neque ullum credo umquam auctorem exſtitiſſe, qui tot libris editis minorem inter eruditos famam conſecutus eſt.

Scripta ejus, quae ad notitiam meam pervenerunt, haec ſunt:

De Natura ſoni & echus, quae Diſſertatio inſerta eſt Farragini variarum linguarum variorumque auctorum

The-

Theodori Douſae Traj. MDCXXXVIII. 8.

Deſperatiſſima cauſa Papatus. Traj. MDCXXXVIII. 4.

Auctarium ad deſperatiſſimam cauſam Papatus, ſeu reſponſio ad epiſtolam Fromondi. Ibid. MDCXLV. 4.

Exercitatio de Helleniſtis & lingua Helleniſtica. Ibid. MDCXLI. 8. pro Daniele Heinſio contra Salmaſium ſcripta, cujus auctorem Heinſium Salmaſius ſuſpicabatur. vid. Placc. de Scriptor. Anonym. n°. CCXLVII. p. XXXVIII n°. MCCCCLXXIII p. CCCLXI. & Crenius Anim. Philol. & Hiſtor. part. XVI pag. LXVIII & ſeq. Salmaſius ei *Funus linguae Helleniſticae* obpoſuit Leidae MDCXLIII. 8. Schookius *Rogum funeris Helleniſtici* molitus fuit, uti ex Sarravii epiſtola probat Morhov. IV Polyh. VI § XIX. verum non prodiit.

Praefatio ante diſſertationem Gisberti Voetii de Termino vitae an. MDCXLI, teſtante ipſo Voetio in Praefatione recuſae hujus diſſertationis, quae exſtat tom. V Diſputat. Theolog.

Philoſophia Carteſiana, ſive admiranda, methodus novae Philoſophiae Renati Deſcartes. Traj. MDCXLIII. 12. vid. Placc. de Scriptor. Pſeudon. p. CLXXIV. cujus auctorem Voetium Carteſius exiſtimabat, uti teſtatur Voetius in Praefat. ante tom. I Diſputat. Theolog. verum Schookius in epiſtola ad Carteſium ſe auctorem agnovit. Praefixa praefatio LX paginas inplens, facta eſt a Voetio. ipſe vero liber diviſus eſt in quatuor partes. I contra Regium, cui omnes Carteſii opiniones adſcribit. II. examinat methodum novae Philoſophiae. III. quaedam dogmata Metaphyſices & Phyſices Carteſii narrat. IV. oſtendere conatur hanc methodum tendere ad Scepticiſmum, Enthuſiaſmum & Atheismum. vid. Baill. vit. Carteſii lib. VI cap. XI. In hac *Methodo* quum Carte-

 ſium

ſium Atheiſmi inſimulaſſet, & cum Diagora, Euhemeros & Lucilio Vanino inpudentiſſime contuliſſet, Carteſiu, queſtus eſt coram Magiſtratibus Groninganis de injuriis a Schookio factis, qui hanc tulerunt ſententiam, ut Carteſius contentus eſſe deberet his declarationibus Schookii: I. quod ſcripſerat auctore Voetio, qui ipſi ſubgeſſerat omnia, quae contumelioſe in Carteſium dicta erant, & praecipue quae continebant ejus Atheismum, & comparationem Vanino: II. quod illi, quibus librum inprimendum tradiderat, eo inſcio, plurima, de quibus querebatur Carteſius, adjunxerant. III. quod varia mutata erant a Voetii diſcipulo, Voetio auctore. IV. quod Carteſium virum probum & honeſtum agnoſcebat & non Atheum. V. quod animus ei non fuit Voetium excuſandi, quaſi non eſſet auctor libri. VI. quod Trajecti quidem agnovit ſe eſſe auctorem libri, verum illud tantum intelligendum quoad ſectiones, capita & diviſiones. Sententiam ipſam exhibet Baillet. vit. Carteſii lib. VII. cap. IV. vid. & Sorberiana p. LXVII. Baelius in Lexic. voc. Andre, & Niceron. d. l. Haec vero praeſtitit Schookius, unde adparet quis qualisve vir fuerit, qui, ut actione injuriarum, quam jure merito Carteſius ei moverat, ſe liberaret, Voetium, cujus diſcipulus fuerat, cuique omnia ſe debere palam profeſſus erat, uti ſupra ex Saldeno adnotavi, calumniarum tam atrocium auctorem nominat, quae agendi ratio, etſi concederemus revera ita rem ſe habuiſſe, virum probum & honeſtum minime decet. Voetius & de Matius aegre ferentes Schookium, qui antea Trajecti ſollemniter ſe auctorem libri profeſſus erat, eorum artes detexiſſe, illum nomine injuriarum in jus vocarunt; antequam vero judex ſententiam pronuntia-

tiaret, inter eos conveniſſe, metu ne plura arcana panderentur, narrat auctor vitae Carteſii lib. VII. cap. V.

De Ovo & Pullo. Traj. MDCXLIII. 12.

Deductio cauſae Carteſiano - Voetianae. Groning. MDCXLVI. 12.

Diſſertatio hiſtorica exhibens C. Octavium Caeſarem Auguſtum. Groning. MDCXLVII. 8.

Diſſertatio hiſtorica ex rerum geſtarum luce expendens juſtitiam belli Belgici, occurrensque iis, quae ab aliis contra eam ſunt mota. Ibid. MDCXLVII. & Amſtel. MDCLII. 12.

Diſſertatio oratoria de calamitatibus eruditorum remediisque adverſus illas. Groning. MDCXLIX. 4.

Diſſertatio de Harengis vulgo Halecibus dictis. Ibid. MDCXLIX. 8.

Orationum & diſſertationum decades II. Daventr. MDCL. 8.

Orationes deinde ſeparatim prodierunt, Daventr. MDCLXV. de quibus hoc judicium fert Morhovius t. I. Polyhiſtor. lib. VI. cap. III. §. IV. *Schookii Orationes non ubivis purae ſunt, ſed interdum barbariſmos admittunt, interdum aliquam ſtili Philoſophici ſtribliginem.*

Tractatus de Pace, ſpeciatim de Pace perpetua, quae foederatis Belgis contigit. Amſt. MDCL. 12. & Groning. MDCLI. 4.

De Bonis eccleſiaſticis dictis, in quo agitur de Canonicis in genere, itemque ſpeciatim de Canonicis Ultrajectinis, nec non de officio miniſtrorum Eccleſiae adverſus magiſtratum. Groning. MDCLI. 4. male Lipenius Biblioth. Jurid. p. XLIV. editionem hanc ad annum MDCLXII refert, melius in Bibliotheca Theologica pag. CLXXVII anno MDCLI prodiiſſe adfirmans. In hoc libro

inperite negare Canonicos Salvatoris, ut Sacerdotes Miſſam dixiſſe notat Matthaeus Fundat. Eccleſ. lib. I, II. p. LXXIV.

Tractatus de Inundationibus, iis maxime, quae Belgium concernunt. Ibid. MDCLII. 8.

Oratio in obitum Johannis Borgeſii Profeſſoris Groningani. Ibid. MDCLII. vid. Freher. Theatr. Vir. Illuſt. p. III. pag. MCCCLXXXI.

De Scepticiſmo libri quatuor, quibus qua antiquorum qua recentiorum Scepticorum deliria ex ſuis principiis excutiuntur. Ibid. MDCLII. 12. juſtam in Praefatione ejus querelam, etſi plurimi viri celebres de perficiendis diſciplinis, aut de augmento earum varia evulgarint ſcripta, parum tamen aut nihil in unaquaque diſciplina pro illius perfectione praeſtitiſſe, pronuntiat Morhovius lib. II. Polyh. VII. §. XCIX. Hos libros *de Scepticiſmo* pluribus ſe auxiſſe, & altero tanto ampliores exhibiturum ſcribit apud Struvium Act. Literar. Faſcic. VII p. LXI. ubi & adverſus Enthuſiaſtas, qua antiquos, qua recentiores, a pluribus annis juſtum tractatum non tantum adfectum, ſed & confectum ſe habuiſſe teſtatur.

Belgium Foederatum. Amſtel. MDCLII. MDCLXIV & Harderov. MDCLXXI. 12. ex quo ferme ad verbum deſcriptus eſt *Commentariolus de Statu confoederatarum provinciarum Belgii*, qui ſine ſcriptoris nomine prodiit, & quintum auctior atque emendatior editus eſt Hagae Comitum anno MDCLIX. hanc ob cauſſam verum non eſſe videtur id, quod Typographus lectori in praefatione perſuadere conatur, libellum ſcilicet conſcriptum eſſe a Boxhornio, qui eum in ſcholis domeſticis praelegiſſet. De hoc vero *Belgio Foederato* hanc ſententiam fert Gryphius de Scriptor. Secul. XVIII cap. VI §. IV.

Hic

Hic liber nimis propemodum accuratus eſt, unde etiam ipſi putida a Gallis diligentia exprobratur, qua varios in Belgio hominum ordines recenſens, nec ipſius carnificis oblitus eſt. & Morhov. t. III Polyh. lib. III § III. *multa diligentia plurima minuta perſequitur.* Laudat tamen Struvius, qui in Biblioth. Jur. cap. XV § IX eum integram faciem reipublicae Belgicae generalem, jurisdictionem provinciarum ſingularem, ſtatum, commercia, urbes, vicos, miniſtros, intereſſe, ſtatum regiminis, atque alia, accurate recenſere teſtatur.

Oratio funebris in obitum Johannis Steinbergii in Academia Groningana Anteceſſoris primarii. MDCLIII. 4.

Imperium maritimum ita explicatum, ut non ſolum oſtendantur ejus praerogativae, verum etiam cuique genti, maxime Belgis foederatis, ſuus vindicetur honos. Amſtel. MDCLIV. 12.

Exercitationes Sacrae. Groning. MDCLVII. 8. ubi in praefatione promittit librum Belgicum juſtae molis, obpoſitum gemino ſcripto Gisberti Voetii *de Bonis Capitularibus.* quumque Exercitatione XXVIII n. IV. Gronovii ſententiam de foenore unciario inpugnaſſet, Gronovius edidit *Antexegeſin de centeſimis uſuris & foenore unciario*; cui Schookius *Vindicias ſerias ſuae & aliorum virorum doctorum ſententiae de foenore unciario adverſus Johannem Fredericum Gronovium.* Groning. MDCLXI. 8. obpoſuit, & iterum reſpondit Gronovius, uti notat venerandus Pater in not. t. III. Syllog. Epiſt. p. CCCCLXII. vid. & tom. IV. p. XIII. & Schookius paucis ante obitum diebus virulento libro Gronovium inſectatus eſt. vid Ibid. t. IV. p. LXIX. & Struvii Biblioth. Jur. cap. VI. §. LXII. *Judicium* de Exercitationibus his ſacris nomine *Arnoldi Reynerii* prodiit Tra-

jecti MDCLVIII. 8. ſub quo nomine latere *Leonardum Reyſſenium*, cujus ſupra mentionem feci, teſtatur Placcius de Scriptor. Pſeudon. p. DXXXVI. & ipſe Schookius in Praefatione poſterioris editionis. Anno enim MDCLXIII. Trajecti in 4. auctiores prodierunt hoc titulo: *Exercitationes variae de diverſis materiis, quae hac editione nova tum auctae, tum locupletatae & vindicatae.* ubi plurimis in locis Ryſſenium refellit & inhumaniter tractat. in Praefatione hujus poſterioris editionis promittit Tractatum *de Sorte.* Exhibentur ibi triginta tres Exercitationes, quae pleraeque conſcriptae ſunt contra Gisbertum Voetium, & continent has materias ſingulares, quarum catalogum hic exhibeo, ut inde conſtaret de quibus eo tempore controverſiae agitabantur.

I. *De Adiaphoris ſive indifferentibus.*

II. *De Scandalo.*

III. *De Bonis pſeudo-ſacris.*

IV. *An cum Pontificiis colludant, qui agnoſcuntur e titulis in Papatu receptis?*

V. *Citra colluſionem cum Papatu reformatus aliquis deſignare poteſt templum ſecundum nomen, quod in dedicatione accepit.*

VI. *Num miniſter verbi in eo ſummam ſuam gloriationem hoc tempore collocare debeat, quod ſit annuntiator Legis?*

VII. *An cives heterodoxi, caeteroquin politice honeſti, licite recipiantur in eadem collegia privilegiis ſuis gaudentia, cum illis qui reformatam profitentur religionem, & agnoſcuntur membra eccleſiae?*

VIII. *An illud, quod ex bonis pſeudo ſacris ſupereſſe vide-*

videtur, impendendum ſit converſioni Gentilium?

IX. *Quando incipiat ſanctificatio diei dominici? a quibus operibus ſit abſtinendum? Item an liceat illo die vacare honeſtis recreationibus, ſpeciatim etiam intereſſe convivio?*

X. *An die dominico omnes cauponae claudi debeant?*

XI. *An dies feſti omnes, ſpeciatim quinque ſolemnes, debeant abrogari, nec fas ſit iis coenam Dominicam adminiſtrare?*

XII. *De Ritu in precibus.*

XIII. *Non eſt inſurgendum in eccleſias orthodoxas, ſi alio quam presbyteriali regimine gaudeant.*

XIV. *Quinam ſint Aſiarchae apud Lucam Actor.* XIX. *vers.* XXXI.

XV. *De Excelſis.*

XVI. *De Encaeniis.*

XVII. *An liceat Martinalibus anſerem comedere?*

XVIII. *De Jure Patronatus.*

XIX. *An Miniſtri eccleſiae, ſalvo munere ſuo, vacare queant aut exercitio artis mechanicae, aut agriculturae, aut etiam Medicinae?*

XX. *An Paſtor eccleſiae poſſit intereſſe conviviis?*

XXI. *De Poculis votivis vulgo Santeis dictis.*

XXII. *Quomodo vere fidelis circa licita, quibus aliquod peccatum ſaepe adjungi ſolet, ſe gerere debeat?*

XXIII. *De Choreis & Tripudiis.*

XXIV. *De Modo alendi comam & barbam, ſimul de fucis.*

XXV. *De Veſtibus & luxu circa illas.*

XXVI. *De Denudatione colli partiumque vicinarum.*

XXVII. *De Poena ſimplicis furti.*

XXVIII. *De Uſura Trapeſitica.*
XXIX. *De Comicis & Tragicis ſpectaculis.*
XXX. *De Muſica organica in templis.*
XXXI. *De reformatione quaſi intenſiva*, contra Ryſſenium qui diſſertationem conſcripſerat *de Reformatione intenſive adaugenda.*
XXXII. *An homini jus naturale dictet ſacrificandum eſſe?*
XXXIII. *Eſus carnium quando a* Deo *fuerit conceſſus?*
Hae *Exercitationes* deinde Amſtelaedami anno MDCLXXXVIII novo titulo *Martini Themidis* prodierunt dolo librarii, ut novus hic titulus emptores alliceret, uti recte animadverterunt Lipſienſes in Act. Erud. d. a. p. CCCXCV, notante Placcio de Scriptor. Pſeudon. p. DLXXXIV.

Collegium Logicum. Groningae MDCLVIII. 8.

De *Anima belluarum.* Ibid. MDCLVIII. 4. ubi in Praefatione promittit librum, cui titulus eſſet *Phyſica generalis*, biennio poſt editum. Quaedam in hoc libro notat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. tom. XVII. pag. LXXIV.

De *Praeciſitate vera.* Groning. MDCLVIII. 4. contra diſſertationem G. Voetii *de Praeciſitate.*

Tractatus de Turfis, ſive Ceſpitibus bituminoſis. Ibid. MDCLVIII & MDCLXVIII.

Tractatus de Butyro, acceſſit Diatribe *de averſatione caſei.* Groning. MDCLVIII. & MDCLXIV. 12. in quo libro tam accuratus eſt auctor, teſtante Crenio Exercitat. I. de Libr. Script. optim. §. XI, ut provocare poſſit ingenioſiſſimos quosque, qui hac de materia quaeſtionem in libro iſto non deciſam proferant.

Diatribe de Jure naturali. Item de libero arbitrio. Ibid. MDCLIX. 4.

Diſquiſitio Phyſica de Signaturis foetus, in qua rari caſus proponuntur & examinantur. Ibid. MDCLIX. 8.

De *Sternutatione tractatus copioſus, omnia ad illam pertinentia juxta recentia inventa proponens.* Ibid. MDCLIX. & MDCLXIV. 12.

De *Majeſtate.* Ibid. MDCLIX. 4.

Phyſica generalis. Ibid. MDCLX. 8.

Diſquiſitio circa Decalogum*, ſpeciatim quartum praeceptum de Sabbatho ejusque moralitate.* Ibid. MDCLX. 12. cujus meminit Imbonatus in Append. Biblioth. Latino-Hebr. pag. CCCCXXXVI.

De *Ciconiis Tractatus.* Ibid. MDCLX. & Amſtel. MDCLXI. 12.

De *Figmento legis Regiae Epiſtola.* Gron. MDCLXI. 12.

De *Cereviſia.* Ibid. MDCLXI. 12. doctius & melius argumentum de Cereviſia tractaſſe Johannem Henricum Meibomium teſtatur Morhovius tom. II. Polyhiſt. lib. II. part. II. cap. XLII. §. III. & notatur a Crenio Animad. Philol. & Hiſtor. part. VI. pag. CLXXV. ob male adductum locum Saxonis Grammatici. Hunc librum dedicavit Guidoni Patino, qui gratum animum *munuſculo ſex piſtolarum Hiſpanicarum* profeſſus eſt, & hoſpitium in aedibus ſuis Pariſiis per ſex menſes filio natu maximo Schookii obtulit, uti legi in epiſtolis Patini ſcriptis Chriſtiano Utenbogardo, quas edidit Brantius in Claror. viror. Epiſt. LXV. & ſeqq.

De *Nihilo.* Groningae MDCLXI. 8.

Phyſica coeleſtis, in qua omnia, quae in coelo ſidereo occurrunt, copioſe deſcribuntur, non modo juxta antiquorum placita, verum etiam recentiorum Aſtronomorum accuratiores obſervationes Ibid. MDCLXII. 8.

Fabula Hamelenſis, ſive diſquiſitio hiſtorica, qua

praemiſſa generali diſſertatione de hiſtoriae veritate, oſtenditur commenti rationem habere, quae vulgo circumferuntur de infauſto exitu puerorum Hamelenſium: ſimul examinantur contrariae M. Erichii rationes. Groning. MDCLIX & MDCLXII. 12. Hoc ſcriptum Schookii obpoſitum eſt M. Samuelis Erichii ſcholae Hamelenſis Rectoris *Exodo Hamelenſi* Germanice, ad narrationis vulgatae veritatem adſerendam, Hanoverae anno MDCLV in 8. editae. Schookio M. Theodorus Kirchmayerus ord. Philoſ. Witteb. Adjunctus *Hiſtoriam Hamelenſem, ſeu diſſertationem de inauſpicato liberorum Hamelenſium egreſſu* Wittebergae an. MDCLXXI. in 4. repoſuit. nec multo poſt Franc. Worgerus eccleſiaſtes Lubecenſis *Hiſtoriam Hamelenſem contra M. Schookii fabulam Hamelenſem defenſam.* Hamburgi MDCLXXXIII. 12. uti nos docent notae ad Morhov. t. II. part. II. cap. II § v. Schookium male in hoc libro part III. cap. II. Orpheum magum fuiſſe adfirmare, quem Naudaeus in Apologia pro viris doctis Magiae accuſatis cap. IX. ab eo crimine abſolvit, docet Fabricius tom. I. Biblioth. Graec. lib. I. c. XX § VI. & reprehendit Schookium Baelius in Lexico voce Baldus t. I. pag. CCCCXXX, quod pag. LXVII. Bernardinum Baldum anno MDCXXXVII conlegiſſe *Antiquitates Ethruſcas* tradat, cum Baldus jam obierit anno MDCXVII, & ipſe Schookius p. CCXVII Baldum abhinc annis ferme quinquaginta evulgaſſe ſuam divinationem in tabulam aeneam Eugubinam, ſibi contrarius ſcripſerit, oblitus quae antea dixerat. illud ſaepius adcidere iis, qui multos libros ſcribere volunt, quod facere nequeunt, niſi raptim ſine judicio deſcribant, quae apud alios legunt, recte notat Baelius. de hoc opere haec tradit Mabillon de Re Diplomat. lib. II

cap.

cap. XXVIII § VII. *Commentum de epocha oppidanorum Hamelenſium in* Ducatu *Brunſvicenſi, qui annos ſuos in hunc usque diem computare ſolent a filiorum noſtrorum egreſſu, nempe ab anno* MCCLXXXIV, *quo filios ſuos a quadrimis ad decennes cujusdam infauſtis carminibus ex urbe eductos, numquam deinceps comparuiſſe fabulantur, refellit Martinus Schookius, in quo magis religionem & aequitatem, quam eruditionem deſideres.*

D*iluvium Noachi univerſale, ſive Vindiciae communis ſententiae, quod diluvium Noachicum univerſae terrae incubuerit, adverſus virum quemdam celeberrimum.* Qui liber ſimul cum Fabula Hamelenſi prodiit, ſcriptus contra Iſaacum Voſſium. Anno MDCLXVII prodiit Genevae in 12. D*iſſertatio de* D*iluvii univerſitate*, ubi rationes Schookii refutantur. cujus diſſertationis an Iſaacus Voſſius, an vero Abrahamus Milius auctor fuerit, vide apud Placc. de Script. Anonym. n. DCCXI. p. CX.

De *Fermento & Fermentatione liber, complectens multa ſingularia, ſpeciatim rationem coctionis cibi in ventriculo.* Groning. MDCLXIII. 12.

Stillicidium Fontis ſacri, ſive obſervationum practicarum de S. Scripturis. Amſtel. MDCLXIV. 12.

De *Lino.* Groningae MDCLXIV. 12.

Politicus pius. Ibid. MDCLXIV. 12.

Fatum Reipublicae Achaeorum & Vejentium. Traj. MDCLXIV. 12. qui liber inſertus eſt tom. V Theſaur. Antiq. Graecar. Gronovii.

De Seditionibus & diſcordiis domeſticis. Gron. MDCLXIV 8. quem librum *optimum* vocat Morhovius t. III. Polyh. lib. II § XVII.

De Inedia, ſive de medicamento univerſali negativo. Ibid. d. a. 12.

Sophiſtica Zuickero-Sociniana. Gron. MDCLXVIII. 8.

Tractatus de quadruplici Lege Regia. Francof. ad Viadr. d. a. 8.

Hiſtoria novorum & antiquorum Enthuſiaſtarum.

Remonſtrantino-Libertinus.

De *ardente Veſuvio.*

De *Tulipis.*

De *Origine animae.*

Epiſtolae ad Hoornbeeckium meminit in Praefatione ante Exercitationes § XVI.

Epiſtolae ejus ad Dan. Heinſium ſcriptae exſtant in tom. II. Syll. Burman. p. CCCCLXIII & ſeqq.

Encomium Surditatis, & *encomium Fumi* inſerta libro, cui titulus *Admiranda rerum admirabilium encomia*, qui anno MDCLXXVII. 12. prodiit.

Schookium *Commentarium in Clapmarium de arcanis politicis* una cum ſuis adpendicibus edidiſſe Francof. MDCLXVIII. 8. teſtatur Struvius Biblioth. Philoſ. cap. V § XV & Morhor. t. III Polyh. lib. II § XV. ut & *Commentarium in Grotium de Jure belli & pacis.* Morhov. Ibid. lib. VI ſect. II. § V. ubi porro addit: *dubito an operae pretium facturus fuiſſet; nam quantum ex diſſertatione ejus de Jure naturali colligere licet, operoſe quidem ſatis in hoc argumento, ſed non tanto cum delectu verſatur; erat enim illi plerumque extemporalis librorum ſcriptio, qualis profecto in tam gravi argumento eſſe non decet.*

Ejus quoque ſunt *Exercitationes duodecim, quibus Severini de Mozambano tractatus de Statu Imperii Germanici ad modum promulſidis diſcutitur, & quaedam chreſimo, plura obelo notantur.* cis Veronam apud Severum Miſoſycophantam MDCLXVIII. 12. vid. Placc. de Scri-

Scriptor. Anon. n. DCCCCXXXV. p. CCXII & Struv. Biblioth. Jur. cap. XIV § XLIV.

Sub perſonato nomine *Philippi Fabri* edidit *Vorſtium redivivum, ſcilicet Examen vindiciarum Caſparis Barlaei, quas analyſi epigrammatis ſui in R. Manaſſis Ben Iſrael librum de Creatione oppoſuit.* Harlemi MDCXXXVI. 4. notante Placcio de Scriptor. Anonym. n. DCCCCV. p. CC. & Pſeudon. p. CCLXXVI. Barlaeus enim Epigramma conſcripſerat in librum Manaſſis Ben Iſrael de Creatione, quod inpium, & Socini doctrinam ſapiens pronuntiaverat Nicolaus Vedelius Profeſſor Daventrienſis, & quum Barlaeus acriter ſe defenderet, Schookius Vedelii partes adſumpſit, huncque librum compoſuit & edidit. & ne morbum inde contraxerit Barlaeus, quod nimis ad animum revocaret, quae Vedelius & Schookius adverſus eum ſcripſerant, metuit Voſſius in Epiſt. Praeſt. Viror. Epiſt. DXLVII. de qua lite cum Vedelio & Barlaeo vid. & Voſſ. Epiſt. CCCCVI & CCCCLIV. Sorberiana pag. XXXVIII. Bael. Lexic. t. I p. CCCCLV. & Fabric. tom. VI. Hiſtor. Biblioth. Fabric. pag. CCCCLXXXVII.

Belgice edidit *Klare en opregte ontdekkinge.* Utr. MDCXXXIV.

Recte itaque de eo pronuntiat Celeb. Graevius, *quod copia plurimarum lucubrationum in non uno diſciplinarum genere memorandus ſit.*

Vitam Schookii ex ejus autographo exhibet Revius Hiſtor. Daventr. p. DCCX. vid. & Vit. Profeſſor. Groningens. p. CXXXI. ubi plures ejus diſſertationes eo tempore ad proelum paratae enumerantur, quae an prodierint, ignoro, & ſub effigie ejus hi verſiculi exſtant:

Patria quem ſtupuit, Daventria, nuncque Groninga,
Schookius inveſti corpore conſpicitur.

Hujus at ingenio veſtitum pingere vultum
Solius eſt Sophiae maximus ille labor.

Vid. & Conringiana p. XLIX. CCXL. CCLXI. CCLXXVII. & CCCLXX. Epiſtol. Octav. Ferrar. part. III. p. CIV. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXIX. Freher. Theatr. Viror. Illuſtr. p. MDLII. & Niceron. Memoir. pour ſerv. a l'hiſtoir. des hom. ill. t. XII p. CCCLXIV & ſeqq.

SCHORELIUS. Duo fuerunt *Schorelii*, quorum memoria poſteritati relicta eſt. ADRIANUS, qui poëſeos laude floruit, egregiaque carmina compoſuit. Hic *Batavus* dicitur a Valer. Andr. Bibl. Belg. p. XVII, & *Hagenſis* in tom. IV Delic. Poëtar. Belg. p. CXXIV. unde patet error Junii in Batav. c. XVI. p. CCXXXVI, qui *Adrianum* in pago Scorell natum dicit, quo loco editus eſt *Johannes*, ut recte idem p. CCXXXVIII poſuit. varia vero in d. t. IV Delic. ejus carmina exhibentur, quae antea edita erant a Gulielmo Mennentio Antv. MDLXVI. 12. qui in Dedicatione docet hunc *Adrianum* in flore aetatis ante trigeſimum annum defunctum, quod & conſtat ex Epitaphio, quod Nicolaus Grudius ei poſuit, & exhibet Aicher. Theatr. Funeb. pag. CCCXCVII. Alter JOHANNES natus I Auguſt MCCCCXCV in pago Schorell prope Alcmariam, poſitis Alcmariae Latinae Linguae fundamentis, anno XIV aetatis Harlemi, ut pingendi artem addiſceret, traditur cuidam Wilhelmo Cornelii, pictori ſatis celebri, eique per tres annos adfuit. inde Amſtelodamum tranſiit, & Jacobo Cornelii, qui eo tempore famam inter pictores meritus erat, per aliquot annos adhaeſit. hinc Trajectum petiit, ut ſub Jannino de Mabuſe majorem inſignis hujus artis cognitionem hauriret. inde peregrinationem inſtituit, & primo Germaniam intravit, & cele-

celebriores artifices inviſit. deinde Venetias adpulit, & anno xxv aetatis Hieroſolymam petiit, terramque ſanctam peragravit. Venetias reverſus Romam pervenit, & Hadriano ſexto Papae Romano chariſſimus fuit, quem ad vivum depinxit, quae pictura hodie adhuc exſtat Lovanii in conlegio ab Hadriano condito. Opmeer in Op. Chron. p. ccccLxvi tradit Schorelium bis Hadrianum depinxiſſe, & Hadrianum exemplum vivum reliquiſſe Lovanii, alterum donaſſe aedi S. Mariae Trajecti. ubi in aede errat Opmeerius, cum haec pictura adhuc conſpiciatur in aede S. Salvatoris. vide Praefationem meam ante Hadriani Analecta, ubi adfirmare non auſus fui hanc imaginem a Schorelio confectam, quia van der Mander ſemel tantum Schorelium depinxiſſe Hadrianum adfirmat. Defuncto Hadriano, patriam repetiit, & Trajectum deſcendit, quam tumultu inter cives exorto relinquere coactus, Harlemi lares fixit. poſtea in hanc urbem rediit, & egregiis picturis Eccleſiam B. Mariae ornavit, pro quibus xvi. Octob. MDXXVIII Canonicatum in dicta Eccleſia obtinuit. obiit vero vi Decemb. MDLXII, eique poſitum hoc Epitaphium:

D. O. M.

Jo. Schorelio, pictorum ſui ſeculi facile principi, qui poſt edita artis ſuae monumenta quam plurima, maturo decedens ſenio, magnum ſui reliquit deſiderium. vixit annos LXVII, *menſes* IV. *dies* VI. *obiit a nato Chriſto A°.* MDLXII. VI. *Decembris.*

Scripſiſſe *de Palaeſtina* tradit Poſſevinus Biblioth. Select. lib. xvi. ſect. vi cap. xvi.

Fuit vero egregius pictor, inque ea arte excelluit. & *nobilis pictor* dicitur a Corn. Valerio in carmine gra-

gratulatorio de adventu Caeſaris in urbem Trajectinam, quo tempore Invidiae ſtatuam incendendam poſuerat. uti d. l. refert Valerius. immo inter principes pictores quos Belgium protulit, refertur a Junio Batav. cap. XVI. pag. CCXXXVIII. in picturam ab eo factam exſtat carmen Hadriani Marii tom. III. Delic. Poëtar. Belg. pag. CCCCXLI. ut & in imaginem Jani Secundi ab eo confectam pag. CCCCL. in quam etiam luſit Douſa Epod. 1, IX. pag. CCXXXVII.

Propempticon Jani Secundi ad eum exſtat tom. IV Delic. Poët. Belg. p. CCXLI.

I fauſto pede patrias ad urbes,
Divinae renovator artis, ito:
Nec Picus vetet ire te moleſtus,
Nec Cornix iter ominoſa rumpat,
Faunus duxerit & celer Deorum
Interpres, liquidas volans per auras,
I fauſto pede patrias ad urbes.

Et pag. CCXCIII.

Pictorum ſublimis honos, columenque virorum
Artificum, rudibusque novum decus edite terris,
Qui procul ad patrios orbis monumenta Latini
Fers agros, Rhenique locas ad flumina Romam:
Accipe Maclinia miſſas tot ab urbe ſalutes,
Quot noſti varios tabula dare rite colores,
Quot didiciſti hominum diverſas ponere formas,
Pingere quot verna ſolitus ſuper arbore frondes.
Has tibi dat Batavis tecum prognatus in agris,
Qui deſcendenti tibi nuper pauca Secundus
Carmina concinuit, devotae pignora mentis:

Ex-

Exſpectatque diem, qua tecum cernere clari
Moenia Trajecti, turritaque templa Deorum
Poſſit, & ingentem Caeſar quam Carolus arcem
Tutandis poſuit populis, pacique dicavit.
O felicem illum! ſi te monſtrante videbit
Divitias, gazaſque tuas, & quidquid in omni
Vel latet Auſonia, vel Daedala Graecia vidit,
Fingimus haec nobis? ſed quidnam fingere prodeſt
Irrita, velivolas vento jactanda per unda.?
Uſque adeo Batavis ſtudioſe finibus arcet
Invida me fati ſeries, & iniqua tyrannis
Fortunae, quae diva potens mortalia verſat?
Sed veniet, veniet tempus, licet improba pugnet
Laeta hominum fortuna malis, quod jungere dextras,
Quod notas audire dabit, quod reddere voces.
(Si quid vota valent, nec nos tua litera fallit)
Cum te Maclinia jam jam ſpectabimus urbe.
Interea celeri Phoebus ſecet aëra curru,
Noctivagosque boves ſtimulis vaga Luna fatiget.

Vitam celeberrimi hujus pictoris deſcripſit Carolus Vermander in libro egregio, cui titulus Het Leeven der doorlugtige Nederlandſche en Hoogduytſche Schilders fol. CCXXXIV.

SCHOTANUS (BERNARDUS) natus Franequerae an. MDXCVIII patre Henrico, primario Juris in Academia Franequerana Profeſſore. abſolutis ductu patris Academicis ſtudiis, primo in ſuprema Friſiorum Curia Advocatum, poſtea civitatis patriae Syndicum egit. deinde in Academia Friſiorum Profeſſor Juris civilis creatus, inde Trajectum migravit, ubi interpretandi Jus civile provinciam ſub annuo MCC florenorum honorario in ſe ſuſcepit, cui adjuncti trecenti, pro quibus bis per

 quam-

quamque hebdomadam lectiones Mathemacicas haberet, uti ex actis noſtrorum Magiſtratuum reſcivi. Profeſſionem auſpicatus eſt oratione de *Scholarum* εὐταξίᾳ *ſive bono ordine* III. Non. Novemb. MDCXXXV. & primus fuit recens conditae Academiae Rector Magnificus creatus XXII. Febr. an. MDCXXXVI. qua occaſione ſollemni oratione, quam προσφώνησιν inſcripſit, procerum conſilia in erigenda Academia laudavit. Leida, quae tot egregios viros nobis eripuit, hunc quoque nobis invidit, eumque ad Academiam ſuam vocavit; quumque Magiſtratus noſtri omnes nervos intenderent, ut illum retinerent, Schotanus vero pronior eſſet in Leidenſes, tandem honeſtiſſimo teſtimonio, quo eruditionem, induſtriam & labores Academiae inpenſos grato animo agnoſcunt & extollunt, dimiſerunt, uti legi in actis Magiſtratuum Trajectinorum XII, XV Febr. & III Maji MDCXLI. Obiit Leidae XV Octob. MDCLII. Huber. in Praelect. ad Tit. ff. ad Sct. Trebell. n. II. teſtatur, quod fuerit *celeberrimi nominis, quantus legum ſcientia, tantus agendi ſecundum leges dexteritate praeditus.*

Scripta ejus ſunt:

Diſputationes Juridicae. Franeq. MDCXXXV. 8.

Examen Juridicum, cujus primam editionem dedicavit Magiſtratibus noſtris, qui dono CCL florenorum gratum animum ſignificarunt, juxta decretum XI Novemb. an. MDCXXXIX. deinde recuſum eſt. prodiit & cum diſſertationibus Johannis Schmidelii Jenae anno MDCLXVII. 4. ultima hujus *Examinis* editio cum notis eſt Amſtelaedamenſis an. MDCCII. 12. *Examen* hoc non eſſe abſolutum, commodum tamen pro informatione prima teſtatur Morhov. t. III. Polyh. lib. VI ſect. VII § VI. mul-

multas docere argutias diſputatorias ſcribit Struvius Biblioth. Jur. cap. VII. §. XIX.

Collegium quaeſtionum ad Inſtitutiones. Amſtelaed. MDCXL. 12.

Diſputationes anniverſariae ad Inſtituta. Leidae MDCXLIX. 12. quae poſtea *cum ſupplementis Johannis Schmidelii* Jenae MDCLXVII. 4. *ac Reviſionibus Jonathanis Clerici* Berolini MDCLXXI prodierunt.

Fundamenta Juris. Leidae MDCLIII. 12.

Diſputationes Juridicae ad ſeriem Pandectarum conſcriptae. Amſtel. MDCLIII. 8.

Proceſſus Judicialis. Hanoverae MDCLIII. & MDCLXII. 12.

Diſputationes de Praeſumptionibus & conjecturis circa ultimas voluntates.

Vid. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLII.

SCHOTANUS (MEINARDUS) Franequerae III. Id. Octob. an. MDXCIII. natus, Bernardi frater. Studiis Philoſophicis & Theologicis in Academia patria, praecipue ſub Sibrando Lubberto & Johanne Maccovio, abſolutis, primo fuit eccleſiae Britzumenſis miniſter, deinde Theologiae Doctor & Profeſſor in Academia Franequerana per ſeptem annos, tum Paſtor Leovardienſis, & inde iterum in Academia patria Theologiae Profeſſor ad annum MDCXXXVII, quo ei Paſtoris & Profeſſoris munera in noſtra Eccleſia & Academia demandata ſunt ſub honorario MDC florenorum, ita ut cum Gisberto Voetio unius paſtoris partes obiret. & pridie Kal. Maji profeſſionem auſpicatus eſt oratione *de Verbo Dei.* Obiit VI Aprilis MDCXLIV, aetatis LI. Oratione funebri merita ejus poſteritati commendavit Gisbertus Voetius, inque ejus obitum carmen Graecum luſit Antonius

tonius Aemilius, quod legitur poſt ejus Orationes p. CCCXCIII, qui & carmen in ejus effigiem compoſuit. vid. Ibid. p. CCCCXVII. Schotanum *pientiſſimum Ultrajectinae eccleſiae atque Academiae Theologum* vocat Schookius Exercit. XIII § I. ab Eſſenio Oration. in obit. Gisb. Voetii pag. XXXIII. dicitur *vir rarae pietatis, inſignis eruditionis, admodum pathetice in concionando facundus, animosque auditorum mirabiliter flectens.*

Edidit

Syſtema concionum, quibus doctrina Chriſtiana, praxis fidei & verae religionis traditur. Traj. MDCXL. & juxta Lipen. Biblioth. Theolog. p. CCCLXXXII Francof. MDCLXIV. 4.

Commentaria practica in Epiſtolam ad Philippenſes & priorem Petri. quam anno MDCVI· editam male adfirmat Lipenius Biblioth. Theolog. p. CCCCLXXXV. & CCCCLXXXVII. melius le Long Biblioth. Sacr. t. II. p. DCCCCLIV. *Analyſim & commentarium in Epiſtolam ad Philippenſes* Franeq. MDCXXXVII. *Analyſim & commentarium in Epiſtolam primam Petri.* Ibid. MDCXLIV. in 4. prodiisſe tradit.

Varias praeterea conſcripſit disputationes Academicas, ut *de Anima: de Theologia: de Religione: de Seceſſione ab Eccleſia Romana*, aliasque. vid. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXLIV. (qui male ei adſcribit *Tractatum de Ethniciſmo Ariſtotelis contra Fortunium Licetum* Franeq. an. MDCLXIV, cujus auctor Chriſtianus Schotanus eſt, notante Mollero in Homonymoſcopia cap. VII §. CXIX pag. DCCXX.) & Voet tom. V. Diſputat. Theolog. p. CCCCLXII.

SCHURMANNIA (ANNA MARIA) virgo nobiliſſima

liſſima & eruditiſſima, quae inmortale nomen inter eruditas foeminas conſecuta eſt. Haec, licet Coloniae v Novembris an. MDCVII vitam ingreſſa ſit, merito tamen Trajectinis adnumerari poteſt; infans enim a parentibus, religioni emendatae addictiſſimis, Trajectum ducta eſt. Sedes deinde ad aliquod tempus parentes Franequerae fixerunt, ut filii duo ductu celeberrimi Ameſii Theologicis ſtudiis inbuerentur. Patre vero anno MDCXXIII defuncto, mater cum prole Trajectum rediit, quae obiit in fine anni MDCXXXVII, uti conligere licet ex Epiſtola ſcripta Jacobo Crucio p. CCXXVII. Fratrem habuit *Godeſchalcum Schürmannum*, ad quem exſtat Epiſtola Barlaei CXXIX, ubi meminit carminis Gallici, quod compoſuerat, & epiſt. CXXXVIII vocat *doctiſſimum*, qui ab Eſſenio Orat. Funebr. in obit. Gualteri de Bruyn p. XXVIII *Johannes Godſcalcus* nominatur. Huic, ut & noſtrae, tomum ſecundum Diſputationum Theologicarum dedicavit Voetius. Variarum linguarum, ut Hebraicae, Chaldaicae Syriacae, Arabicae, Turcicae, Graecae, Latinae, Gallicae, Anglicae, Italicae, Hiſpanicae & Germanicae peritia noſtra virgo claruit. in Graecis & praeſertim Hebraicis, Gisbertum Voetium praeceptorem habuiſſe ipſa teſtatur in Epiſtola ſcripta Vorſtio, quae inter ejus Opuſcula exſtat pag. CLXIX. vitam egit coelibem, de qua Barlaeus Epiſt. CCLVIII. *quae, quia nil niſi divinum ſapit & excellens, hominibus nubere non vult, & Deos amaſios exſpectat. Debebat autem nulli illa aut docto nubere, ut mixtis magnae indolis ingeniique principiis, Apollines nobis aut Pallades gignat.* Vita ſolitaria in primis delectatam teſtatur ipſa in Epiſtola ſcripta Riveto p. CXXIV. quam ſtudiis, variisque artibus exco-

 lendis

lendis tranſegit Trajecti ad an. MDCLXIX, quo, ejurato non modo omni literarum ſtudio; ſed & venditis poſſeſſionibus, & relicta urbe Trajecto, Labadium fanaticum illum Gallum ſectata, celeberrimae ſocietati ſive conlegio, quod in Friſia diſcipuli ejus contraxerunt, nomen dedit, ut ſcribit Graevius in Syllog. Burm. tom. IV pag. LXXXVIII. fruſtra dehortante Conſtantino Hugenio, qui Elegiam dehortatoriam ad eam ſcripſit. vid. tom. V Syll. Burm. p. CXXIX. quam ejus ſeparationem & ſeceſſum ab Ecclesia memorat Voetius Polit. Eccleſ. part. III lib. III tract. III cap. IV. §. II. vid. & Niceron. Memoir. pour ſerv. a l'hiſtoir. des hom. ill. t. XVIII pag. CCCC. qui a pagina CCCLXXXVI ad finem vitam & dogmata hujus Labadii, famoſiſſimi Eccleſiae perturbatoris, enarrat, ut & tom. XX p. CLX & ſeqq. Falſum vero eſt, quod traditur in Europe ſcavante t. VII part. I. p. C, ſcilicet quod Labadio nupſerit; coelebs enim obiit Viverti in Friſia menſe Majo MDCLXXVIII. aet. LXXI. & male Houbraken in Altena obiiſſe tradit. vid. Moller. Iſagog. ad Hiſtor. Ducat. Slesvic. & Holſat. part. II cap. V. §. X, ubi *veram Belgii Palladem* vocat. Tanta autem ejus fuit fama, ut Maria Gonzaga Regis Poloniae ſponſa, urbem noſtram tranſiens, ad eam inviſerit, narrante Aitsma lib. XXV Hiſtor. p. CLXXXIX. edit. prior. in 4. magnis & invidendis elogiis iſtius temporis viri docti eam ornarunt, *urbis noſtrae decus* audit Voetio Polit. Eccleſ. part. I. lib. IV tract. IV. cap. I. *nobiliſſima virgo, quae omnes fere ſcientias & linguas muliebri pectore clauſit*, Thyſio Orat. funebr. Dan. Heinſii. *Urbis ſcholaeque Ultrajectinae ſplendidiſſimum pridem decus* vocat Salden. de Libr. Leg. lib. I. cap. I. §. VI. ubi & producit carmen, quo laudes ejus cecinit Hugenius. Salmaſium in epi-

epiſtola nuncupatoria ad Puteanos praefixa ejus obſervationibus ad Jus Atticum, noſtram comparare cum Hippia celeberrimo Sophiſta obſervat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. III. p. CLIX. & Sorberius in Sorberianis p. CCXIII. *Inter hujus ſeculi miracula numeratur nobilis virgo Ultrajectina Maria a Schürman, quae mulieres omnes, quae ſunt aut fuerunt, longe poſt ſe relinquens, cum praeſtantiſſimis viris de virtute & doctrina contendit: linguas Latinam, Graecam, & caeteras Orientales ita in numerato habet, ut illarum regionum civis haberi poſſit. Nullae ſunt artes paulo liberaliores, quas probe non calleat, pingit, canit, pſallit, quaſi nihil aliud umquam didicerit. vidi ego ejus Iconem propria ipſius manu ſculptam & cui hos verſiculos ex inſigni modeſtia ſua addiderat:*

Non animi faſtus, non formae gloria ſuaſit
Vultus aeterno ſculpere in aere meos.
Sed, ſi forte rudis ſtylus hic meliora negavit,
Tentarem prima ne potiora vice.

In effigiem vero, quam poſſideo, hos verſiculos ab ea compoſitos video:

Cernitis hic picta noſtros in imagine vultus,
Si negat ars formam, gratia veſtra dabit.

Ludovicus Molinaeus in Epiſtola, quae legitur poſt ejus Stricturas in Reinerum Vogelſangium, teſtatur, *nihil muliebre praeter corpus habere (quod maligno naturae errore ſortita eſt) & virilibus curis & ſtudiis foeminarum vitia exuiſſe.* de Vries Orat. in Obit. Joh. Leusden pag. VII. *Tanta nobis domi* (loquens de Trajecto) *ingeniorum ubertas, ut ejus copia ſequiorem quoque ſe-*

xum

xum in doctrinae ſtudiis paria cum viris praeſtare poſſe exemplo probavit egregie virgo nobiliſſima, quam nominaſſe ſat eſt, Anna Maria Schürmannia, & exſtat Graecum & Latinum carmen Ant. Aemilii ad Schürmanniam poſt ejus Oration p. CCCLXXXVII, quo ita laudes ejus decantat:

Cum ſtupidus veneror genii ſolertis acumen,
Omnigenasque artes, Nympha verenda, tuas.
Subdubito quali dicam te ſanguine cretam,
Semideum ne vocem, coelicolumne genus.
Sunt mellita, quibus Sappho rediviva videtur;
Sed decima Aonidum Diva eris usque mihi.

Vid. & Kinſchot. lib. IV. Poëmat. p. CLXXXII. Nethenus ei dedicavit Rhetorfortis Examen Arminianismi, ubi ingentibus encomiis eam ornat. *doctiſſima virginum* dicitur ab Heumanno de Anonym. & Pſeudon. p. II c. II. §. LXII. optime hujus virginis incomparabilis dotes deſcriptas inveni a Bailleto auctore vitae Carteſii lib. V. cap. VIII. cujus haec ſunt verba; *Elle poſſedoit un tres grand nombre de langues, qu'elle ſcavoit parler & ecrire egalement. elle n'en ignoroit aucune de celles qui ſont vivantes ou vulgaires en Europe, ſans en excepter le Turc. parmi celles de l'Orient elle s'etoit appliquée particulierement a l'Ebreu, au Syriaque, au Chaldéen, & a l'Arabe. Elle poſſedoit toutes les fineſſe de la langue Grecque. Elle ecrivoit en Latin avec plus de politeſſe que les ſcavants, qui n'avoient fait autre choſe pendant toute leur vie; & en Francois presque auſſi delicatement que Balzac, au ſentiment de M. de Saumaiſe. Elle n'avoit pas ſeulement la theorie de tous les beaux arts, elle s'etoit encore perfectionée dans leur pra-*

pratique, & y avoit acquis une delicateſſe exquiſe, de ſorte qu'on alloit voir avec admiration les merveilleux ouvrages de ſes mains tant de Peinture, de Miniature, d'Enluminure, & de Sculpture, que de Gravure, au burin & au diamant, ſur le verre, ſur la cire, ſur le bois, & ſur la pierre. Elle etoit fort exercée dans les autres arts comme de la Poëſie, de l'Eloquence & de la Dialectique. Elle ne s'etoit pas moins enfoncée dans les ſciences, celles memes qui paroiſſent les plus abſtractes & les plus epineuſes. outre les Mathematiques elle ſçavoit la Philoſophie ſcholaſtique & la ſophiſtique. Elle diſputoit & repondoit mieux, que les vieux Profeſſeurs des Univerſitez, & que les Hibernois. enfin elle avoit etudié la Theologie des écoles a fonds, & poſſedoit parfaitement l'Ecriture ſainte, & S. Thomas, ſans parler de pluſieurs peres Grecs & Latins. Tant d'excellentes connoiſſances etoient ſoutenues par une modeſtie incomparable, & par un amour extraordinaire pour la retraite, l'etude & la priere. Elle ne s'étoit point bornée aux ſeuls commendemens de l'Evangile, elle en avoit encore embraſſé les conſeils les plus ſeveres. Elle s'étoit retranchée les plaiſirs les plus innocens, elle pratiquoit une abſtinence extraordinaire, ayant pris pour ſa deviſe le beau mot du Martyr S. Ignace, Amor meus crucifixus eſt. Elle avoit meme voué ſa virginité a Jeſus Chriſt, & elle luy garda en ce point une fidelité inviolable jusqu'a la fin &c. Recte Clar. Graevius Orat. in L'Acad. Traj. natal. de ea pronuntiat, quod *ejus ingenium & tot linguarum peritiam tantis laudibus decantarint Itali, Galli, Belgae, Germani, ut aetas nulla de iis poterit conticeſcere.* quas inmodicas laudes, quibus iſtius temporis eruditi eam honorarunt, ipſam deteſtatam fuiſſe probat

 Aſch-

Aſchpanus de Superſtitione erudita & literaria cap. I ſect. 1. § VIII. & ipſius Annae verbis Saldenus lib. II de Libr. leg. cap. III § X. Pedantiſmi tamen eam arguit Barlaeus, prodente Hoofdio Epiſt. CLXVI. De ea narratum fuiſſe, araneas pro deliciis habuiſſe tradit Thomaſius apud Struv. Act. Literar. Faſcic. VII p. 11.

Scripta ejus ſunt:

De Vitae humanae termino Epiſtola ad Johannem Beverovicium, edita a Beverovicio cum aliis ejusdem argumenti auctoribus Leidae an. MDCXXXIX. 4.

Diſſertatio de Ingenii muliebris ad doctrinam & meliores literas aptitudine. Leidae MDCXLI. 8. verſa in gallicam linquam a Guilielmo Collato.

Opuſcula Hebraea, Graeca, Latina, Gallica, Proſaica & Metrica. Leidae MDCXLVIII. MDCL. & Trajecti MDCLII. 8. ubi in fine exhibentur varia elogia a doctiſſimis iſtius temporis viris ipſi data.

Poëtices laude quoque floruit, & celebratur ejus Elegia, qua Trajecto de nova Academia gratulatur, in quos maſculos verſus ſtupendae virginis Caſpar Barleus Elegiam conſcripſit; & admirandis his verſibus non minimum Athenaeo noſtro decus adceſſiſſe ſcribit Nieportius Petro Cunaeo in Epiſtola, quae edita inter Cunaei Epiſtolas n. CLXIX. ubi eam *nobiliſſimam doctiſſimamque civem noſtram* vocat. quumque matutinis horis diei, quo Academia noſtra inaugureraretur, pluvia maxima de coelo caderet, & ipſo momento, quo ſollemni pompa Profeſſores in Academiam ducerentur, ſol pluvias pelleret, Gallico carmine hoc coeli beneficium extulit & celebravit.

Ejus quoque eſt ΕΥΚΛΗΡΙΑ, *ſive melioris partis electio, brevem religionis ac vitae ejus delineationem ex-*

exhibens. cujus prima pars prodiit Altonae MDCLXXIII. & altera pars Amſtelod. MDCLXXXV. 8. qui liber & Belgice prodiit MDCLXXXIV. 12. cui a Joh. Gabr. Dreſchſzlero ſcholae Saxo-Halenſis praeceptore obpoſita eſt εὐκληρία εὐχέατος. Lipſiae MDCLXXV. 8. praeter quem hunc librum ſub examen vocarunt Joh. Broun in epiſtola ad Schürmanniam *de Sabbatho & die Dominica.* Roterodami MDCLXXIV. 8. Jacobus Thomaſius in Programmate peculiari Lipſiae anno MDCLXXVIII edito, & Saldenus in epiſtola Belgica, cujus titulus *Deſiderii Pacii zeedig verzoek aan Juffrouw Schürmans*, monente Mollero Iſagog. ad Hiſtor. Ducat. Sleſv. & Holſat. part. II cap. V § ult.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. LIX. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXXVIII. Houbraken Schouburg der Nederlantſche Schilders t. I. pag. CCCXIV. & Niceron Memoir. des homm. illuſtr. &c. tom. XXXIII pag. XVI & ſeqq.

SENGUERDIUS (ARNOLDUS) Philoſophus ſuo tempore ſatis celebris, natus eſt Amſtelaedami anno MDCX. In ſchola patria hauſtis utriusque linguae fundamentis, Leidam adiit ut Theologicis ſcientiis animum inbueret, ubi primo Philoſophiae ſtudioſum ſe praeſtitit duce Burgersdicio, uti tradit Voetius tom. IV. Diſputat. Theolog. p. CCXC. & quidem tanta cum induſtria, & diligentia, ut omnibus ejus partibus abſolutis anno XIX aetatis ſummos in Philoſophia honores adeptus ſit. deinde ad Theologiam ſe adplicuit, & relicta Leida Franequeram petivit, ut Ameſium & Maccovium audiret. ex quorum praeceptis tantum profecit, ut, inpetrata pro concione verba faciendi poteſtate, variis in locis oracula divina interptetatus ſit. Verum hunc ſibi vindicandum, ut in recens erecto inluſtri Gymnaſio

Philoſophiam, cui praecipue ſe mancipaverat, doceret, arbitrati ſunt Magiſtratus Trajectini, qui primo ei conceſſerunt facultatem habendi lectiones in Metaphyſica VII Septemb. MDCXXXV. deinde extra ordinem II Julii MDCXXXVIII, & XI Martii MDCXXXIX ordinarium Metaphyſices & Phyſices Profeſſorem cum honorario annuo DCC florenorum crearunt, ea conditione, ne per quatuor annos ſe alibi evocari pateretur, vel evocatus Academiam noſtram ſine conſenſu Magiſtratuum deſereret. Anno MDCXLI honorario additi trecenti floreni, & datus ei titulus primarii Philoſophiae Profeſſoris. Anno vero MDCXLVIII Amſtelaedamum abiit, ſucceſſor datus Caſparo Barlaeo, ubi obiit VIII Martii MDCLXVII, aetatis LVII, relicto ex Cornelia Webber filio *Wolpherdo*, qui per multos annos Philoſophiam in Academia Leidenſi docuit. Oratione funebri Janus Klenckius Philoſophiae in Athenaeo Amſtelaedamenſi Profeſſor memoriam ejus poſteritati commendavit. Exſtat apud Matthaeum Syllog. Epiſtol. CXLVII epiſtola Joh. Iſ. Pontani ad Senguerdium, qua ejus diligentiam laudat ex variis theſibus ab eo diſputatis & defenſis uno ſemeſtri.

Scripta ejus ſunt:

Collegium Metaphyſicum. Traject. MDCXXXV. & MDCXL. 8. quod ut *accuratum & limatum compendium* Theologiae ſtudioſis commendat Voetius Biblioth. Studioſ. Theolog. lib. II cap. XIII.

Introductio ad Phyſicam. MDCXLIV. 12.

Index Metaphyſicae generalis & ſpecialis. Traject. MDCXLVII. 12.

Oratio de vero Philoſopho. Amſtel. MDCXLVIII.

Collegium Phyſicum. Amſtel. MDCLII. 12.

Collegium Ethicum. Ibid. MDCLIII. 12. cujus meminit

nit Schookius Exercit. XXI § III ubi Senguerdium vocat *celeberrimum Philoſophum.*

Exercitationes Phyſicae. Amſtel. MDCLIX. 8.

Oſteologia corporis humani & Diſcurſus de oſtento Dolano, quae ſimul Amſtel. MDCLXII. 12. prodiiſſe adfirmat Merklin. Linden. renov. p. XC.

SOMEREN (JOHANNES A) natus Trajecti XX Septembris MDCXXXIV parentibus Johanne a Someren Conſule Trajectino, & Barbara Zoggaerts, quam Johannes Zoggaerts Senator Medioburgenſis, & ad conſilium Architalaſſicum Amſtelaedamenſe delegatus ex Maria Gillé conceperat. Studiis Academicis in urbe patria ex voto abſolutis, praecipue uſus inſtitutione Antonii Matthaei patris, Galliam inviſere ſtatuit, quod iter antequam inſtitueret, XXVII Januarii MDCLIV Canonicus S. Johannis creatur. Juris Utriusque Licentiatus Andegavi laurea Doctorali ornatus eſt XX Novemb. MDCLIV. cumque juvenis eſſet eruditiſſimus, qui arcana Themidis callebat, & ad interrogata promptisſime non tantum reſpondebat, ſed & quoſcumque etiam difficillimos Juris nodos feliciter diſſolvebat, Profeſſores illius Academiae in admirationem rapuiſſe dicitur; ita ut in ejus gratiam itineris ſocium, valetudine infirmum, & in diverſorio decumbentem, ſine ullo examine, abſentem etiam Juris Doctorem crearent, & noſtrum Johannem praeter ordinarias promotionis literas, ſingulari teſtimonio ornandum exiſtimarent. quod quia valde eſt ſingulare minime hic omittendum cenſeo. verba haec ſunt: *Decanus & Facultas Jurium inſignis univerſitatis Andegavenſis, ob ſingularem eruditionem Johannis a Someren Ultrajectini, praeter codicillos Doctoratus, praedictum Johannem van Someren ſpeciali elogio dignum*

judicavit, eique ob hanc cauſam praeſentes literas expediri juſſit ſub ſigno Scribae noſtrae univerſitatis. Datum Andegavi ſub ſignis noſtris die vigeſima Novembris anno MDCLIV. Inluſtrioribus deinde Galliae locis peragratis, domum redux XXIII Decemb. MDCLXII Senator in Supremo noſtrae dioeceſeos tribunali renuntiatus eſt, & VII Aprilis MDCLXIII Decanus S. Johannis creatus, XXIII Octobris MDCLXVI inter Electos adſcriptus, variis honoribus & muneribus pro republica egregie functus eſt; nam XX Decemb. d. a. rationibus noſtrae dioeceſeos praefectus, Octobr. MDCLXIX extra ordinem Senator ſummi dicaſterii: I April MDCLXX inter deputatos Ordinum adſcitus: VII April. MDCLXXI aggeribus ſuperioris Leccae praefectus, XVI Jan. MDCLXXII ad conſeſſum Ordinum generalium delegatus eſt, & XXIII Aprilis MDCLXXIV iterum extra ordinem ſupremi tribunalis judex ſedit. quumque fatali illo anno cum plurimis patriae amantiſſimis viris dignitatibus exutus, & ordine Electorum remotus eſſet, XXVI Auguſti ejusdem anni priſtinum Senatoris Curiae honorem recuperavit; ita tamen, ut omnium munerum moleſtiorum & minorum, quae Senatores quotidie obire debent, vacationem haberet. & tandem XXI Octobr. MDCXCI Praeſes Curiae creatus, ſumma cum diligentia atque ſedulitate, & judicis doctiſſimi & ad omnia paratiſſimi fama, ad mortem ſuprema hac dignitate functus eſt vir egregius. Duxerat XIX Martii MDCLXI uxorem Corneliam filiam Balthaſaris de Leeuw, Ordinum Trajectenſium Quaeſtoris, ex qua duas ſuſcepit filias Corneliam Antoniam, quae innupta obiit, & Johannam Barbaram, quam in thori ſociam elegit vir ampliſſimus Juſtus Ormea, Toparcha in Papendorp, noſtrae civitatis Senator, qui

ex

ex ea inter alios filios filiasve procreavit Johannem Scipionem ſummi tribunalis Senatorem optimum, avique veſtigia feliciter prementem.

Obiit vero vir Neſtoreis annis digniſſimus XXVI Martii MDCCVI, aetatis LXXII, ejusque cadaver conditum in templo Civili, ubi & hodie hoc ejus monumentum exſtat:

Vir generis ſplendore, ſummis dignitatibus & rara eruditione illuſtris

JOANNES A SOMEREN

JCtus Trajectinus, olim in ſummo civitatis Trajectinae Dicaſterio judex, collegii Canonicorum Divi Johannis Decanus, ordinibus populi Trajectini primi loci adſcriptus, inde ad foederatae Belgicae ordines legatus, Curator aggerum, qui ſuperiorem Leccam coërcent, tandem ſupremi Trajectenſium Dicaſterii Praeſes. natus XII *Kal. Octob.* CIↃIↃCXXXIV. *deceſſit* XIII *Kal. Apr. A*o. CIↃIↃCCVI. *Vidua, filia, & gener moeſtiſſimi*

H. M. F. C.

Fuit vero vir eruditiſſimus, juriſconſultus inſignis, & civitatis noſtrae, dum viveret, ſummum decus & ornamentum. Varia Matthaeo, cum libros *de Jure Nobilitatis* concinnaret, ſubminiſtraſſe teſtatur ipſe Matthaeus in Praefatione his verbis: *Multum juvit, multum contulit vir libris eruditiſſimis toto orbe jam celebris, & ſummis functus honoribus, ampliſſimus & conſultiſſimus Johannes van Someren, Curiae primum Provincialis Senator graviſſimus, ex Electis mox Ordinum, nec quiete admodum diu uſus poſt fatalem illum annum, quo victricia Rex Galliarum per Belgium arma circumtulit, votis bonorum omnium expetitus rurſus & admotus ad priſtinam dignitatem. non poſſum non recordari pue-*

pueritiae memoriam, ſuaviſſimam conſuetudinem & ſummam viri humanitatem, quam nuper adhuc teſtatus, apertis etiam archivis templi S. Johannis, digniſſimus Collegii ejus Canonicorum Decanus, & lib. III. de Nobilit. c. I. hoc elogio ornat, quod fuerit *vir ſupra quam dici poteſt, doctrinae, judicii & ingenii praecellentis*. & praecipue lib. I. Fundat. Eccleſ. IV. pag. CXXXVI. *Decanus eccleſiae* (Scilicet S. Johannis) *eſt idem, qui, quod rarum, annos fuit jam quadraginta vir illuſtris, & de patria ac dioeceſi univerſa praeclare admodum meritus Joannes van Someren; qui, juvantibus eum meritis, rerum ſumma peritia & profunda admodum doctrina, quam doctiſſimis commentariis de Jure novercarum & Jure repraeſentationis teſtatam orbi reliquit, gradatim ad honores & incorruptis ſuffragiis ad dignitates adſcendit. adeptus lauream Doctoralem agendis cauſis cum dedidiſſet ſe, eluxit ſtatim vis ingenii & incredibilis induſtriae, quae, plaudentibus multum bonis, brevi eum evexit ad ſummum tribunal judicum, quod praeeſt toti Provinciae. mox in Ordinum Trajectenſium primum ſtatum adſcitus, Ordinum deinde nomine ad conſeſſum Ordinum generalium Hagam Comitis delegatus, nunc Curiae Provincialis, quae ſuprema eſt Ultrajecti, Praeſes perpetuus, Chomarcha molium ad Leccam &c. e patris mei diſcipulis vir robuſta adhuc aetate coeteris jam exſtinctis, etiamnum ſupereſt praecipuus, etiamnum vivit floretque.* & dedicavit illi Matthaeus vitam Philippi Burgundi, a Gerardo Neomago conſcriptam, quam exhibet tom. I. Analect. p. CCXIII

Scripſit

Tractatum de Jure Novercarum. Traj. MDCLVIII & MDCLXVIII.

Et

Et de *Repraeſentatione*. Ibid. MDCLXXVI. qui ambo reiteratis typis prodierunt Bruxellis MDCCXIX. 8.

STECHIUS (GODEFRIDUS) Belgice VERSTEEG. Amersfortius, in fine ſeculi decimi ſexti, & initio decimi ſeptimi peritia artis Medicae floruit. Lovanii, Monſpelii, & in Academia Piſana Medicinae praecepta ſub Nicolao Bieſio, Laur. Jouberto & Vido Vidio ſe hauſiſſe ipſe teſtatur in libro de Arte Medica. In patriam redux Noviomagi primo lares fixit, ejusque civitatis ordinarius Medicus fuit. Deinde Julii Wurtzburgenſis Epiſcopi Phyſicus, poſtea Ferdinando primo, Maximiliano ſecundo & Rudolpho ſecundo Imperatoribus, a medicina fuit, & a Rudolpho Cubicularii & Comitis Palatini titulo decoratus fuit.

Scripta ejus ſunt:

Deſcriptio Fontis medicati Kiſſingenſis. Wurtzburgi MDXCV. 8.

Tractatus de Peſte, in qua vera praeſervandi & curandi ratio recenſetur. Ibid. MDXCVII. 8.

Ars Medica, ſive Medicinae Theoreticae libri novem, & Practicae libri quatuordecim, tota conſcripta methodo diviſiva a Galeno diverſis locis propoſita, commendata & exemplis illuſtrata, a recentioribus quibusdam clariſſimis inchoata, ſed a nemine hactenus abſoluta. Francof. MDCVI fol. vid. Merklin. Linden. Renovat. p. CCCLVIII.

Poëſeos quoque non ignarum tradit Verhoeven apud Matth. Rer. Amerſf. Script. p. LVIII.

Videndi & Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCXCIII & Sweert. Athen. Belgic. p. CCXCI. qui ubi & quando ad plures abierit, non addunt.

STOOK (AEMILIUS) ſive, quo nomine Belgis

noſtris innotuit MELIS STOKE, unde a Valerio Andrea dicitur *Melior Stockius*. Hic a Clar. Graevio Orat. in L Academ. Traj. natal. aliisque, inter eruditos Trajectenſes enumeratur. an vero natales ſuos Trajecto debeat, adfirmare non audeo. Vixit ſub finem ſeculi duodecimi, & initio decimi tertii. Fata hujus viri, optimi ſui temporis poëtae & hiſtorici, fruſtra inveſtigare conati ſunt patriae antiquitatis ſtudioſiſſimi viri, neque aliquid certi de eo conſtat, niſi quod fuerit Presbyter Trajectenſis.

Hic verſibus Belgicis nobis reliquit *Chronicon rhytmicum*, continens geſta Comitum Hollandiae primae ſtirpis, a primo Comitatus conditore ad Johannis ſecundi obitum, qui incidit in annum MCCV. Hoc autem *Chronicon* magni fit ab antiquitatum, quae patriam noſtram ſpectant, peritiſſimis, tum propter ſummam fidem, qua ſcriptum, tum ob res ſcitu digniſſimas, quas magna diligentia, nulli partium ſtudio addictus, nobis deſcripſit & reliquit, quaeque aliter propter penuriam monumentorum iſtius temporis numquam nobis innotuiſſent, perpetuisque tenebris ſepultae jacuiſſent. Primus, qui hoc *Chronicum* evulgavit, fuit nobiliſſimus Janus Douſa Amſtel. MDXCI. qui tamen laudem ejus rei tribuit amico ſuo Henrico Laurentii filio Spiegel mercatori Amſtelaedamenſi, cujus editionis quum omnia fere exemplaria fato quodam flammis eſſent conſumpta, recudi curavit Hillebrandus van Wouw Typographus Hagienſis an. MDCXX. in utraque editione *Anonymi Chronicon* vocatur. poſtea caſu Scriverius finem operis invenit, atque inde didicit auctorem *Aemilium Stokium* dictum eſſe. fragmentum illud edidit in notis ad Chronicum Goudanum. Quo auctario & vero ſcriptoris nomine tertiam editionem

nem exornavit Cornelius ab Alkemade, vir in inveſtigandis patriae antiquitatibus ſolertiſſimus & indefeſſus, qui ſenex praeterito anno MDCCXXXVII Roterodami obiit, & hoc *Chronicum* cum notis doctiſſimis, & additis iconibus Comitum Hollandiae, evulgavit Leidae MDCXCIX fol. quartam editionem hodie molitur Jacobus Marcus mercator Amſtelaedamenſis, qui exemplar edito auctius poſſidere dicitur.

Hujus quoque meminit Valer. Andr. Biblioth. Belgic. pag. DCLXX.

STRATENUS (GUILIELMUS) ſive VAN DER STRATEN, Dynaſta in Williskoop & Kortheeswyk, Trajecti natus eſt anno MDXCIII. patre Johanne Strateno Senatore. Quum medendi artem didiciſſet, civitatis patriae Archiater, Anatomen vernaculo ſermone docendi facultatem inpetravit decreto Magiſtratuum XVIII Junii MDCXXI. In nova Academia XXII Februar. MDCXXXVI cum honorario DC florenorum annuorum Medicinae practicae & Anatomes Profeſſor creatus, XVII Martii munus auſpicatus eſt oratione, qua eleganter docuit *Quam jucunda, utilis & neceſſaria ſit noſtri cognitio per Anatomen.* Sexto vero Octobris MDCXLI primarium Medicinae Profeſſoris titulum cum augmento honorarii CCCC florenorum adeptus eſt; quumque Princeps Arauſionenſis ut ei a medicina eſſet, in aulam evocaſſet, titulum Profeſſoris retinuit, & honorarium, quamdiu abeſſet, redactum ad DC flor. decreto magiſtratuum XXIV Februar. MDCXLVI. Anno MDCXLVIII a Leidenſibus, ut ſuccederet Scrivelio, ad Medicinam docendam vocatus, abnuit conditionem. Trium Principum Arauſionenſium Frederici Henrici, Wilhelmi ſecundi & Wilhelmi tertii Medicus fuit. Anno MDCLXXIV die XVII

Aprilis Senator & eodem die Conſul Trajectinus eligitur; quo munere per duos annos functus, IV Octobr. MDCLXXVI inter Judices urbanos adſciſcitur, & XV Januar. MDCLXXVII ad rationes Ordinum foederatarum civitatium legatus, obiit VI Novemb. MDCLXXXI ſenex LXXXVIII annorum.

Scripta ejus ſunt:

Cauſae, ſigna & medela Febrium, comprehenſa & propoſita ſeptem diſputationibas in Academia Trajectina. Traj. MDCXL. 4.

De fallaci Urinarum judicio cum aliis ſcriptis *de Urinis.* Traject. MDCLXX. 8. prodiiſſe notat Fabric. tom. XII Biblioth. Graec. p. DCXXXVII.

Omnes errores populares in Medicina conlegiſſe, detexiſſe, & publicis diſputationibus refutaſſe tradit Voetius Biblioth. Studioſ. Theolog. lib. II cap. XV pag. CCCXCV. & tom. III. Diſputat. Theolog. p. DCCXIII & tom. IV. pag. CCCXC.

SUYLEN A NIEVELT (GUILIELMUS) nobiliſſima proſapia ortus, filius maximus Wilhelmi 's Herenaertsbergae Dynaſtae & Agnetae Foeyt, natus Trajecti circa annum MDXXXVIII. Ex numero nobilium Belgarum, qui die V Aprilis an. MDLXVI celebrem libellum ſubplicem Margaretae Parmenſi obtulerunt, unde poſtea, quum Albae Dux a Rege Philippo miſſus in Belgium adveniſſet, relicta patria in exilium abiit. poſt mutatam vero fortunam anno MDLXXII vel MDLXXIII reverſus, Praetor Dordracenus, & anno MDLXXIV Balivius Zuydhollandiae creatus eſt. anno ſequenti inter nobiles Hollandiae adlectus & ad pacificationem Gandavenſem componendam delegatus eſt. anno MDLXXX Praetoris Dordraceni & Balivi Zuydhollandiae dignitatem depo-

depoſuit. anno MDLXXXVII factus eſt Droſſardus ac Caſtellanus Muydenſis & Balivus Goylandiae, quo tempore ſe factioni Leiceſtrianorum ſtrenue obpoſuit, & inſidias juſſu Leiceſtrii poſitas feliciter evaſit. Tres duxit uxores, Catharinam Ram, filiam Adami & Johannae van Kuyck; ſecundam Agatham Booth, filiam Arnoldi & Gertrudis van Leeuwen; tertiam Agnetam Tſerraets, filiam Ludovici & Margaretae van Halmale, quae ultima ipſi ſterilis fuit. ex prima duos filios, nullis liberis procreatis mortuos, ſuſcepit. ex ſecunda tres ipſi filii, duae autem filiae natae ſunt. At maſcula ejus poſteritas jam diu defecit: per ſexum tamen foemininum ipſum atavum hodie numerant nobiliſſimi Capellii fratres. Per eamdem hanc ſecundam uxorem Suylenius Borrio celeberrimo Hiſtoriographo adfinitate junctus fuit; illa enim uxor, & pater uxoris Borrii, ſoror ac frater fuerunt.

Obiit vir nobiliſſimus Hagae Comitum die XXVIII Octobris an. MDCVIII, annos admodum LXX natus, ac 's Herenaertsbergae ſepultus eſt.

Tranſtulit *Chronicon Carionis* ex Germanica in Belgicam linguam, & *Continuationem* iſtius Chronici ex Gallico in patrium ſermonem. qui liber prodiit hoc titulo: *Chronica Carionis in 't Latyn beſchreeve, uyt de Hoogduytſche en Francoyſe ſpraake in de Nederlandſche overgeſet door den Wel-Ed. Jonker Willem van Zuylen van Nyvelt Heer van Heeraertsberge.* Arnhem MDCXXIX. fol.

Vid. Goudhov. Chr. pag. CXCIV. van Leuwen Batav. Illuſtr. pag. DCCLXVIII & MXXI. van Balen Beſchryv. van Dordr. pag. VIII. CCXXXVII. DCCCL. & Bor. lib. IX Hiſtor. p. CLXXVI & CLXXVII edit. prior.

SWARTIUS (EUSTACHIUS) Hic quoque inter Trajectinae ſcholae praefectos numeratur. ubi vero natales ſortitus eſt adfirmare nequeo, licet veroſimile ſit fuiſſe Trajectinum, quia familia Swartiorum noſtra in urbe ſatis celebris fuit. Barthio vero familiarem fuiſſe, apud illum habitaſſe, & a manu fuiſſe, plurimaque ſublegiſſe, ex quibusdam locis Barthii adnotavit venerandus Pater ad tom. III Syllog. Epiſt. p. CLXXXIX. quibus addi poteſt locus in lib. II Analect. cap. IX, ſi conferatur cum Barthii Adverſar. XXV, X. & multa ſibi a Barthio memorata recenſet. In Dedicatione librorum Analectorum ad Jacobum van Dyck, Sueciae apud nos Legatum, dicit ſe ab eo Leida evocatum in ejus familiam. Rectorem ſcholae Sylvaeducenſis & Trajectinae fuiſſe, & ambiiſſe munus Agentis Principum Megalopolenſium apud Ordines Belgii, notavit ibidem reverendus Pater. Politices Profeſſionem in Lycaeo Amſtelaedamenſi prenſaſſe patet ex Voſſii Epiſtola CCXVIII. Edidit

Analectorum libros tres. Leidae MDCXVI, in quae carmen luſit Daniel Heinſius, quod exſtat in ejus Poëmat. p. CCCLXXXII. in *Analectis* pag. LXXVII promittit editionem Plauti; pag. LXXIX editionem Petronii, & p. XCIII Aeliodori. Grandium ejus commentariorum in Curtium meminit Gronovius tom. III Syll. Epiſtol. Burm. p. CLXXXVI, & ex epiſtola ejus ad Voſſium Pitiſcus in Praefat. ſecunda in Curtium.

Literas ejus ineditas ad Johannem Meurſium memorat Morhov. Polyh. I, cap. XXV. § IX.

TOL-

T.

TOLLIUS (CORNELIUS) Frater Jacobi, Trajecti natus, ut ipſe in Dedicatione ante Cinnamum profitetur. Fuit a manu Iſaaco Voſſio, inque ejus domo aliquamdiu vixit, ubi tamen ſe non ſatis probum praeſtitit; non tantum enim Voſſio plurima ſcripta ſubripuiſſe tradit Sorbiere Lettr. & diſcours n°. LXIII. p. CCCCXXXVIII & Richter. Epiſt. p. CCCCLXXVI, ſed & mater Voſſii eum furti domeſtici ſuſpectum habuit, & lites atque carceres minata eſt, uti patet ex epiſtolis Heinſii in tom. III Syllog. Burm. p. CCLXIII & ſeqq. deinde Eloquentiae & Graecae linguae in Academia Harderovicenſi Profeſſorem, nobiliſſimisque Curatoribus atque Academiae a ſecretis fuiſſe, refert Crenius Animadv. Phil. & Hiſtor. part. VII pag. CXIII. & ipſe Tollius Oratione in obitum Schmitzii ſe Secretarium Curatorum fuiſſe dicit. Ambiiſſe ſe ſucceſſionem Hornii in Eloquentiae & Hiſtoriarum profeſſione Leidae ipſe teſtatur in tom. II Syll. Burm. p. DCXXIX.

Edidit

Pierium Valerianum de Infelicitate literatorum cum appendice. MDCLXVII, qui poſtea cura Menkenii Lipſiae prodiit MDCCVII. 12.

Palaephatum de Incredibilibus cum notis. Amſtel. MDCXLVIII. 12. de quibus notis vid. Cren. de Furib. Librar. diſſert. I § CIX. & Fabric. t. I Biblioth. Graec. c. XXI § VII.

Joannis Cinnami Hiſtoriam Conſtantinopilitanam cum ſua verſione. Traject. MDCLII. 4. cujus codicem cum

De infelicitate Litteratorum Liber. Amstelod. Elzevier 1648. in 12.

eo

Oratio in obitum Gerardi Joannis Vossii, Canonici Cantuariensis, Historiarum, et Politices in inclyto Amstelodamensium Gymnasio Professoris celeberrimi, habita in alma Academia CIↃ IↃCXLIX. die et[illegible] XII. Aprilis [illegible]

eo communicaverat Iſaacus Voſſius. vid. Syllog. Burm. t. III p. DCXX. Hanc editionem *Cinnami* poſtea recenſuit Carolus du Freſne, qui Tollii verſionem plurimis in locis caſtigavit, & notas ejus, quod nihil fere ad Hiſtoriae Cinnamicae inluſtrationem, aut locorum difficiliorum emendationem continerent, omiſit, notante Fabricio tom. VI Biblioth. Graec. lib. V cap. V p. CCCXCVIII.

Orationem in obitum Johannis Andreae Schmitzii in Academia Harderovicenſi Medicinae Profeſſoris. Harderv. MDCLII. 4.

In animo habuit *Valerium Maximum* edere, quod conſilium ejus mors praevertit, uti ex Daumii Epiſtolis obſervat Fabric. tom. II Biblioth. Latin. lib. II. cap. V.

TOLLIUS (IACOBUS) Cornelii frater, ſub Johanne Fred. Gronovio, & Aemilio literis elegantioribus operam dediſſe conſtat ex Graevii Epiſtola in tom. IV. Syll. Burm. p. XXXIV. Hunc Nicolao Heinſio commendarunt Gronovius, Aemilius, Graevius & frater Cornelius, ut in comitatum peregrinationis adſciſceret. verum Heinſius, ne malam gratiam iniret apud Iſaacum Voſſium, & praeſertim Voſſii matrem, quae, uti modo adnotavi, fratri Cornelio lites & carceres minabatur, diu reſtitit. vid. tom. III. Syllog. Burm. p. CCLIV. CCLV. CCLVI. CCLVII. CCLXIII. CCLXVI. CCLXX & DC. Poſtea tamen Heinſio amanuenſis & famulus in peregrinatione fuit, ſed brevi tempore, cum, veſtigia fratris ſecutus, in ſcriniis Heinſii ſiniſtra manu non belle uſus eſſet, & alia commiſiſſet, quae virum probum non decent, uti his verbis teſtatur Heinſius tom. III Syll. Burm. p. CCCCXCII. *Geſſit ſe perquam nequiter, ut mi-*

minimum prae aliis delictis in eo peccarit, quod in ſcriniis meis compilandis manu ſiniſtra non belle uſus eſt. Hoc enim illi fraternum eſſe quodammodo videri poteſt. Scis quid in Voſſianis aedibus evenerit. Deprehenſus & convictus coram tribus teſtibus ad calumnias confugit. & in Epiſtola ad Voſſium ibid. p. DCXC. *Tollius, qui nuper a me diſceſſit, manu ſiniſtra in ſcriniis meis pervolvendis non belle utebatur, quamquam & alia graviora peccarit; nam iſtud illi erat fraternum, memini enim quod geſtum ſit in parentis tui aedibus.* Et quum Graevius in Epiſtola, quae reperitur tom. IV. Syllog. p. CLXIX Heinſio ſcripſiſſet, *compilaſſe illum tua ſcrinia in veterum Poëtarum collectaneis, quae olim edere decreveras, invitus audio, nam faveo ejus ingenio, ſed non his fraudibus graſſandum ad famam, nec alieni laboris fructus ſunt intercipiendi, praeſertim eorum, qui nos omnibus modis ornare voluerunt;* respondet Heinſius pag. CLXXII. *De ſcriniis meis a fele libraria compilatis tibi in aurem narratum eſto; neque enim haec tanti ſunt, ut aut me movere debeant, aut illis Lavernis poſſint iter ad famam ſternere. Oſtendam tamen aliquando tibi inſigne iſtius rei monumentum linguam ni continere diſcit, majus inde periculum illi imminere quam a piperatis manibus non nunc primum praevideo, & ipſum ſaepius monui.* Medicinae Doctorem fuiſſe tradit Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. IV. pag. XI. Fuit deinde Rector Scholae Goudanae, a qua ſtatione motus eſt ob cauſſas quas ignorare ſe fatetur Heinſius in Syll. Burm. tom. IV. pag. CLX. ſed prodit Graevius Ibid. p. CLXIX. *Tollium involvit ruina ſui patroni, cui dedicavit Auſonium: dicitur tamen male de diverſarum partium hominibus, qui nunc rerum potiuntur, exiſtimaſſe, & ferocius, quam*

ſui ordinis hominem decet. ubi venerandus Pater notat patronum hunc fuiſſe Florentium Cant, urbis Goudae conſulem. Inde Nordvicum ſeceſſit, ubi adoleſcentes aliquot erudivit, & Medicinam exercuit. Deinde Alexandri fratris defuncti cathedram ambivit, ut & alteram in Sylvaducum vacantem. vid. tom. IV Syll. Burm. pag. CCCLXXXVI & p. CCCCIV. ut & Profeſſionem aut Lecturam Leidae Ibid. pag. CCCCXCIV. quae cum non ſuccederent, ludi literarii praefecturam Leidae prenſavit, Ibid. p. DLXX & DLXXII. Tandem vero obtinuit Profeſſionem Hiſtoriarum, Graecae linguae & Eloquentiae in Academia Duisburgenſi; quam ſtationem, meritis ſuis inferiorem exiſtimans, dereliquit, & ſpe melioris fortunae Germaniam Italiamque peragravit, praetextu inviſendarum Budenſis, aliarumque praecipuarum Bibliothecarum, & in Italia ſacra noſtra ejuravit. Verum cum ex voto ibi res non ſuccederent, in patriam reverſus, nullosque ibi fautores aut patronos inveniens, ſcholas privatas hic Trajecti, inſciis Curatoribus & invitis Profeſſoribus, inſtituit, ut inde ſe ſuſtentaret, quod cum juxta leges Academiae ei interdiceretur, vitam privatam in ſumma paupertate egit, animamque infelicem hac in urbe exhalavit anno MDCXCVI. *Magni nominis Philologus & Chymicus* dicitur a Mollero in Prolegom: ad Morhov. Polyh. Liter. §. XIX. *vir doctiſſimus* a Fabricio tom. I. Biblioth. Latin. lib. I. cap. IV & *ſedulus Bibliothecarum ſcrutator* a Struvio in Praefat. Collectan. Manuſcript. Ejus cura prodiit

Auſonius cum notis integris Joſ. Scaligeri, Mariangeli Accurſii, Marquardi Freheri, Scriverii: ſelectis Eliae Vineti, Barthii, Acidalii, Joh. Freder. Gronovii, Graevii aliorumque. Amſtelaed. MDCLXXI. 8. in qua editione abeſſe

abeſſe Epiſtolam Theodoſii Auguſti, quae laudes Poëtae luculentum in modum complectitur; & Paulini literas, per quas Auſonianis reſpondet, cum in vetuſtis Auſonii membranis legantur, utpote ab ipſo Auſonio publici juris factae, reprehendunt Gronovius & Heinſius tom. III. Syll. Burm. p. DXLI & DXLII. neque eum doctis labore hoc ſatisfeciſſe notat Baillet Jugem. des Scavans tom. II. p. CCLI. Editionem tamen non contemnendam pronuntiat Graevius, non ſolum quia raras Freheri & Accurſii notas in illum ſcriptorem evulgavit, ſed quia non pauca nec protrita ab ipſo Tollio in hoc ſcriptore ſunt animadverſa.

Guſtus ad Longinum, cum ejusdem obſervatis in Orationem Ciceronis pro Archia. Leidae MDCLXXVII. 8. quo labore ſe Curatoribus Academiae Leidenſis commendare voluit, ſed fruſtra, & indigne ab eo haberi Ovidium & Horatium indignatur Heinſius. vid. tom. IV. Syllog. Burman. p. CCCCLXXXIV. CCCCLXXXV & CCCCXCIV. & ſcribit Graevius, *Tollii guſtus ad Longinum non eſt ad meum guſtum, nec in oratione pro Archia quae notavit, reſpondent exſpectationi meae.*

Deinde edidit *Longinum de Subtilitate* Graece et Latine cum ſuis et variorum notis. Traject. MDCXCIV. 4. de qua editione, quam *luculentam & praeclariſſimam* vocat, videndus Fabricius tom. IV. Biblioth. Graec. lib. IV. cap. XXXI. p. CCCCXXXVIII. & Lipſienſ. Act. Erudit. an. MDCXCIV. p. XLVII. ut & Journal des ſcavans tom. XXIV. p. CCCLXXIII. *nitidiſſima* vocatur in Acceſſiobus ad Morhov. IV. Polyh. XI. §. XIV. & lib. VI. cap. I. §. VI. Prodiit deinde in Germania alia Longini editio hoc titulo: *Dionyſius Longinus de Sublimi ad fidem codicum a Jacobo Tollio omiſſorum, notiſque e ſchedis*

jacobi Tollii Sapientia insaniens. Amstelod. 1689. in 12. C.

C. R. Schurtzfleitſchii auctus. Wittebergae MDCCXI. a celeberrimi Schurtzfleitſchii fratre procurata, notante Niceron. Memoir. pour ſervir a l'hiſtoir. des homm. illuſt. tom. X. pag. LXXII.

Evulgavit & *Diatriben Luciani de Calumnia.* vid. tom. IV. Syllog. Burm. p. DV. & tom. V. pag. CCLII. & ejus notas exſtare in editione Luciani, quae Amſtelaedami anno MDCLXXXVIII prodiit, obſervat Fabric. tom. III. Biblioth. Graec. lib. IV. cap. XVI. §. III.

Fortuita. MDCLXXXVII. in quibus praeter Critica nonnulla, tota fabularis hiſtoria, Graeca, Phoenicia, Aegyptiaca, ad Chemiam pertinere docetur, addita Oratione inaugurali *de Fontibus Eloquentiae* in Academia Teutoburgica habita, ut & *Carmine ſeculari Heroico in trecenteſimum primum natalem Academiae Heidelbergenſis*; nec non *Oda Alcaica in natalem* LXXII *Philippi Guielmi Electoris Palatini*, ibique promittere varios auctores editurum, eoque fini iter ingreſſum, ut Budenſem, aliasque nobiliores Bibliothecas excuteret, notant Lipſienſes Act. Erudit. Julii MDCLXXXVII. Laudat haec *Fortuita* Morhovius lib. I. Polyh. cap. XI § XVII, qui eum *virum elegantiſſimi ingenii* vocat. vid. & lib. II cap. XIII. § XI. & ex hoc libro ita Tollium amare, ut ejus amicitiam flagrantisſime cupiat, ſcribit apud Feller. Monument. inedit. pag. CXX. In his *Fortuitis* cap. III, ut & in Animadverſionum Criticarum ad Longinum guſtus adceſſione, carmen Petronii de *Trojae Haloſi*, quod legitur apud Petron. cap. LXXXIX, ad acerrimam cenſuram vocat, quam venerandus Pater in notis ad Petronium injuſtam eſſe in quibusdam oſtendit. Producit quoque pag. CCXXX Fragmentum Porphyrii ex libro de Styge ex

Schotti

Schotti editione multis mendis inquinata, inmemor editionis Holſtenii, qui emendatum ediderat, notante Fabricio tom. IV Biblioth. Graec. cap. XXVII. pag. CLXXXVII.

Bacchinum de Siſtris eorumque figuris cum notis. Traj. MDCXCVI. 4. quem ex Italico tranſtulit. extat & in Theſaur Antiquit. Roman. Graevii tom. VI uti notat Fabric. Bibliograph. antiq. cap. XI § XVII.

Inſignia Itinerarii Italici, quibus continentur antiquitates ſacrae. Traject. MDCXCVI. 4. vid. Lipſienſ. Act. Erud. Julii MDCXCVI. In his *Inſignibus* pag. CXCII edidiſſe *Macarii ſermonem de exitu animae juſtorum & peccatorum* ex Codice MS. Bibliothecae Paulinae Lipſienſis veluti ineditum, cum a Guielmo Caveo ex eodem Lipſienſi codice in Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum jam evulgatus eſſet, docet Fabricius Biblioth. Graec. Tom. VII lib. V cap. XII pag. CCCCXCV. qui ibidem pag. DXI haec *Inſignia* continere veterum ſcriptorum eccleſiaſticorum monumenta in itinere Italico ex Bibliothecis eruta, & laudatiſſimo ſtudio publicata, docteque inluſtrata, contra iniquum Langleti de Fresnoy judicium teſtatur. Quae vero in his *Inſignibus* continentur, recenſet Joh. Fabricius tom. III. Hiſtor. Biblioth. Fabrician. pag. CCCLIX.

Prodierunt Amſtelaedami an. MDCC. in 4. *Tollii Epiſtolae Itinerariae ex ejus ſchedis poſtumis recenſitae, ſuppletae, digeſtae, annotationibus & figuris adornatae, cura & ſtudio Henninii.* de quibus videndi Lipſienſ. Act. Eruditor. MDCC & Joh. Fabric. tom. III Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. CCCCXLII.

In editione Lactantii, quam Bauldry adornavit, conſpiciuntur ejus notae.

Ariſtaeneti editionem, in quam noſter Tollius nonnullas emendationes & plurimas adnotationes contulit, penes ſe eſſe teſtatur D'Orvilius, elegantiſſimi ingenii vir, in eruditiſſima Critica Vanno cap. x & xii.

Artemidori novam editionem molitum fuiſſe conſtat ex tom. iv Syllog. Burm. p. xcvi & clxix, & notat Fabric. tom. iii Biblioth. Graec. lib. iv cap xiii § viii. qui ibidem in Addendis pag. ult. dicit Rigaltianam Achmetis editionem Tollium cum codicibus quatuor Vindobanenſibus contuliſſe, exque iis ſubpleviſſe lacunas, & ad bis mille loca emendaſſe, quod Tollii exemplar apud fratris ejus Filios haerere ex animadverſionibus ad Epiſt. vi Toll. Itiner. p. clxxxviii obſervat.

Meditatum quoque fuiſſe novam *Lucretii* editionem docet Fabric. tom. i cap. iv. Notae ejus in hunc Poëtam ineditae dicuntur in manus Gerardi de Vries Tollii cognati, & ex hujus teſtamento in manus Johannis Luytſii, perveniſſe; verum inter ſchedas mortui Luytſii quaeſitae non adparuerunt.

Promiſit ſe editurum *Collectionem Chirurgorum Graecorum.* vid. Fabric. tom. xii Biblioth. Graec. p dcclxxviii & *Poëtarum Graecorum Chymicorum* vid. not. ad Morhov. lib. i Polyhiſt. cap. xi § lv. ut & *Diſſertationem de Bibliotheca Budenſi ejusque reliquiis.* ut videre licet in not. ad Morhov. lib. i cap. iv § xxi. *Saluſtii & Phaedri* editionem quoque pollicitus eſt. vid. Fabric. tom. ii Biblioth. Latin. lib i cap. ix & lib. ii cap. iii. ut & *Flori* Fabric. Ibid. lib. ii cap. xxiii § iii. Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. vi pag. xliv & Almelov. Biblioth. promiſſ. & lat. p. lvii.

TRAJECTO (ANDREAS DE) Ordinis S. Benedicti coenobii Spanheimenſis in finibus ditionis Moguntinae,

tinae, congregationis Cluniacenſis. Hujus Oudinus non meminit. Simpliciter dicitur *Andreas de Trajecto*, unde dubitare licet an Trajecti ad Rhenum, an vero Trajecti ad Moſam natus fuerit. Poſſevinus eum *Teutonicum* dicit; verum H. v. R. in not. ad Heuſſ. tom. II Hiſt. Eccleſ. p. CXLIII. ejus natales noſtrae civitati adſignat, unde ejus mentionem omittere nolui. a Trithemio de Scriptor. Eccleſ. cap. DCCCI hoc elogio ornatur: quod fuerit *vir certe ſtudioſus, & in divinis ſcriptis eruditus, ſecularium literarum quoque non ignarus, ingenio praeſtans & clarus eloquio*, qui & haec ejus ſcripta recenſet:

Soliloquium hominis ad Deum.
De Profectu virtutum.
De Abſtinentia carnium.
De Uſu Floccorum.
Item *Collationes*, *Epiſtolas* & *Carmina.*

Scripſiſſe quoque *Expoſitionem in ſententias P. Lombardi* tradit Lipenius tom. II Biblioth. Theolog. p. DCCLIV.

Obiit in coenobio Spanheimenſi anno MCCCCXLV juxta Valer. Andr. Biblioth. Belgic. p. LVII. Poſſevinus vero Appar. Sac. t. I. pag. LXXVII anno MCCCCXLVI defunctum tradit. Trithemius ad an MCCCCLXIII, alii ad an. MCCCCLXVI mortem referunt. videndi & Gesnerus in Biblioth. Sweert. Athen. Belg. p. CXXVII. & Magna Biblioth. Eccleſ. pag. CCCCLIII.

TRAJECTO (HENRICUS DE) Hunc inter ſcritores ordinis Fratrum Praedicatorum memorat Quetif. tom. II. p. DLXXX. ex fide Fontanae in Monument. ad an. MCCCXXXII, qui tamen an ex Trajecto ſuperiore, an inferiore ad Rhenum, ortus ſit, non docet. Scripſit

hic

hic adverſus Michaelem de Caeſena, Guilielmum Occam & ſequaces *Tractatum de auctoritate Papae.*

TRAIECTO (NICOLAUS DE) Hunc in urbe mihi patria natum ob dubiam vocis *Trajectenſis* interpretationem adfirmare non audeo. quia vero *Trajectenſis* dicitur, pauca, quae de eo inveſtigare potui, hic recenſenda exiſtimavi. Docuit Pariſiis & fuit ſcholaſticus ſectae Formalium, vid. vit. Profeſſor. Groning. in Weſſelio pag. XVI. Ordinis Praedicatorum, & in *Boëthii conſolationem* ſcripſiſſe teſtatur Antonius Senenſis Bibliothec. Praedicat. p. CLXXIV. quo commentario nullum melius ſe reperiſſe ſcripſit Antoninus, uti tradit Poſſevinus Apparat. Sac. t. II. p. CLX, qui tamen dubitat, an non ſit *Nicolaus Trivet*, qui vixit anno MCCCLX. quod adfirmat Quetif Scriptor. Ordin. Praedicat. tom. I. pag. DLXII. vid. Sweert. Athen. Belg. p. DLXXXIII. et Fabric. Biblioth. Med. et Inf. Latinitat. lib. XIII pag. CCCLXXXIX.

TYMAEUS (IACOBUS) Amersfortius, unde vulgo *Jacobus Amersfordienſis* nuncupatur. Liberalium Artium Magiſter & Theologiae Doctor, Coloniae floruit in fine ſeculi decimi quinti, ibique Praeſes collegii Laurentiani, Paſtor eccleſiae S. Johannis Baptiſtae et Theologiae Profeſſor fuit.

Scripſit

Commentaria in Ariſtotelem de generatione & corruptione.

Item *in Ariſtotelis Meteora*, quae prodierunt Coloniae MCCCCXCVII.

Epitaphium ipſi ſcripſiſſe Rodolphum Langium Canonicum Monaſterienſem, et in Bibliotheca Tigurina exſtare teſtatur Valer. Andr. Biblioth. Belgic. pag. CCCCXXXI. partem ejus (conſtitit enim triginta verſibus uti

uti tradit Geſner. in Append. ad tom. I. Biblioth.) producit Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. Scriptor. p. XLVIII. & Auct. incert. apud eumd. p. CLXXXIII. Vid. & Sweert. Athen. Belgic. p. CCCLXXV. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccleſ. p. CXCVIII.

V.

VALCKENDALIUS DE ZYL (PETRUS) Trajecti ex inluſtri gente & parentibus in re lauta degentibus ortus. Theologiae animum adplicuit, & in Roſtochienſi univerſitate S. Theologiae Baccalaureus creatus, Trajectum rediit, & in urbe patria domui Canonicorum Regularium ut Prior praefuit ad annum MCCCCLXXXV. quo rebus humanis exemptus eſt.

Scripta ejus haec fuiſſe dicuntur:

Explanatio in libros Sententiarum.

Vetus & Novum Teſtamentum per vocabula ſub ordine Alphabeti diſtinxit.

Secundam Secundae & librum *Quaeſtionum de malo* Doctoris ſancti, omiſſis argumentis luculento ſermone excerpſit:

Item *Sermones varios de Tempore & Sanctis*, aliaque conſcripſit.

Ita ex Corn. Blocchii Chronico MS. Canonicorum Regularium coenobii Trajectini recenſet Valer. Andr. Biblioth. Belgic. p. DCCLXV. & addit nihil horum ſe vidiſſe, neque umquam edita credo. Inter eruditos Trajectenſes enumerat quoque Graevius Orat. in L. Acad. Traj. nat.

VALERIUS (CORNELIUS) Hunc Veter-aquenſem, natum in oppido Hollandiae Oudewater, facit Valer.

ler. Andr. in Biblioth. Belg. ut & Sweertius, Miraeus, M. Adam & Teiſſerus. verum male, cum Trajecto natales ſuos debeat, ut conſtat ex Epitaphio, quod in honorem ejus poſitum eſt. Recte idem Valerius Andr. in Faſt. Academ. Lovanienſ. p. CCLXXX. vocat eum *Cornelium Valerium ab aqua veteri vulgo Audwater*, ita ut *Audwater* videatur fuiſſe nomen familiae. Natus eſt anno MDXII. Puer in templo primario cecinit, deinde utriusque linguae praeceptis a Georgio Macropedio, Trajectenſis ſcholae moderatore, hauſtis, Lovanium contendit, ibique per ſex annos Cornelium Goclenium Latinas, & Rutgerum Reſcium graecas literas docentes audivit. Domum redux in urbe patria per ſexennium Rhetoricam docuit, ad cujus profeſſionem a Macropedio adſcitus dicitur a Sweertio in Ath. Belg. Profeſſoris titulus eo tempore certe hac in urbe incognitus fuit; verum ſub auſpiciis Macropedii, cujus tempore ſumma erat ſcholae noſtrae Hieronymianae celebritas, & ingens diſcipulorum ex omni Belgio confluxus & frequentia, in Gymnaſio Hieronymiano Rhetorices praecepta tradidiſſe videtur. Deinde ſtudiis & moribus quorumdam nobilium adoleſcentium praefectus Lovanium petiit, & cum iis peragrata Gallia, iterum Lovanium venit, ibique anno MDLVII. Petro Nannio, celeberrimo illi philologo & Graecarum literarum Profeſſori in collegio Trilingui Buſlidiano ſucceſſor datur, ab eo Profeſſionis haeres nominatus, teſte Sweertio Athen. Batav. p. DCXXVII. *ſtudio non impar, quamquam ingenio fortaſſe inferior*, uti ſcribit Lipſius Epiſt. ſelect. cent. III. Miſcell. LXXXVII. & Miraeus de Script. ſeculi decimi ſexti cap. CVI. In hoc theatrum evectus, ſumma cum eruditionis fama docuit,

cuit, exque ejus diſciplina plurimi viri docti prodierunt, ut Lipſius, Canterus, Carrio, Modius, Giſellinus, Schottus, Delrio, Giſanius aliique, qui eo praeceptore feliciſſime uſi ſunt. Naturae debitum ſolvit Lovanii anno MDLXXVIII. aetatis LXVI. jacuitque annos triginta absque ullo Epitaphio, donec Georgius ab Auſtria Academiae Cancellarius praeceptori optime de ſe merito hoc monumentum poſuerit, quod exhibent Sweert. Athen. Belg. p. CXCVIII. & Aicher. Theatr. Funebr. p. CCCCVII.

D. O. M.
CORNELII VALERII
ULTRAIECTINI
OSSA
HEIC CONDITA ET CONSUMPTA
NOMEN
ADSCRIBERE ALIENA PIETAS VOLUIT.
AN ALIENA TAMEN?
A DISCIPULO VENIT.
ET QUANTUS ILLE CUI VENIT?
MERUIT
IUVENTUTEM BELGICAM
ORE ET STILO.
IN COLLEGIO TRILINQUI
DOCUIT.
NON MINUS DISERTUS UTILISQUE
POSTQUAM LOQUI DESINIT

QUAM CLARUS ET AETERNUS
POSTQUAM SCRIBERE.

GEORGIUS AB AUSTRIA
PRAEPOSITUS HUIUS ECCLESIAE
ET ACADEMIAE CANCELLARIUS
NEGLECTUM XXXII. ANN.
MONUMENTUM PRAECPTORI P. C.
CIↃIↃCX.
VIXIT ANN. LXVI. DOCUIT XXI.
OBIIT CIↃ IↃLXXIIX. III. EID. SEXT.

Dolet ejus mortem Stewechius ad Arnob. lib. 11. Contra Gent. pag. LXXXIV & LXXXV. edit. in 4. his verbis: *Cornelius Valerius Profeſſor linguae Latinae apud Lovanienſes, quem virum & memoriae & amicitiae cauſſa non poſſum non nominare. amorem ille & ſincerum animum cum alias frequenter, tum poſtremo colloquio ita prolixe declaravit, ut aegerrime a praeſente tum avellerer, & defunctum debeam indies magis magisque deſiderare, meminiſſe inprimis literarum cauſſa, quae obitu iſtius tantum accepere damni, quantum gloriae ex vita erant conſecuturae.*

Scripta ejus ſunt:

Rhetorices & Dialectices Tabulae. Baſileae MDXLV. vid. Geſner. Append. ad tom. I. Biblioth. quae & prodierunt Venetiis MDLXIV & MDLXXXV. Argentorati MDLXVII. Coloniae MDLXXXIII & MDXCVI. & Amſtelaedami MDCVI. 8.

Grammaticarum inſtitutionum libri quatuor. Pariſ.

MDL.

MDL. 4. Dillingae MDLXXIV. & Antverpiae MDXCII. 8.

Oratio in funere Petri Nannii Profeſſoris Lovanienſis. MDLVII. vid. Teiſſer. Catal. Auctor. & Biblioth. p. LXV.

Oratio funebris in obitum Jacobi a Meloduno. Lovanii MDLX. 4.

Ethicae ſeu moralis Philoſophiae inſtitutio. Baſileae MDLXVI. Antverp. MDLXXXII. 8.

Phyſicae, ſeu de naturae Philoſophia, inſtitutio. Antv. MDLXVIII. MDLXXXIV. & MDXCV. Marpurgi MDXCVIII. 8.

Animadverſiones in Officia Ciceronis cum Guielmi Canteri & Cauchii notis. MDLXXVI. 8.

Proſodia. Jenae MDLXXX. 8.

Sphaera ſeu prima Aſtronomiae & Geographiae praecepta. qui liber Antverpiae MDXCIII. 8. & cum praelectionibus Rudolphi Snellii prodiit Francof. MDXCVI. juxta Lipenium Biblioth. Philoſoph. p. CXXXII. & MCCCCXVIII.

Parvae molis libellus penes me eſt, qui prodiit Trajecti anno MDXL. apud Hermannum Borculoum, cui titulus: *Brevis deſcriptio eorum, quae in adventum feliciſſimi invictiſſimique D. N. Caroli V. Rom. Imp. Aug. a S. P. Q. Traject. apparata ſunt, veluti Arcus Triumphales, ſtatuae Coloſſeae, aliaque id genus, pleraque cum carminibus & inſcriptionibus.* Quis vero harum inſcriptionum & carminum, pro eo tempore ſatis elegantium, auctor ſit non additur. Hunc tamen Valerium, qui eo tempore Poëtices laude floruit, auctorem habere didici ex carmine gratulatorio, quo inſcriptiones & arcus triumphales exponit, quod carmen cum Adriani Schorelii Poëmatibus prodiit Antverpiae ex Officina Plantiniana anno MDLXVI. cura Guilielmi

Mennentii, hoc titulo: *Brevis narratio eorum, quae nuper in adventum Caroli V. Caeſ. Auguſti a Senatu populoque Ultrajectino apparata ſunt anno reſtitutae ſalutis* MDXL. *carmine* ἐξηγητικῷ *expoſita a Cornelio Valerio Ultrajectino.* cui addita eſt *Ejusdem Gratulatio de novo Caeſaris adventu, Equitumque ſummi ordinis Velleris aurei, pompaque ſollemni, dicta anno* MDXLVI. *luce Januarii* 11 *calculo Romano*, & eſt carmen, quod Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CLXVI. vocat *Triumphum* (ſive *Triumphos*, ut idem Valer. pag. XVII. & Sweert. Athen. Belg. p. CII.) *Caroli quinti Caeſaris urbem Ultrajectinam ingredientis.*

Latine reddidit *Colloquia Gallica Noeli Barlemontii*, quae an eadem *Colloquia*, quae cum *Dictionariolo* VI *Linguarum* Antverp. MDLXXIX. in 16. prodiiſſe memorant Draudius Biblioth. Claſſ. tom. II. pag. MCCCXLVII. & Lipenius Biblioth. Philoſ. p. CCCXIII. neſcire me fateor.

Scholia in univerſam Valerii Syntaxin conſcripſit Antonius Dionyſii Lovanii. MDLXXI. uti tradit Valer. Andr. Bibl. Belg. p. LXIV.

Obſervationes Valerii in Lucretium exſtant in editione Giſanii Antverp. MDLXVI. & Leidae MDXCV. 8.

Ad Valerium exſtant epiſtolae Lipſii lib. III. Epiſt. Quaeſt. Epiſt. XVI. & lib. V. Ep. XVII. & lib. I. Epiſtol. ſelect. cent. I. Miſcell. I.

Varias Valerii *Orationes & Praefationes* MSS. adſervari in Collegio Trilingui teſtatur Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. CLXVI. qui & fata & vitam noſtri Valerii enarrat in Faſt. Academ. Lovan. pag. CCLXXX. & Deſcript. Colleg. Triling. p. LVIII. Videndi & Sweert. Athen. Belg. p. CXCVII. Vernul. III. Academ. Lovanienſ.

nienſ. XIII. Miraeus Elog. Belgic. cl. VIII. p. CXXVI. & de Scriptor. ſeculi decimi ſexti cap. CVI. Opmeer Op. chron. p. CCCCLXXX, qui eum *primarium Grammaticum* vocat, & p. CCCCXVIII, ubi *virum animi candore & doctrina celeberrimum* nuncupat. Beyerlink Op. Chronogr. ad an. MDLXXIII. p. XXXIX. M. Adam vit. Philoſoph. p. CXXXVIII. qui in vita Canteri p. CXXVI. magnificum elogium, quo illum ornavit Suffrid. Petr. de Scriptor. Friſiae Decad. XII, VIII, refert hoc modo: *Habebat Canterus Cornelium Valerium praeceptorem, ſingularem erudiendae juventutis artificem, cujus ductum tuto ſequeretur. Qui quantum in hac palaeſtra valeret, multis annis publice privatimque ſummo cum rei literariae commodo, nec minori Lovanienſis univerſitatis ornamento, tum viva voce declaravit; utpote cujus ſcripta, quae in omnes Philoſophiae partes publicata exſtant, ob eruditam commoditatem omnibus fere in ſcholis juventi praelegantur; vivae tamen vocis ea prae his energia, ea vis erat, ut quod Ariſtoteles de ſe ad Alexandrum ſcripſiſſe fertur, de hoc auctore veriſſime dici posſit, eum demum Cornelii Valerii ſcripta recte intellexiſſe, qui ipſum haec viva voce tradentem audiviſſet:* vocans eum *virum eruditiſſimum & undiquaque doctiſſimum:* hujus & meminit Graevius Orat. in L. Academ. Traject. natal.

VELDENARIUS (JOHANNES) Hic quoque a Clar. Graevio, ut & ab Heuſſ. tom. II. Hiſtor. Eccleſ. p. CXLII. inter eruditos Trajectenſes enumeratur. Trajecti vixiſſe, ibique habitaſſe ipſe teſtatur, & maximam ibi vitae partem tranſegiſſe ſcribit Sweertius Athen. Belgic. p. CCCCLXXX. verum an Trajecti natus ſit, ignoro. Celeberrimus hic eſt Hiſtoriographus, qui lingua vernacula conſcripſit Chronica ab initio mun-

mundi ad annum MCCCCLXXX. quae *Faſciculum temporum* vocat, & elegantiſſimis typis Trajecti edidit anno MCCCCLXXX. fol. ubi in fine haec leguntur verba: *Hier eyndet dat boek, dat men hiet Faſciculus temporum, inhoudende die cronycken van ouden tyden, als van dat die werlt eerſt gheſcapen is, ende van dat Adam ende Eva eerſt ghemaect worden, totter gheboert Chriſti toe: ende voert van allen Paeuſſen ende Keyſeren, die na de gheboert Chriſti gheweeſt hebben tot noch toe: ende daer na cortelick beſlutende mit die Cronycken der Coninghen van Vranckryck, van Enghelant, ende van die Hertoghen van Brabant, ende van die Biſſcoppen van Utrecht, ende van die Greven van Vlaenderen, van Hollant van Zeelant, van Henegouwen, van Ghelre, van Cleve, tot huden op den dach toe, by my volmaect Jan Veldenaer, woennende 't Utrecht op ten Dam, in 't jaer ons heren* MCCCCLXXX. *op ſinte Valentyns dach op die Vaſtelavont.*

Cronicon Hollandiae ſeparatim edidit Boxhornius cum notis an. MDCL.

Chronicon Trajectinum, ut & *Hollandicum* in linguam Latinam verſum edidit Matthaeus tom. IX. Analect. neque tamen Veldenarii eſſe ſuſpicari potuit, unde quibusdam in locis joculari admodum errore illa Chronica Anonymi, ut credidit, ipſius Veldenarii verbis inluſtrare, eorumque ſententiam Veldenarii conſenſu firmare conatus eſt. Utrumque Chronicon cum Veldenario contuli, pauciſſimiſque exceptis, de verbo ad verbum ex Belgico in Latinum tranſlatum repperi, quod mirum non animadvertiſſe Matthaeum.

Saepe Veldenarium circa fidem laborare, maxime ubi de origine gentis noſtrae tractat, notat Valer. Andr. in Bibliothec. Belgic. p. DLXXIV.

VELT-

VELTHUYSIUS (LAMBERTUS) male *Welthuyſius* dicitur a Le Long Biblioth. Sacr. tom. II. p. MXVI. Vitae lumen adſpexit in urbe noſtra anno MDCXXII. Studiis, quae ad humanitatem pertinent, abſolutis, Philoſophiae & Theologiae, ac deinde Medicinae ſe adplicuit, inque Medicina ſummos honores conſecutus, illam Trajecti exercuit. Anno MDCLXVII. in urbe patria ſenator creatus, eodem, ut & duobus ſubſequentibus, inter judices urbanos adſcriptus eſt. Fatali vero illo anno MDCLXXIV. una cum patriae amantiſſimis & optimis Senatoribus, fratreque Wernero, qui Ordinibus a ſecretis erat, ordine motus, privatam deinde vitam egit. Offenderat enim vir optimus, & non tantum Medicae artis peritia, ſed & ſanioris Theologiae & Philoſophiae cognitione inluſtris, & ut recte de eo judicat Clar. Graevius Orat. in L. Academ. Traject. natal. *varietate doctrinae nulli ſuorum civium inferior*, tribunicios concionatores, qui ingentem ipſi invidiam apud populum conflarunt *hoc uno nomine, quod magiſtratuum jura acriter contra eorum inſultus tuitus eſſet*, uti idem Graevius ſcribit Heinſio tom. IV. Syllog. Burman. p. CCVI. ubi illum *propter ingenii excellentiam, morum integritatem & ſuavitatem, amoremque patriae, unice diligere* addit, eaque epiſtola, ut & ſequentibus Heinſium rogat, ut cauſſam ejus agat apud Beuningium, aliosque in aula Principis Arauſionenſis potentes. vid. pag. CCVII. CCVIII. CCIX. CCXII. CCXIII. CCXV. & CCXVI. non uno nomine, ut ſcribit Graevius, ſed duplici iratos habebat iſtius temporis verbi divini praecones. I. ob perſonam quam apud eos ſuſtinebat; a magiſtratibus enim anno MDCLXVIII. ad conventus eccleſiaſticos deputatus erat, ut videret, ne

 quid

quid rem publicam vel politicam ſpectans ac perturbans a coetu eccleſiaſtico perageretur. II. ob editos libellos *de Officio Paſtorum*, *de Idololatria & Superſtitione*, quibus eos maxime infenſos reddidit, ita ut non tantum Synedrium coram Magiſtratibus de eo querelas detulerit; ſed & anno MDCLXIX. omnium hujus dioeceſeos Claſſium Deputati (ut vocantur) Ordinibus ſubplicem libellum porrexerint, quo ejus libros *de Officio Paſtorum*, & *de Idolotatria*, inpios, & omnem diſciplinam eccleſiaſticam evertentes pronuntiarunt, & petierunt, ut publica auctoritate eorum lectio & venditio interdiceretur, uti ex actis Ordinum VII Decemb. MDCLXIX didici.

Obiit vir optimus, quem merito *virum doctiſſimum* vocat ampliſſimus G. v. d. Muelen Diſſert. I. de Die Mundi pag. CCCXL. & *varia eruditione celeberrimum* Diſſert. III. pag. CIV. anno MDCLXXXV. aetat. LXIII.

Varia ſcripſit opuſcula vir diligentiſſimus, quae diverſis temporis prodierunt Belgice & Latine, & deinde conjunctim Latine Roterodami MDCLXXX. II. vol. 4. quae dedicavit fratri ſuo Wernero; & licet Graevius Epiſtola ad Heinſium tom. IV. Syll. Burm. p. DCLV. ſcribat *quod in Praefatione multi deſiderent prudentiam, & vereantur, ne ſibi malum aliquod arceſſat*, recte tamen hanc Praefationem laudandam & ſeris nepotibus commendandam, cum nemo melius iſtius temporis & hominum diritatem depinxerit, judicat venerandus Pater in not. tom. IV. Syllog. Epiſt. pag. CCLVII. qui & in Dedicatione ante Petronium eam *Socratica ſapientia plenam* pronuntiat. Continentur vero his duobus voluminibus ſequentes Tractatus:

I. Volumine *Tractatus de Juſtitia divina & huma-*

in indice librorum prohibitorum pag. 285. ponitur: Velthuysius Lambertus. nam operum omnium Pars i. et ii. decr. 25. jan. 1684.

na, quo probatur neceſſitas ſatisfactionis Chriſti, & jus Chriſtianorum bellum gerendi. exponitur doctrina de duplici Dei juſtitia punitiva: de Legis perfectione: de virtutum & vitiorum gradibus: de bonis operibus: de peccato originali pars I.

Pars II. *in qua agitur de Poena humana publica & privata.*

Pars III. *in qua probatur ex Scriptura ſatisfactionem pro peccatis hominum praeſtitam eſſe per Chriſtum.*

Diſſertatio de uſu rationis in rebus Theologicis & praeſertim in interpretatione Sacrae Scripturae.

Tractatus moralis de naturali pudore, & dignitate hominis; in quo agitur de Inceſtu, Scortatione, Voto coelibatus, Conjugio, Adulterio, Polygamia & divortiis. 1678.

Doctrina de Gratia & Praedeſtinatione tradita nova methodo, qui liber tacito ejus nomine primum prodiit Amſtelaedami MDCLXI. notante Heumanno de Anon. & Pſeudon. p. II. c. III. §. LXXIV.

Munus Paſtorale, vulgo dictum Concinatorium, & jus Eccleſiae definitum ex regulis verbi divini, primisque Reformationis noſtrae fundamentis, contra ſententiam quorumdam Doctorum, qui Reformationem profitentur, & poteſtatem Paſtorum plus aequo extendunt.

Tractatus de Idololatria & Superſtitione, cui additi ſunt *Libelli Synedrii Belgici Ultrajectini Magiſtratui Ultrajectino exhibiti, continentes querelam contra auctorem, & notas in ejus Tractatum, cum reſponſionibus ejusdem auctoris ad easdem.*

Diſquiſitio an Principi Chriſtiano in ditione ſua aliquod malum tolerare licitum? in qua ſpeciatim agitur de profanatione Sabbathi aut diei dominicae.

Tractatus de Articulis fidei fundamentalis, qui antea non prodierat.

Specimen retorſionum calumniarum auctori a mendaciſſimo quodam tenebrione impactarum.

In ſecundo volumine continentur:

De Initiis primae Philoſophiae juxta fundamenta clariſſimi Carteſii tradita in ipſius Meditationibus, nec non de Deo & mente humana.

Epiſtolica diſſertatio de Principiis juſti & decori. quae tacito auctoris nomine primum prodiit Amſtel. MDCLI. 12. in qua totum eſſe in defendendo Hobbeſii libro teſtatur Struvius in Biblioth. Philoſoph. cap. VIII. §. VII. in ea deeſſe perſpicuitatem, diſcernendi facultatem, neceſſariamque ſoliditatem, ex Thomaſio notat Stollius part. II. Introd. in Hiſtor. Literar. cap. II. pag. DCCLXI.

Disputatio de Finito & Infinito, in qua defenditur ſententia Carteſii de motu, ſpatio & corpore.

Demonſtratio, in qua oſtenditur, neque doctrinam de quiete Solis & motu Terrae, neque principia Philoſophiae Renati Deſcartes verbo Dei contraria eſſe, oppoſita Tractatui J. du Bois concionatoris Lugduni Batavorum, cui titulus Nuditas Philoſophiae Carteſianae detecta.

Luculentior probatio, quod neque doctrina de quiete Solis, & motu Terrae, neque principia Philoſophiae Renati Deſcartes verbo divino contraria ſint, oppoſita Tractatui J. du Bois concionatoris Lugduni Batavorum, cui titulus Noxa Philoſophiae Carteſianae.

Tractatus duo Medico-Phyſici, unus de Liene, alter de Generatione. in Praefatione egregie famam ſuam vindicat contra calumnias Gisberti Voetii in ſermoni-

bus

bus publicis in eum ſparſas, & Pauli Voetii, qui in Praefatione ante Philoſophiam reformatam *maledictorum nimbum in eum effuderat.*

Tractatus de cultu naturali, & origine moralitatis, oppoſitus Tractatui Theologico-Politici, & Operi poſtumo B. D. S. qui antea non editus hic primum conſpicitur.

Laudat & Theologis commendat Velthuyſii opera Celeb. van Til in Biblioth. Theolog. ſelect. p. XXXIV. deque eo haec teſtatur: *Vir ille doctus Carteſii Philoſophiae addictus, & liberalioris ingenii homo, aliis adamatus, ab aliis atro carbone notatus, praeſtitit tamen egregia.*

Diſſertationem inpiam *de Philoſophia Scripturae interprete*, quae Ludovicum Meyerum Medicum Amſtelaedamenſem, ſive, ut alii volunt, Spinoſam auctorem habet, a quibusdam Velthuſio adſcriptam, ipſe adfirmat in Praefatione libelli de Uſu rationis in rebus Theologicis, quem anno MDCLXVIII. 12. contra hanc diſſertationem conſcripſit, notante Heumanno de Scriptor. Anonym. & Pſeudon. part. II. cap. II. §. III. qua de re legi merentur epiſtola Senatus eccleſiaſtici Gallo-Belgici Trajectini ad Academiae Franequeranae Senatum, & Nicolai Arnoldi Theologi Franequerani ad eam reſponſum, quae exhibet Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. VIII. pag. CLIII. & ſeqq.

Parum conſiderate a Theologo quodam noſtri temporis refertur inter eos, qui negant *dari Theologiam naturalem, innatam quoque.*

VERHEL (ARNOLDUS) Hic a Valerio Andrea in Biblioth. Belgic. pag. LXXXVII. nominatur *Vechellius*, ſed male, & addit Valerius, quod *ſit auctor in-*

famis, excucullatus Apoſtata, ac bis maritus, & in ordine Capucinorum Sylvaeducis Pater Angelus dictus. unde conſtat, ejuratis Papiſticis ſuperſtitionibus, emendatis ſacris nomen dediſſe. Amersfortio natales ſuos debet. Philoſophiae & Jurisprudentiae ſe adplicuit. Liberalium artium Magiſter & J. U. Doctor creatus, in Academia Franequerana ab initio praeteriti ſeculi Philoſophiam profeſſus eſt, patetque ex ejus ſcriptis Philoſophiae Ariſtotelicae ſive Peripateticae addictiſſimum fuiſſe. Obiit anno MDCLXIV. in ultima ſenectute, annum aetatis LXXXIV. agens.

Edidit

Metaphyſicam. Franeq. MDCXXII. & MDCLIV. 4.

Ideam Ethicam, Politicam, Oeconomicam.

Sylvam quaeſtionum Phyſicarum.

Ex actis noſtrorum Magiſtratuum III Martii MDCXXIII. didici conſcripſiſſe librum, cui titulus: *Selectiſſimarum quaeſtionum ſylva, & accurata methodus univerſae Philoſophiae Ariſtotelicae, præſtantisſimorum Philoſophorum auctoritatibus adornatae*, & dedicaſſe Ordinibus noſtris ut & Magiſtratibus, & ab Ordinibus numiſmate aureo donatum. reiteratis typis prodiit & Franeq. MDCLXII. 4.

Speculum primae Philoſophiae in ſe. Traject. MDCLXII. 4. quod Franequerae an. MDCLXI. evulgatum refert Lipenius Biblioth. Philoſ. pag. CCCCXXXIX.

VERHOEVEN (THEODORUS) Amersfortius, praeceptorem habuiſſe Johannem Geſſelium ipſe teſtatur pag. LXI. & Leidae poſtea ſtudiis operam dediſſe patet ex pag. LIII. ubi tradit Leidae familiarem conſuetudinem habuiſſe cum Dionyſio Voſſio. Gymnaſi-

archam

archam Gravenſem fuiſſe docet Teiſſer. Catal. Auctor. & Biblioth. p. CCLI. Ejus eſt

Brevis rerum Amersfortiarum & ſuccincta deſcriptio. quam edidit Antonius Matthaeus anno MDCXCIII. 4. qui, quod mirum, nihil de auctoris hujus fatis disſerit.

Carmen Theodori Verhoeven in Tollium cum Cinnamum ederet, legitur praefixum editioni Cinnami.

VERMEULEN (CHRISTIANUS) ſive MOLINA, ita dictus, quia molitoris Trajectenſis erat filius. Hic Theologiae operam dedit, & Baccalaurei gradum adeptus, Romanenſium paſtor Stompvici exſtitit Quo munere cum fungeretur, & acerrimus avitarum ſuperſtitionum propugnator & vindex eſſet, cum celeberrimo Cabellavio de quibusdam religionis capitibus contendit. Quia vero inobediens erat decretis Ordinum Hollandiae, anno MDCLV. exulare juſſus eſt. cui ſententiae non parens, Hagae in carcerem ductus eſt, & anno MDCLVIII. iterum in exilium miſſus, Oratorii Kevelariani presbyteris ſe adjunxit, & paſtor Reſenſis obiit anno MDCLXVIII. Auctor eſt libri, cui titulus eſt, de *Katholyke Montſtopper*, qui ſaepe recuſus.

Sub ficto nomine *Petri Broeklandi* edidit *Narrationem diſputationis cum Cabellavio habitae.*

Vid. Heuſſ. Hiſt. Eccl. tom. IV. pag. DCCCXCIV.

VLUGGIUS (JACOBUS) Hic quoque inter eruditos Amersfortios memorarur propter *Paraphraſes hymnorum veteris & novi Teſtamenti*, quas juvenis adhuc elegantiſſimo carmine comprehendit, & dedicavit nobiliſſimo Jano Douſae. editae ſunt Franequerae an. MDC. 16. vid. Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. CCCCXXXIV. Sweert. Athen. Belg. pag. CCCLXXVI. &

Ver-

Verhoev. apud Matth. Rer. Amerſf. ſcript. p. LXII.

VOERN (GUILIELMUS) ſive VORNTKEN. Trajectenſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini anno MCCCXCIX. profeſſus in Windeſemenſi coenobio, Prior ſecundus in Monte Agnetis prope Swollam. Cui cum per XVII annos praefuiſſet, ad propriam domum, totumque Ordinem Windeſemenſem revocatur, ejusque Prior conſtituitur ordine tertius, & non quartus, uti male Valerius Andr. aliique, quod ex Epitaphio, quod mox producemus, & ſerie Priorum Monaſterii Windeſemenſis, quam recenſet Heuſſ. tom. V. Hiſt. Eccl. p. DCXXVIII. conſtat. Obiit anno MCCCCLV. aetatis LXXXII. profeſſionis LVI. &, uti traditur, non ſine ſanctitatis opinione.

Auctorem eſſe libri, qui in Bibliotheca noſtra publica MS. adſervatur, cui titulus eſt, *Regularium Canonicorum viri illuſtres, ſive de origine Collegii in Windeſſeime*, adfirmat ex Bunderio Valerius Andreas. Oudinus vero de Scriptor. Eccleſ. tom. III. pag. 2547. ſecutus celeberrimum Leibnitium ad Tom. II. Collectionis de Scriptoribus Hiſtoriae Brunsvicenſis, auctorem facit *Johannem Buſchium*, qui ab aliis *Arnoldus Buſchius* ſive *a Buſco* dicitur, ut a Trithemio, Miraeo & Poſſevino t. I. Appar. ſacr. p. CXIX. qui liber prodiit Antverpiae MDCXXI. 8. cura & ſtudio Heriberti Roſweydi, uti ſupra in Roſweydo adnotavi. In ipſo vero codice, quem conſului, primo legitur *Epiſtola de prima inſtitutione Monaſterii in Windeſem edita a venerabili patre Wilhelmo Voern.* tunc ſequitur *Liber de viris illuſtribus Ordinis Canonicorum Regularium Monaſterii in Windeſem diocefis Trajectenſis*, non addito nomine auctoris, niſi quod in Praefatione ſe vocet

cet Canonicum iſtius congregationis, & hunc laborem ſuſcepiſſe ſcribat *ex auctoritate venerabilis fratris Johannis Prioris in Windeſem praecipientis, & amore Fratrum ejus ab eo id expetentium.* Ille vero *Johannes* fuit *Johannes a Naelwyk*, qui Guilielmo noſtro in Prioratu ſucceſſit, uti conſtat ex Heuſſ. tom. v. Hiſt. Eccleſ. p. DCXXVIII. Porro in eodem Codice habetur & *Liber de origine devotionis modernae in Windeſem ordinis Canonicorum Regularium, & de origine Capituli noſtri generalis, & conſumatione.* Auctoris vero nomen praefixum non conſpicitur. in Praefatione dicit *de mandato venerabilis patris Johannis in Windeshem Prioris* conſcripſiſſe, & ſe *plus quam ſexagenarium* vocat. Forte auctor fuit *Johannes Gerardyn*; in fine enim legitur: *Explicuit hoc totum Johannes Gerardyn*, niſi hic Gerardus tantum deſcripſerit; multos enim ſcriptores nomen ſuum praefigere vel poſtponere libris, quos exſcripſerunt, licet non compoſuerint, non ignorare poſſe eum qui paucos libros MSS. oculis luſtravit, docet Roſweydus de vitis Patr. Prolegom. IV. §. XI. Quidquid ſit, ex his conſtare arbitror Guilielmum noſtrum tantum auctorem eſſe Epiſtolae, non vero ſequentium librorum. In ultimo vero libro, ſcilicet *de Origine devotionis* &c. cap. XXX. haec de Guilielmo noſtro tradita inveni: *In generali Capitulo Wilhelmus Vornke de Trajecto in Priorem de Windesheim eſt electus, & per generale Capitulum confirmatus. Qui primum in Leiderdorp per annum, & in monte S. Agnetis per* XVII. *annos, ac deinde in Windeſem per* XXIX. *annos Prior exiſtens, diverſa Monaſteria, & totum generale Capitulum in bona rexit diſciplina. Fuit enim vir vitae venerabilis, Deo & hominibus dilectus,*

 natu-

naturalibus & ſpiritualibus multifarie inſignitus, naturali ingenio pollens, aetate & aevo maturus, ſtatura aequalis, corpore fortis, calvitie venuſtus, canitie venerandus, vultu decorus, ore ſeverus, eloquio circumſpectus, moribus maturus, bonorum morum amator, diſciplinae conſervator, conſilio prudens, opere magnificus, contemplatione ſuſpenſus, afflictis compatiens, tentatis conſolatorius, duris & perverſis rigidus & ſeverus, inter humiles humilior, inter verecundos verecundior, inter ſapientes ſapientior, in adverſis magnanimus, in proſperis Deo gratias agens, & in omni opere ſuo diligens & exemplaris. & legitur ejus

Epitaphium a quodam fratre in Windeſem ab ipſo inveſtito compoſitum.

Hic cubat in tumulo Wilhelmus nomine Vornken,
Quem fera mors jugulo petiit, perimens manu fortem,
Fortem qui tenuit vigilem cum Daemone litem.
Vix modo quis genuit, itidem per ſingula ditem.
Viribus hic Hector, animo fuit is Machabeus,
Dux pius & rector, jucti tamen arbiter aequus.
Mollia mirifice ſtuduit reſecare potenter.
Turbida pacifice tulit, intrepideque valenter,
Dum pavor inviſus ruit undique ſe quoque fudit.
In Domino fiſus fortis ad omne fuit.
Corpore ferventer leges tenuit ſeniorum,
Hoc ſatagens ſemper, res ſtentque ſtatuta priorum.
Vocibus & vita nil duxit mox peritura.
Vox ſua vox viva, ſans quaerere ſola futura.
Conſilio prudens, animo gravis, ore ſerenus.
Magna gerens, ſed pauca jubens, apteque ſeverus.
Moribus his dignus hic praefuit ordine terno,

His

His fuit inſignis, his dignus honore paterno.
Sic pater efferimus tua nunc praeconia ſantes,
Et licet immeritus ex me, tamen inter amantes.
His duo CC *mille ſimul* LV *ſenſuit annus*
Quo meat hinc ille meritis dominis praemiandus.
Jul bis nonarum pe pau fuit hoc cathamane
Curſo plusque parum bino poſt octuadare.
Oratio metrica pro eo.
Spem tribuas veniae famulo clemens Deus o mi,
Gaudia cum requie regna beata poli.
Scribere non piguit me, quia me decuit,
Non tamen hoc libuit dicere quis ſeruit.

Cathamane id eſt juxta mane, a *cata*, quod eſt juxta, & mane.

Memoriam hujus viri conſervarunt Valer. Andr. Biblioth. Belgic. p. CCCXXXV. Sweert. Athen. Belg. p. CCCXVIII & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccleſ. p. CXXXIX.

VOETIUS (DANIEL) editus Heusdae XXXI. Decembr. anno praeteriti ſeculi vigeſimo nono, patre Gisberto celeberrimo Theologo, a quo infans Trajectum translatus, earumque linguarum, ſine quarum peritia artes & diſciplinae addiſci nequeunt, cognitionem conſecutus, Philoſophiae & Medicinae operam dedit, & in utraque Doctoris titulum adeptus, juvenis XXIII annorum extra ordinem Philoſophiae Profeſſor in Academia noſtra creatus eſt XX Decemb. MDCLII ſimul cum Johanne de Bruyn ſive Brunone; ita ut ille Phyſices & Matheſeos, & noſter Logicae & Metaphyſicae praecepta traderet. & ſingulare eſt, quod juxta decretum Magiſtratuum IX & XXX April. MDCLV nondum inter ordinarios Profeſſores adſcripti ad examina Candidatorum admiſſi ſint. Ordinarii Profeſſoris titulum noſter obtinuit V Aprilis MDCLVI. Uxorem duxit Winandam Juniam die XXXI Octobr. anno MDCLIV.

Obiit vero in ipſo aetatis flore XXIX Julii MDCLX, vix trigeſimum primum aetatis annum agens. Funebri oratione eum publice laudavit Berkringerus.

Scripta ejus ſunt:

Compendium Phyſicae.

Compendium Metaphyſicae. Traject. XDCLX. 12.

Compendium Pneumaticae. Ibid. MDCLXI. 12.

Meletemata Philoſophica.

Phyſiologia, ſive de Rerum natura libri ſex. Amſtel. MDCLXI. quam deinde notis inluſtratam edidit Gerardus de Vries Traj. MDLXXXVIII. 8.

Diſputationes variae.

Diſputationis de Theologia naturali mentionem facit Gisbertus Voetius tom. V. Diſput. Theolog. pag. CCCCLXIV. Variae ejus *Diſputationes Phyſicae* editae ſunt a fratre Paulo Voetio in *Prima Philoſophia reformata.* vid. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXXV. ad quem annum male ejus mortem refert.

VOETIUS (GISBERTUS) celeberrimi nominis Theologus, Heusdae natus eſt V. Non. Martii an. MDLXXXIX. uti ipſe teſtatur tom. IV. Diſput. Theolog. CCLXXXIII. & Heusdam patriam ſuam vocat Ibid. pag. MXXX. Godſcalcum Stewechium, doctiſſimum illum Heusdanum, cognatum ſuum adpellat tom. III. Disput. Theolog. pag. DCLXXXVI. Patriae civitatis alumnus in collegium Theologicum Leidam anno MDCIV. miſſus, literis elegantioribus, Philoſophiae & Theologiae ſumma cum induſtria & diligentia operam dedit. In Graecis literis praeceptorem habuit Bonaventuram Vulcanium, uti ipſe refert tom. IV. Diſput. Theolog. p. CCLXII, Part. I. lib. IV. de Polit. Eccleſiaſt. tract. I. cap. I. & part. II. libr. IV. tract. III. cap. III. & Danielem

nielem Heinſium, Part. I. Polit. Eccleſ. lib. III. tract. I. ſect. III cap. v. & part. III. lib. I. tract. III. cap. IX. In Philoſophicis Gilbertum Jacchaeum audivit. vid. tom. v. Diſput. Theolog. p. CLXXXIII. & CCCCLVIII. In Theologicis Franciſcum Gomarum praeceptorem vocat part. I. lib. II. de Polit. Eccleſ. tract. II. cap. II. §. III. & part. II. lib. II. tract. II. cap. I. tom. III. Disput. Theolog. pag. DCLXXVIII. & MCCXLII. & MCCXLV. tom. v. pag. XCIX. CXLII. DCXXXIV. & DCXXXVI. & in Therſite Heautont. p. CLXV. & Deſperat. cauſ. Papat. lib. III. ſect. I. cap. XI. p. CCCCXCVI. & lib. I. Biblioth. Stud. Theolog. cap. XI. & XVI. ut & Jacobum Arminium, cujus doctrinae tam acriter ſe poſtea obpoſuit. vid. tom. III. Diſput. Theolog. p. MCXXII. & tom. v. pag. CCXXVIII. Tantos in Philoſophia progreſſus fecerat, ut Leidae eo tempore, quo Theologicis ſtudiis incumbebat, privatim in Logica adoleſcentes inſtitueret. vid. Polit. Eccleſ. part. II. lib. III. tract. IV. cap. III. Burgersdicium, poſtea Philoſophiae Profeſſorem Leidae, ipſius *in Collegio Logico Practico & Diſputatorio* diſcipulum fuiſſe ſcribit tom. IV. Diſputat. Theolog. pag. CCLXXXVII. Integrum ſeptennium ſe in Academia Leidenſi ſubſtitiſſe indicat Polit. Eccleſ. part. III. lib. I. tract. III. cap. IX. pag. CCXLVI. Studiorum curſu anno MDCXI. abſoluto, & inter S. S. miniſterii Candidatos receptus, primo in vico Vlymen, extremo Hollandiae & agro Sylvaeducenſi contermino, poſt dimiſſum Parochum Papalem, uti ipſe tradit de Polit. Eccleſ. part. I. lib. III. tract. IV. cap. II. ſimul demandatâ ei curâ eccleſiae pagi Engelae, qui Vlima horam integram diſtat, paſtorem egit ad annum MDCXVII. quo ab Heusdanis & Roterodamenſibus eodem tempore expeti-

tus, patriae urbi ſe addixit, *absque ulla* (ita ſonant ejus verba Polit. Eccleſ. part. I. lib. IV. tract. III. cap. II. pag. DCCCXIII) *ſtipendii petitione, ſtipulatione aut adſignatione, ſolummodo ad juvandam eccleſiam patriam a factione Remonſtrantium, & decimo demum menſe adſignatum ſtipendium.* Hancque vocationem legitimam fuiſſe contra Arminii dogmata profitentes probat part. III. Polit. Eccleſ. lib. I. tract. III cap. IX. Cumque iterum Roterodamenſes an. MDCXIX & MDCXXIII ſibi vindicare vellent, conditionem abnuit, & cum Hagani, Harlemenſes, Dordracenſes, Sylvaeducenſes & Medioburgenſes idem tentaſſent, noſter, amore patriae abductus, ſpem eorum fefellit. Summo in Heusdana ſtatione zelo & fervore omnes miniſterii partes obiiſſe, non tantum inde conficere poſſumus, quod per quamque hebdomadam octo conciones habuiſſe dicatur; ſed & quod ſaepius, abſente vel tardius adcedente Lectore, ipſe, antequam ſuggeſtum adſcenderet, partem Scripturae populo praelegerit, & Pſalmum praecinerit, uti teſtatur Polit. Eccleſ. part. II. lib. II. tract. III. cap. VIII. Interfuit quoque per ſex menſes celeberrimae Synodo Dordracenae, & anno MDCXIX a Synodo Leidenſi ſe deputatum, ut Goudanam eccleſiam a Remonſtrantibus purgaret, & ſaniorem religionem doceret, narrat Polit. Eccleſ. part. III lib. III tract. I. cap. III. Cum Heusdae paſtor eſſet, variis quoque in locis ſe munere eccleſiaſtico functum ipſe memorat tom. IV Diſput. Theolog. p. CCLXXXIII. his verbis: *In civitate Heusdana ab anno* MDCXVII *usque ad annum* MDCXXXIV *miniſterio functus in eccleſia partem aliquam ex viris militaribus conflata, quam ſtrepitus armorum poſt factas inducias ab anno* MDCXXI *denuo circumſonabat, inſuper in Caſtello Hemerthano eccleſiaſtice*

ſtice

ſtice cum eccleſia Heusdana combinato, una cum collegis hebdomadatim coram praeſidiariis ab anno MDCXXI *usque ad* MDCXXXIV *concionatus. Praeterea in exercitu Sylvamducis anno* MDCXXIX *obſidente, vi miſſionis Synodi Suydthollandiae & Claſſis Gorinchemenſis, aliquamdiu ſacro miniſterio functus: ad haec Sylvaducis jam occupata, ibidem novem menſibus inter ſtrepitus, miſerias, & morbos militares operam meam commendavi, ut & poſtea anno* MDCXXXII *ultra ſesquimenſem in parte illa copiarum, quam ad expeditionem Flandricam ducebat illuſtris & generoſus Comes Guilielmus Naſſavius, foederati Belgii Mareſcallus, & civitatis Heusdanae ac circumjacentium, & ad Moſam ſitorum caſtellorum Praefectus, inter arma concionatus fui.* vid. & part. I. Polit. Eccl. lib. II. tract. II cap. I § II. & part. III. lib. II tract. I. cap. II. §. VI. Cumque acerrimus veritatis orthodoxae, & puriorum ſacrorum vindex & propugnator, concionibus ſuis, ut et conſiliis & obteſtationibus idololatriam, quam Papicolae in adoratione Crucis oſtentant, inpugnaſſet, & effeciſſet, ut Sylvaeducis crux lignea ex templo magno tolleretur, non tantum Sylvaeducis rumor ſparſus Voetium noſtrum miſerabili & horrendo exitu animam efflaſſe, ſed & in Hiſpania edito libello haec fabula in vulgus emanaverat, uti ipſe narrat tom. III Diſputat. Theolog. p. DCCCCVI & tom. IV pag. DCCCXXXVII. ubi ex profeſſo ſcriptum illud in Hiſpania evulgatum refutat.

Per ſeptemdecem annos patriae hujus eccleſiae curam geſſit. vid. Polit. Eccl. part. I lib. II. tract. II. cap. I. §. V. ad annum ſcilicet MDCXXXIV, quo ad inluſtrem Scholam Trajectenſem, quae biennio poſt in Academiam erecta eſt, ut Theologiam, Hebraeam & Orientales

literas

literas doceret, decreto Magiſtratuum IX Junii evocatus eſt, ex commendatione Riveti, uti innuere videtur Schookius Exercitat. de Diebus feſtis XI § XX. & XXIV Octobris in Eccleſiaſten quoque electus, ita ut cum Meinardo Schotano, & deinde cum de Matio unius paſtoris munia obierit; neque antequam has provincias in ſe ſuſciperet, ſollicitum fuiſſe de honorario annuo, aut conventionem ea de re iniiſſe, in part. I. Polit. Eccleſ. lib. IV. tract. II. cap. VI. pag. DCCXVII. his verbis declarat: *Numquam de ſtipendio meo pro Profeſſione Academica, aut pro miniſterio eccleſiaſtico cum quoquam mortalium hic pactus ſum, aut conventionem umquam inivi, ne quidem de qualitate aut quantitate ejus directe aut indirecte, ante, aut poſt ſuſceptionem Profeſſionis, nec ante, aut poſt adjunctae Profeſſioni vocationis eccleſiaſticae ſuſceptionem, ex vocantibus quaeſivi, ſed totum hoc illorum curae & arbitrio reliqui, ad quos hoc pertinebat. Putabam enim meum eſſe in ſuſcepto munere fideliter laborare, illorum vero mihi ex aequo & bono de temporalibus proſpicere.* vid. & Tract. III. cap. II. pag. DCCCXIII.

Licet vero noſter Theologiae Profeſſionem auſpicatus eſſet, deerat tamen ei Doctoris titulus, quem ut obtineret anno MDCXXXVI. Groningam petiit, ubi eo tempore docebat celeberrimus Gomarus, quo antea praeceptore uſus erat, qui Theologiae Doctorem pronuntiavit. vid. tom. V. Diſputat. Theolog. p. DCLXXXIV. Anno ſequenti iter in Angliam inſtituit, uti narrat Polit. Eccleſ. part. III. lib. II. tract. IV. cap. III. §. II. Triennio ſolum Profeſſionem Theologiae ſuſtinuiſſe, & per quamque hebdomadam octo lectiones praeter ſcholas privatas habuiſſe, teſtatur in Praefat. ante tom. I.

Po-

Polit. Eccleſ. neque tantum in Theologia erudivit ſtudioſam juventutem, ſed & collegia Hebraica, Rabbinica, Syriaca & Arabica ſe aperuiſſe refert lib. I. Biblioth. Studioſ. Theolog. cap. III. Docuit autem ſumma cum diſcipulorum & auditorum frequentia in Academia noſtra per XLII. annos, ſimulque ab anno MDCXXXVIII. divini praeconis partes egit; in quo munere quomodo ſe geſſit, ipſe indicat Polit. Eccleſ. part. I. lib. II. tract. II. cap. I. §. VI. *Simplicitas absque ulla oſtentationis ſpecie ſive in rebus, ſive in verbis, ſemper mihi placuit, eamque toto miniſterii mei curſu ſervare ſtudui.* Anno MDCXII. die V Maji uxorem duxerat Delianam Dieſtiam, ex qua ſex filios & quatuor filias ſuſcepit, *Paulum: Danielem; Johannem* in infantia mortuum; *Nicolaos tres*, quorum duo in adoleſcentia obierunt, & ultimus in eccleſiis Heusdana & Trajectenſi paſtorem egit; *Marias duas: Eliſabetham* & *Annam*, & ex iis prognatos vidit nepotes neptesque viginti quinque, & pronepotem unum.

Obiit vero ultima in ſenectute, pluribus jam annis unicum Synodi Dordracenae membrum ſuperſtes, I Novemb. MDCLXXVI. aetatis LXXXVII. vid. tom. V. Syllog. Burm. p. CCXXXIX. Oratione funebri memoriam ejus commendavit Andreas Eſſenius. Et mirandum certe, quod tam longaeva aetas contigerit viro, non tantum quam maxime induſtrio & laborioſo, ſed cui a primis annis, quibus Eccleſiae ſe mancipavit, ad mortem usque numquam quieta vita frui licuit, quique per omnem vitam cum acerrimis adverſariis, non tantum Papicolis, ut & iis, quibus Arminii doctrina placuit, ſed & cum eamdem religionem profitentibus, doctrinam ejus refellere, & famam etiam contumeliis

& convitiis atrociſſimis lacerare conantibus, bellum literarium geſſit, uti mox videbimus.

Scripta ejus ſunt:

Lachrymae Crocodilli. MDCXXVII. cujus ſcripti meminit Schookius Praefat. de Bon. Eccleſ. & occaſionem, qua ſcriptum, ex auctore vitae Walaei refert in Exercit. de Die Dominico IX. §. 11. Hoc libro magis pupugiſſe adverſarium, minus vero Eccleſiam aedificaſſe ex eodem auctore notat Crenius Animadv. Phil. & Hiſtor. part. VIII. pag. XLIV. & part. XI. pag. CXVII.

Philonium Romanum correctum, hoc eſt, notae & caſtigationes in Declamatiunculam Cornelii Janſenii Theologiae Doctoris, & Profeſſoris Lovanienſis, titulo Alexipharmaci civibus Buſcoducenſibus propinati &c. editam. Dordraci MDCXXX. 4. Quo anno Voetio noſtro cum Henrico Swalmio, Godefrido Udemans, & Samuele Everwyn, verbi divini miniſtris Dordracenſis, Harlemenſis & Ziriczaeanae eccleſiarum, ab inluſtriſſimis Ordinibus provincia data erat Sylvaeducis, jam pridem in poteſtatem Ordinum redactae, populum de purioribus ſacris erudire. Qui quatuorviri cum ad amicam, ſive publicam, ſive privatam, collationem, ubi de *Fide antiqua, catholica, Apoſtolica & Chriſtiana* diſceptaretur, omnes iſtius civitatis incolas, & inprimis Eccleſiaſticos, provocaſſent, & Cornelius Janſenius, celeberrimus ille Lovanienſis Profeſſor, antiprovocatoriam formulam, titulo *Alexipharmaci civibus Sylvaeducenſibus propinati adverſus miniſtrorum ſuorum faſcinum* edidiſſet, evulgavit Voetius hunc librum; cui Janſenius obpoſuit *Notarum ſpongiam* Lovan. MDCXXXI. & Voetius reſpondit edito libro, cui titulus *Deſperata cauſa Papatus, noviſſime prodita a Cor-*

nelio

nelio Janſenio Theol. D. & Pr. Regio in Academia Lovanienſi, ubi inprimis magna illa praejudicia de Reformatorum Vocatione, Succeſſione & Seceſſione funditus ſubruuntur, praemiſſa etiam velitatione de Magia, aliisque abominationibus Papatus. Amſtel. MDCXXXV. 4. Alicujus pretii hunc librum eſſe confitetur Morhovius Polyh. Liter. t. III. lib. V. §. XXV. Judicium Riveti de hoc foetu exhibet Voetius Polit. Eccleſ. part. III. lib. III. tract. III. cap. VIII. Janſenius vero Voetio non reſpondit, ſed pro eo in arenam deſcendit Libertus Fromondus, qui Cornelio Janſenio ad cathedram Epiſcopalem Iprenſem evecto, in Theologiae Profeſſione ſucceſſerat, cujus nomine prodiit *Cauſae deſperatae Gisberti Voetii adverſus Spongiam D. Corn. Corn. Janſenii criſis.* Lovan. MDCXXXVI. 4. vid. Voet. part. II. Polit. Eccleſ. lib. I. tract. I. cap. II. cui obpoſuit Schookius *Deſperatisſimam cauſam Papatus* an. MDCXXXVIII. uti ſupra in Schookio vidimus, & Fromondus *Sycophantam Epiſtolam ad Gisbertum Voetium* Lovan. MDCXL. 4. vid. Baelii Lexicon. tom. II. p. DCCCXXX.

Diſſertatio Epiſtolica de Termino vitae ad Amplisſimum clarisſimumque Johannem Beverovicium. MDCXXXIV. & MDCXLI. cum Praefatione M. Schookii, & denuo in tom. V. Diſputat. Theolog.

Therſites Heautontimorumenos, hoc eſt Remonſtrantium Hyperaſpiſtes, Catecheſi & Liturgiae Germanicae, Gallicae & Belgicae denuo inſultans, retuſus, idemque provocatus ad probationem mendaciorum & calumniarum, quae in Illuſtr. DD. Ord. & ampliſſ. Magiſtratus Belgii Religionem reformatam, Eccleſias, Synodos, Paſtores &c. ſine ratione, ſine modo effudit. Traject. MDCXXXV. 4. Hic liber ſcriptus eſt contra A-

nonymi ſectae Remonſtrantium Epiſtolam, continentem cenſuram theſium Voetii, quas in Academia publice ventilaverat: ut & contra alterum libellum Anonymi, titulo *Accuratum examen theſium Voetii.* quem Anonymum Amſtelodami habitare ſuſpicatur cap. III. pag. LXXI. verum poſtea auctorem J. Batelier agnovit in *Mantiſſa*, quae exſtat in fine *Therſitis.*

Confraternitas Mariana Traject. MDCXLII. 12. Hoc ſcripto, ut & quibusdam diſſertationibus Academicis eodem anno publice habitis, bilem movit Magiſtratibus Sylvaeducenſibus & eorum Profeſſori Mareſio. Priores, quos idololatriae reos pronuntiaverat Voetius, quia collegium Marianum non aboleverant, literis ad Magiſtratus Trajectinos datis, indignationem ſuam ſignificarunt, quas, quia continent hiſtoriam facti, & initii controverſiarum, quas cum Mareſio per triginta annos exercuit, ex actis Magiſtratuum noſtrorum XIV Novemb. MDCXLII. hic inſerere & exhibere operae pretium exiſtimavi. Ita vero ſe habent:

„ Edele, Hooggeleerde, wyze zeer voorzienige Heeren.

„ Wy hebben alhier in onze ſtad eene Confrerie of
„ Broederſchap, voerende de name van de H.
„ Maget Maria, die eenige hondert jaaren in reputa-
„ tie en credit is geweeſt, in dewelke zyne Excellen-
„ tie van Breederode eenige tyd geleeden is ingegaan,
„ met hem neemende nog dertien perſoonen van de
„ Gereformeerde religie, en van de gequalificeerſte
„ deezer ſtadt. Ende alſo de voorſcreve Broederſchap
„ in haar was vervattende verſcheyde conditien, ſo
„ politiquen als religieuſen en ſuperſtitieuſen, ſo heeft

„ zyn

„ zyn welgemelte Excellentie in dezelve willen ingaan
„ alleen onder de conditien politicq zynde, te niet
„ doende by formeel contract, daar over met de oude
„ Broeders, alle Papiſten zynde, gemaakt, de ſuper-
„ ſtitieuſe obſervantien en conditien in dezelve voor
„ deezen gepleegt, en 't geen tot nadeel van de re-
„ ligie en den ſtaat zoude mogen ſtrecken. Alhoewel
„ nu deeze actie by een yder behoorde gepreeſen en
„ voor goet geoordeelt te worden, als hebbende vee-
„ le ſuperſtitien, die noch bedektelyk in de voorſcre-
„ ve Broederſchap in ſwang gingen, doen ceſſeeren,
„ en deeze ſtadt in zeekerheid geſtelt tegen de machi-
„ natien, die aldaar konden geſmeet worden by een
„ groot getal der voornaamſte Papiſten deezer ſtad en
„ haarder Meyerye, die volgens haare oude uſantien,
„ en door de permiſſie aan dezelve, door de capitulatie
„ met de ſtadt gemaakt, gegeeven, tot allen tyden
„ haare vergaderingen mochten houden: zo zyn eg-
„ ter eenigen gevonden, die meer werks maakende
„ van goede actien ſiniſterlyk te interpreteeren, als
„ aan dezelve den rechten prys te geeven, den Heere
„ Profeſſorem Voetium van deeze zaake kwalyk on-
„ derregt hebben, waar uyt de voornoemde Voetius
„ ſchynt occaſie genoome te hebben in zyne publi-
„ que diſputatien in uwe Ed: ſtadt van Utrecht, de-
„ zelve, tot groot diſreſpect en oneere van zyne wel-
„ gemelte Excellentie, en der andere Heeren, te tra-
„ cteeren en te ventileeren, 't welk veroorzaakt heeft,
„ dat dezelve Heeren tot vindicatie van haare eere,
„ de poſitien, en daar uyt getrokkene conſequentien,
„ by eene publique Apologie hebben moeten verant-
„ woorden, preſenteerende aan den voornoemde Voe-

 „ tium,

„ tium, en allen anderen by den contracte, met de
„ Oude Papiſten Broeders gemaakt, te betoonen,
„ dat de zaake heel anders was liggende, als hy die
„ in zyne diſpute hadde voorgeſtelt. Dog alzoo eeni-
„ ge gepreoccupeerde gemoederen, verwerpende de
„ voorverhaalde gedaane preſentatie, door een der-
„ de ſchrift zonder naam van den auteur, zeer vilaine-
„ lyk tegens de eere en fame der voornoemde Heeren
„ hadden gegraſſeert, zo dat wy genootſaakt zyn ge-
„ weeſt tot ruſte van onſe kerk, en welſtandt van onſe
„ ſtadt, 't voorſcreeve ſchrift als een fameus libel te
„ verbieden; en dat de geruchten alhier loopen, dat
„ Dominus Voetius nog eenig werk tegens de voor-
„ gementioneerde Apologie onder handen zoude heb-
„ ben, zo is ons door eenige gedepuiteerden van wee-
„ gen de Broeders der Gereformeerde religie gere-
„ monſtreert, dat dit geſchrift van Voetius veele ge-
„ moederen op een nieuw zoude koomen te ontroe-
„ ren, en geene verbeeteringe koomen te veroorſaa-
„ ken, ons over zulks verzoekende, dat wy wilden
„ by alle middelen verzien, dat 't zelve mogte werde
„ geweert, en in deeze ſtad geen ſchriften getolle-
„ reert, waar door haare reputatie en eer in zulker
„ voegen zoude koomen geledeert te worden; ons
„ met eenen te kennen geevende, dat haar Ed. advy-
„ ſen over deeze zaak van zeer vermaarde Profeſſo-
„ ren en anderen Theologanten hadden verzocht en
„ bekoomen, die oordeelden, dat dezelve behoorde
„ te ſtaan tot onderzoek, en ter judicature van Con-
„ ſiſtorien, Claſſen en Synoden, en dat deeze con-
„ tentieuſe ſchriften niet konden ſtrekken als tot ver-
„ bitteringe der gemoederen, en tot voordeel der Pa-

piſten,

„ piſten, die ook alreede in deeze ſtadt over deeze „ contentien beginnen te glorieeren; waar over haare „ committenten de Broederen van de Gereformeerde „ religie te vreeden waaren haare zaake te ſtellen aan „ alle Conſiſtorien, Claſſen en Synoden, en dienaan- „ gaande verwachten der zelver uytſpraake, waar na „ zy ook wel geneegen waaren hun te voegen en te „ reguleeren, als geen andere intentie hebbende, dan „ buyten reproche en opſpraake te blyven. Welk „ verzoek bevindende in alle billikheid en reedenen „ te beſtaan, en willende verzien tegen alle ſcanda- „ len, ergerniſſen en onruſten, die in onze kerk en „ ſtad hier door ſtaan te verwagten; zo hebben wy „ goet gevonden, dit zo billik en reedelik verzoek „ haar toe te ſtaan, en diensvolgens ons aan UE. te „ adreſſeeren, zeer gedienſtig verzoekende, dat de- „ zelve, aangezien de preſentatie by de voornoemde „ Heeren van de Broederſchap gedaan, gelieven door „ auctoriteyt den voornoemde Voetium daar toe te „ houden, dat hy van vorder ſchryven wille ſuperſe- „ deeren, en daar door geen meerder commotie in „ onze kerke alhier, tot nadeel der zelver en onzer „ ſtad, veroorzaaken; maar het onderzoek en judica- „ ture deezer zaake laaten aan die geenen die dezelve „ toekomt. Waar in de voornoemde Voetius te min „ ſwaarigheid behoorde te maaken, doordien de voor- „ ſchreeve Heeren Gecommitteerden van de Broeder- „ ſchap ons wel uytdrukkelyk hebben verklaart bereyt „ te weezen, neevens andere Synoden, haar ook te „ onderwerpen de uytſpraake van het Synodus, 't welk „ in Uwer Ed Provincie zal worde gehoude, alwaar „ de voornoemde Voetius als een lidmaat van 't zelve

met

" met meerder ſtigtinge en verbeeteringe zo wel zal kon-
" nen allegeeren 't gunt tot deeze zaake zal konnen die-
" nen, als wel met ſchryven van boeken, die niet als
" verbitteringen veroorzaaken, de zaaken retardee-
" ren, die hy door dat middel niet zal konnen decidee-
" ren, nochte tot een eynde brengen. De ruſte on-
" zer kerke en het welvaaren onſer ſtadt noodigen ons
" dit verzoek aan UE by deezen te doen, vertrou-
" wende, dat de reedenen hier voorens gededuceert,
" beſtand zullen weezen om 't zelve te impetreeren,
" gelyk wy ook vermeenen, dat Voetius zelve, aan
" den welken wy meede goet gevonden hebben te
" ſchryven, deeze billyke preſentatie niet zal konnen
" rejecteeren.

" Hier meede &c.

Juſtae huic petitioni tamen minime aliquid datum fuit, niſi quod Magiſtratus noſtri aliquos legaverint, qui cum Voetio conloquerentur, & rem cum aliis Theologiae Profeſſoribus, ſcilicet Meinardo Schotano & Carolo de Matio, communicarent, qui nullas dari cauſſas, ob quas Voetii ſcribendi fervor inhiberetur, pronuntiarunt, idemque judicare Rivetum, prolatis & exhibitis ejus literis, oſtenderunt. Et ita Voetius, qui aliis in occaſionibus acerrimum judicii Eccleſiaſtici vindicem ſe monſtraverat, jam illud detrectans, *Defenſioni pietatis & ſinceritatis optimatum Sylvaeducenſium in negotio Sodalitatis, quae a B. Virgine nomen habet, teſtibus veritate & charitate*, quam Samuel Mareſius conſcripſerat, obpoſuit *Specimen aſſertionum partim ambiguarum aut lubricarum, partim periculoſarum, ex tractatu nuperrime ſcripto pro Sodalitatibus B. Mariae inter Reformatos erigendis aut interpolandis, titulo*

titulo Defenſio pietatis &c. quum paulo ante Voetius nomine Miniſtri Sylvaeducenſis edidiſſet libellum, cui titulus *Retorſio calumniarum, quas Tertullus Societatis Marianae Advocatus &c.* cujus mentionem faciunt Magiſtratus Sylvaeducenſes in literis modo exhibitis, quemque famoſum declararunt. vid. & Baillet. vit. Carteſii lib. VI. cap. X. De his initiis controverſiarum inter hos duos Theologos ita judicat Voſſius Epiſtol. DCXXX ſcripta Riveto: *Miſit ad me Clarisſimus Mareſius quae ſcripſerat pro ordine Mariano Sylvaeducenſium &c. nec quidquam video, quo offendar, dum cogito, quo in ſtatu res fuerint. Multum promotum ſic quoque. Sed alter eſt ſcrupulus, an non illuſum ſit Pontificiis, quia longe alia iis mens fuit, cum primum tranſigerent nobiſcum? Quamquam quid illud ad me, vel etiam Mareſium. Lectis illis fore ſpero, ut clariſſimus Voetius acquieſcat. Planeque ſic mihi perſuadeo, viro doctisſimo illuſum eſſe ab alio Sylvaeducenſium ferventiore; quod non difficile fuit apud eum, qui ipſe quidquid vult, ita vehementer vult, ut non eat, ſed currat.* & Epiſtol. DCXXXI. ſcripta Grotio: *Prodiit etiam nunc liber Mareſii adverſus Voetium, qui prius theſibus in Ultrajectina Academia diſputatis accuſarat Sylvaeducenſes proceres Idololatriae, quod ex Reformatis plerique adſcribi voluiſſent in Sodalitatem B. Mariae; quod tamen factum erat, ut vis ejus collegii, quae magna, infringeretur noſtrorum conſortio &c.* Variis deinde ab utraque parte ſcriptis, magnis animis ſine miſſione lites inter hos duos per triginta annos agitatae ſunt, quas fruſtra Proceres hujus civitatis, ut & Groningenſis Academiae Curatores, apud quos deinde ſacras literas interpretatus eſt Mareſius, datis hinc inde literis

(quas omnes ex actis noſtrorum Magiſtratuum deſcriptas adſervo, ſed quia nimis longae & forte Lectori toedium moverent, hic omittendas cenſeo) ſopire conati ſunt; neque umquam finiendae videbantur, niſi communis eorum utilitas ſuaſiſſet paribus viribus obſiſtendum eſſe illis Theologis, qui celeberrimi Johannis Cocceji methodum ſacras literas interpretandi ſequebantur, uti recte in Lexico Baelii voce *Mareſii* obſervatum inveni. vide & in voce *Andlo*. Virulenta vero ſunt ſcripta ab utraque parte emiſſa, quibus ſibi invicem facta exprobant, non tantum Theologis, ſed Chriſtianis hominibus indigniſſima. Mareſius Voetii religionem ſuſpectam reddere tentavit, variaque heterodoxa & paradoxa ei adſcribere conatus eſt, non tantum variis diſſertationibus Academicis, ſed praecipue libris, quorum tituli ſunt:

Epiſtola Apologetica ad Amicum:

Xenia Academica:

Ultima patientia tandem expugnata a D. G. Voetio Ultrajectino Profeſſore, & quibusdam illius aſſeclis, ſive modeſta & neceſſaria defenſio tripartita, tum ſui ipſius, tum ea occaſione Procerum Sylvaeducenſium, & decretorum Synodicorum circa illam, ipſi extorta varia ac longa contumeliarum ſerie, ac praeſertim nuper libello famoſo Belgice edito, & inſcripto Kort en oprecht verhaal &c. Groningae MDCXLV. 8.

Bonae fidei ſacrum, ſive documenta omni exceptione majora veracitatis & innocentiae Samuelis Mareſii in Cauſa Schoockio-Voetiana, nec non ejusdem ſeria & Chriſtiana ἐπανόρθωσις *ad C. V. G. Voetium ſuper libello, quem haud ita pie Pietatis nomine nuper inſcripſit.* Groning. MDCXLVI. 8.

Lin-

Lingua abortiva a Giſberto Voetio Theologo Ultrajectino refoſſa & adhibita ad atroces calumnias ex ſuo Tribunali iniquo, judicio pſeudo-Rivetiano, & ſimilibus libellorum famoſorum quisquiliis, vel jam editis, vel porro edendis, pronuntiandas in Samuelem Mareſium, ab illis ad aequiſſimum Dei tribunal provocantem. Groningae MDCXLVI. 4.

Expoſtulatio ad G. Voetium de violata fide publica editione Epiſtolae virulentiſſimae, quam nuper emiſit Trajecti ſub nomine Iſaaci Chabanaei, cum brevi ejusdem Epiſtolae confutatione. Ibid. MDCXLVII. 8.

Theologus paradoxus retectus & refutatus, ſive Samuelis Mareſii exercitationes aliquot Academicae, oppoſitae duodecim paradoxis, & plus aequo virulentis diſputationibus ex profeſſo contra ipſum habitis in Lycaeo Ultrajectino, auctore & praeſide D. G. Voetio ibidem primario Theologo, cujus centum aſſertiones lubricae, periculoſae & plane paradoxae bona fide referuntur, & confutantur. ibid. MDCXLIX. 8.

Item *Auctarium primum Bibliothecae Theologicae D. Gisberti Voetii nuper recuſae cum virulenta praefatione, continens* I. *ſummariam deductionem litis decennalis, quae ipſi cum Samuele Mareſio, licet pacem & amneſtiam ſemper deprecante, hactenus interceſſit.* II. *vindicias conditionum amneſtiae & reconciliationis partibus oblatarum a R. R. Deputatis Synodi Groning-Omlandicae, ab hoc admiſſarum, & ab illo rejectarum.* III. *conditiones iniquisſimas & impracticabiles ab ipſo D. Voetio pro imperio praeſcriptas, ad ejus pertinax odium & animum invincibiliter irreconciabilem toti Belgio demonſtrandum.* Ibid. MDCLII. 8.

Quae Voetio objicit Mareſius, refellit Voetius part.

1. Polit. Eccleſ. lib. II. tract. II. cap. III. & part. II. lib. III. tract. II. cap. IX. ut & tom. V. Disput. Theolog. p. DLXXII. & ſeqq. & p. DCCXVI. & late Mareſii calumnias enumerat in Praefat. tom. I. Diſput. Theolog. & in Praefat. ante Exercitia & Bibliothecam ſtudioſi Theologiae edit. an. MDCLI. vid. & Crenius de Eruditione compar. p. CCCCXXIX. & Niceron Memoir. pour ſervir a l'Hiſtoir. des hom. ill. tom. XXVIII. & non male Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XIV. pag. XXIII. obſervavit, *Si quis in Marchiis & aliis ditionibus Brandenburgicis e Lutheranis ita inveheretur in Reformatos, ſicut Mareſius in Voetium, ſtatim exauctoraretur, & ab officio removeretur.*

Antequam ulteriora celeberrimi hujus Theologi ſcripta recenſeam, inimicitiarum, quas cum Carteſio exercuit, mentionem faciendam exiſtimavi. Occaſionem dediſſe videtur Aemilius, qui, uti ſupra in Aemilio adnotavi, in oratione funebri Renerii invidendis elogiis Carteſium laudaverat. Cui Renerio cum ſucceſſiſſet Regius, illeque methodum Carteſianam quavis data occaſione propugnaret, Voetius conſcripſit theſes *de Atheismo*, cujus criminis Carteſium ſuſpectum reddere conatus eſt, uti conſtat ex epiſtola Carteſii ſcripta Regio, quae legitur tom. I. Epiſtol. Carteſii LXXXVI. ubi haec verba inveniuntur: *Facile eſſet ex ſolis Voetii theſibus de Atheismo per certas & evidentes conſequentias oſtendere, illum revera eſſe, quod de nobis falſo voluit credi, quin & ſi eſſet operae pretium ipſum, qualis eſt, deſcribere, artesque omnes ejus detegere, talis forte appareret, ut civitati veſtrae indecorum foret ipſum diutius in concionatorem aut Profeſſorem retinere.*

Quum-

Quumque Voetius Carteſii methodo magno animo ſe obponeret, eamque quavis data occaſione inpugnaret, & anno MDCXLIII. prodiiſſet liber Schookii, cui titulus *Admiranda methodus Philoſophiae Carteſianae*, cujus auctorem Voetium ſuſpicabatur Carteſius, uti ſupra in Schookio vidimus, Carteſius eodem anno edidit *Epiſtolam ad celeberrimum virum D. Gisbertum Voetium, in qua examinantur duo libri nuper pro Voetio Ultrajecti ſimul editi, unus de Confraternitate Mariana, alter de Philoſophia Carteſiana.* Quae Epiſtola, ut & altera *ad P. Dinetum* decreto Magiſtratuum Trajectinorum XIII Septemb. & XXI Octobr. MDCXLIII. libelli famoſi declarati, & Carteſius citatus ut ſe ſiſteret, qui non niſi ope Legati Regis Galliae his moleſtiis liberatus eſt, uti late narratur a Bailleto vit. Carteſii lib. VI. cap. XI. Immo priora Ordinum Trajectinorum membra tam aegre tuliſſe ſententiam Magiſtratuum, & modum procedendi contra Carteſium, ut privilegia quaedam Academiae data revocarint, tradit idem lib. VII. cap. IV. in quo tamen vir eruditus fallitur; nulla enim jura ſingularia Academiae conceſſa ab Ordinibus eo tempore abolita inveni. Carteſius, ut ſe ab injuriis & calumniis vindicaret, *Apologeticum* ſcripſit, & tradidit Magiſtratibus Trajectinis, quo egregie ſe contra Voetium defendit, quod exſtat tom. III. Epiſtol. Carteſii I. & ita Voetio reſpondiſſe, *ut apud poſteros nomen Voetii illaudabile ſit merito futurum* dicitur in Sorberianis pag. LXVII. & Morhov. t. II. Polyh. lib. I. cap. XV. §. VI. *In arenam cum Carteſio primus deſcendit Gisbertus Voetius, huic impar aggreſſor Achilli.* Et memorabile eſt, quod licet Voetius quotidie exprobaret Carteſio, quod eſſet *Jeſuiſtaſter*, *ſub*

Ignatii Loyolae ſidere natus, eoque nomine apud noſtrates inviſum reddere tentaret, Carteſius oſtenderit ex ipſis Voetii literis, eum excitaſſe Merſennum doctum Monachum Pariſienſem, ut calamum in Carteſium ſtringeret, & quidem his verbis: *Veritas a te oſtenſa & demonſtrata in concilianda Theologia, Phyſica & Metaphyſica cum Mathematica, patrocinium tuum exigit*, quibus Monacho gratulatur *de veritate in religione asſerta & oſtenſa.* vid. Velthuſ. tom. II. Oper. pag. MCXXVII. & Baill. vit. Carteſ. lib. V. cap. XII. Neque contentus, quod ſua auctoritate effeciſſet, Magiſtratus Trajectenſes Carteſianae Philoſophiae progreſſus inpediviſſe, omni ope ut in Leidenſi Academia idem decretum locum obtineret, eniti laboravit, uti patet ex epiſtola Voetii ad Danielem Heinſium, quae exſtat tom. II. Syllog. Burm. pag. CCCCLXVIII. qua queritur novam philoſophandi methodum in Leidenſi Academia fautores habere, & indicat Senatum Trajectenſem eam in herba obpreſſiſſe, & ut Leidenſes invigilent, ne reſpublica literaria quid detrimenti inde capiat, hortatur. & ipſe in Praefat. tom. I. Diſput. Theolog. apertisſime mentem ſuam indicat his verbis: *Philoſophiam Carteſii, ut ineptam ſtudiis, præſertim Theologiae, & periculoſam, in Academias minime recipiendam cenſeo*, & *artem magicam* Carteſii Philoſophiam vocaſſe notat Velthuſius in Praefat. ante Demonſtr. Quietem ſolis ac motum Terrae minime pugnare cum verbo Dei quae exſtat tom. II. Oper. pag. MXLIII. unde merito Struvius ni Biblioth. Philoſ. cap. III. §. XIII. Voetium inter infenſiſſimos hoſtes & adverſarios Carteſii numerat.

Difficultates, quas Regio Voetius movit, ſupra in Regio vidimus, & lites & controverſias quas cum Ooſterga

&

Schookio exercuit, ubi horum fata recenſuimus, memoravimus.

Male quoque habuit Wolzogenium, quod Voetius cauſſae Labadii faverit, & quod iniquum de ejus libro *de Scripturarum interprete* judicium tulerit, ad quae reſpondet Voetius in Addendis in fine tom. v. Diſputat. Theolog.

Hi fuerunt praecipui adverſarii, cum quibus Voetius in arenam deſcendit.

Scripta, quae porro evulgavit, ſunt:

Exercitia & Bibliotheca ſtudioſi Theologiae. Traj. MDCXLIV. & MDCLI. & Lipſiae MDCLXXXVIII. 12. cum diffuſiſſima Praefatione de internecino bello, quod per plures annos geſſit adverſus Mareſium, uti notat Labb. Biblioth. Biblioth. p. LXVIII quam refutare conatus eſt Mareſius in Auctario, cujus modo meminimus. *In hac Bibliotheca,* ſcribit Boſius Introduct. in Notitiam Scriptor. Eccleſiaſt. cap. II. §. XIV. *haud paucos, in his quosdam pudendos errores animadvertas, ſatisque apparet, quos laudat, ab eo aut plane non viſos, aut non ſatis fuiſſe inſpectos, quibusdam & plane aliena argumenta adficta.* ad quae verba Crenius de Eruditione comparanda pag. CCCCXXIX. Schookii, Hottingeri, Calovii & Morhovii judicia de hoc libro exhibet. quibus addi poteſt & alter locus Morhovii Polyh. Lit. tom. III. lib. v. §. XIII. *Gisbertus Voetius librum ſcripſit, cui titulus Exercitia & Bibliotheca ſtudioſi Theologiae, ſed ille in alienis occupatior, ne ſuum quidem negotium recte curat Bibliothecam enim ſtudioſi Theologiae deſcripturus, omnem non ſolum Encycoplaediam Philoſophicam, ſed & omnia alia rebus ſuis immiſcet, praecipue illic obvii craſſiores errores, venditantur auctores*

ctores numquam editi, & qui de argumentis alienis ſcripſere, ille ad ſui argumenti ſcriptores refert. & librum hunc Voetii emendatione egere notat Crenius Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XIV. pag. XLIII. cujus & pag. XLIV haec ſunt verba: *Cuidam interroganti, cur Mareſius undique reprehendendi Voetii materiam quaerens, hanc Voetii Bibliothecam non excusſiſſet, & errores notaſſet? reſpondit Theologus quidam: Mareſius Voetii libro in iſto commiſſos errores neque cepit, neque intellexit, quum hic plures libros legerit, quam ille viderit. Mareſii Auctarium primum (ſecundum ego numquam vidi) Bibliothecae Theologiae Voetii huc nihil facere oſtendimus tom.* III. *Methodor. p.* CCCCXXX. vid. & Mayeri Biblioth. Biblic. diſſert. III. §. III.

Oratio Funebris in obitum Meinardi Schotani. Traject. MDCXLIV. 4.

Selectae Disputationes Theologicae v. tom. 4. primus prodiit Traj. MDCXLVIII. ſecundus MDCLV. tertius MDCLIX. quartus Amſtel. MDCLXVII. & quintus Traject. MDCLXIX. De his ita judicat Morhovius Polyh. tom. I. lib. I. cap. XXI. §. XXX. *Voetius in Disputationibus Selectis inter locorum communium ſcriptores referri potius debet, quam inter Dogmaticos accuratos. Ut enim vir fuit multae lectionis potius, quam judicii, ita magno ſtudio cumulavit auctores in doctrina, quam proponit. Habentur vero varia in iſtis libris Theologica, Phyſica, Moralia, Civilia, Hiſtorica; quo nomine prodeſſe ad omne ſtudiorum genus poſſunt. Selegit materias non vulgares, auctorumque locos diligenter congeſſit.* Notatur a Labbaeo tom. II. de Scriptor. Eccleſ. pag. CCCXCVII. quod tom. I. Diſput. p. CCCCXCIV. doceat, ſcripſiſſe Theo-

Theodorum Balſamonem circa annum MCC. ſub Manuele Comneno, quum Manuel Comnenus jam obierit anno MCLXXX. Contra ejus Diſſertationem *De Sortis, aliisque divini nominis abuſibus*, quae exſtat tom. III. Select. Diſput. p. MCXCIV. & ſeqq. nervoſe & ſolide ſcripſiſſe Thomam Gatakerum, neque ei reſpondiſſe, tradit Schookius Exercit. XXI. §. IV. nimis iniquus praeceptori ſuo, uti ſupra in Schookio obſervavi. Gatakerum vero a Voetio refutatum, & quidem ſolide, in Diſſertatione *de Luſu aleae* Traj. MDCLX. 12. notat Crenius de Erudit. compar. pag. LIII. vid. & Voet. tom. V. Diſput. Theolog. p. CCCCLXII. & part. I. Polit. Eccleſiaſt. lib. II. tract. II. cap. III. §. II. Voetii ſententiam *de abuſu ſortis* refellere quoque conatur Ludewig. tom. II. Opuſcul. pag. DCCCLXV. Contra Disſertationem *de Jure Patronatus* anno MDCXXXIX. evulgatam, quae exſtat cum ejus *Diſputatione de Vocatione Miniſtrorum*, ſcripſit Chriſtianus Weberus Theologiae Doctor Lutheranus, *Tractatum de Jure Patronatus* an. MDCXLVII. vid. Voet. Polit. Eccleſ. part. II. lib. III. tract. II. cap. IX. Continent hi quinque tomi Diſputationes, quas in Academia noſtra publice propoſuit, quae quam maxime probant viri induſtriam & diligentiam, neque umquam in patria noſtra exſtitiſſe Profeſſorem, qui tot diſſertationes publice ventilandas conſcripſit, exiſtimo.

Disquiſitio ad primum Samuelis VIII *de Jure Regio Hebraeorum.* Traject. MDCLXI. 8. vid. Le Long Biblioth. Sacr. t. II. pag. MVII.

Politica Eccleſiaſtica. Amſtel. MDCLXIII. MDCLXVI. & MDCLXXVI. IV. vol. 4. contra quam calamum ſtrinxit Ludovicus Molinaeus, qui nomine *Ludiomaei Colvi-* Pars IV. voll.

ni edidit *Gisberti Voetii Papam Ultrajectinum, ſive Myſterium iniquitatis reductum.* Londini MDCLXVIII. 4. quumque Vogelſangus Profeſſor Sylvaeducenſis ſub nomine *Philadelphi Irenaei, notas ad Papam Ultrajectinum* evulgaſſet, Molinaeus ſub perſonato nomine *Chriſtiani Aletochriti* obpoſuit *Stricturas in notas Vogelſangi*, quibuscum ſimul inpreſſa legitur *Lud. Molinaei Epiſtola ad Annam Mariam Schürmanniam.* Londin. MDCLXX. 4. vid. Placc. de Scriptor. Pſeudon. p. XXIX & CXCII. contra has *Stricturas* prodiit *Philadelphi Irenaei aſſertio animadverſionum in Ludiomaei Colvini Papam Ultrajectinum, oppoſita Chriſtiani Aletochriti Stricturis.* Irenopoli. ubi Chriſtianum Aletochritum non Molinaeum, ſed ejus diſcipulum facit. vid. Voet. Polit. Eccleſ. part. III. lib. IV. tract. I. cap. XIII.

Exercitia pietatis. Gor. MDCLXIV. 8. & *de Coelo beatorum & his mortuis.* Ibid. MDCLXVI & MDCLXXIX. 8. ultimam diſſertationem eandem eſſe, quam *Tractatulum de ſede beatorum* vocat tom. V. Diſp. Theolog. p. DXXXVIII. non dubito.

Exercitatio de Prognoſticis Cometarum. Amſtelaed. MDCLXV. 4. poſtea recuſa in fine tom. V. Diſput. Theol.

Diatribe de Theologia. Traj. MDCLXVIII. 8.

Albaspini Epiſcopi Aurelianenſis notas in Concilium Elibertinum recudi ſe feciſſe Traj. MDCXLIII. ipſe teſtatur Polit. Eccleſ. part. II. lib. III. tract. II. cap. IX.

Edidit & *Adriani Regenvolſchii Syſtema Hiſtorico-Chronologicum Eccleſiarum Slavonicarum.* Traj. MDCLII. 4. De hujus *Adriani Regenvolſcii Hiſtoria Slavonica* prodiit epiſtola Joh. Chodowieki Rectoris ſcholae Dantiſcanae, ſcripta an. MDCCXV. poſtridie feſti Johannis

Bap-

Baptiſtae, quae legitur in *Gelahrte Preuszen* ſive Boruſſia Erudita tom. II. p. CXVIII. ubi diſcimus hunc librum denuo prodiiſſe anno MDCLXXIX. & pro nomine *Regenvolſcii*, nunc legi *Andreae Wengerſcii* cum nova Praefatione, etſi eadem ſit editio, ſed addita Appendix ad an. MDCLXXIX. quae favet Socinianis; nec umquam in rerum natura fuiſſe *Adrianum Regenvolſcium*, ſed verum auctorem eſſe *Andream Wengerſcium*, virum eruditum & orthodoxum, qui obiit anno MDCXLVIII. de quo vide Ibid. p. CCCCXIX. & qui metu Pontificiorum nomen ſuum mutavit in *Regenvolſcium*. Reliqua vero adjecit frater Thomas, qui ad Voetium, ut ederet, miſit. vid. & Moller. Homonymoſc. p. CII.

Erpenii Bibliothecam Arabicam cum augmento edidiſſe tradit Lipen. Biblioth. Philoſ. p. CXCII.

Vitam Colignii ſe recudi curaſſe Traj. MDCXLIX. teſtatur ipſe tom. IV. Diſput. Theolog. p. DCLXXXVII. & tom. V. p. DLXVI.

Evulgavit & *Diſquiſitionem de auctore Vindiciarum contra Tyrannos, quae ſub nomine Junii Bruti Celtae aliquoties editae ſunt*. Amſtel. MDCLXI. 12. vid. Placc. de Scriptor. Pſeudon. p. CXLI. & Heumann. de Anon. & Pſeudon. part. II. cap. II. §. XIV. qui hanc diſſertationem *doctiſſimam* vocat. In qua non Theodorum Bezam, ſed Hubertum Languetum auctorem harum *Vindiciarum* probat. quae diſſertatio deinde inſerta eſt tom. IV. Diſput. Theol pag. CCXXXI. & ſeqq. uti recte notat Struvius Bibl. Philoſ. cap. VII. §. XXVII.

Auctor quoque dicitur pro tertia parte ſcripti Belgici, cui titulus *Res judicata contra Trapezitas* a Placcio Theatr. Anonym. p. DII. qui quoque pag. DIV. ad-

ſirmat ejus, aut diſcipuli ejus, eſſe ſcriptum Belgicum *de Disſidiis uniendis Mareſii & Voetii.*

De lingua Helleniſtica tacito nomine libellum edidiſſe ex Boxhornii Epiſt. p. CXL. docet Heumannus de Anonym. & Pſeudon. p. II. cap. III. §. LV. in quo tamen fallitur vir doctus, quum Schookius iſtius ſcripti ſe auctorem profeſſus ſit, ut ſupra in Schookio vidimus.

Epiſtolam conſultatoriam Iſaaci Chabanaei in Mareſium Voetio quoque adſcripſit Mareſius, quod tamen negavit Voetius tom. V. Diſputat. Theolog. p. DCL. & in Praefat. ante Exercitia & Biblioth. ſtud. Theol. edit. poſter. vid. Placc. de Script. Pſeudon. p. CLXXIII. & CLXXIV. qui ibidem p. CCIII. dicit *forte & latuit ſub nomine Cosmopolitani Theophili.*

Conſiderationum vere moderatorum fratrum Claſſis Gorinchemenſis ſuper oblata a Sam. Lansbergio formula pacificationis eo inſcio editarum ſe auctorem profitetur Polit. Eccleſ. part. III. lib. III. tract. IV. ſect. III. cap. III.

Belgico tractatu praxin doctrinae de omnimoda Dei gratia contra antiquos & hodiernos Pelagianos aut ſemi-Pelagianos ex profeſſo ſe defendiſſe contra vernaculum libellum Danielis Tileni anno MDCXXVIII. teſtatur tom. II. Diſput. Theolog. p. DXLVI. tom. III. p. DCCXCIII. tom. IV. p. XXXIV. & tom. V. p. DCXII. & Polit. Eccleſ. part. III. lib. III. tract. IV. ſect. II. cap. III. Cujus Tractatus titulus eſt *Proeve van de kragt der godzaligheid*, quem laudat van Til Biblioth. Theologor. ſelectiſſ. pag. XXXVIII. & XCII.

Declarationis de Collationum ac Diſputationum uſu,

forma

forma & circumſtantiis Belgice editae meminit in Philonio Romano §. XLI & LIX.

Ut & *Meditationis ad Jacobum* II. *vſ.* XII. Belgice quoque editae, in Biblioth. ſtudioſ. Theol. lib. I. cap. XVII. pag. CCIV. & pag. CCVII. *Concionis in Jeſai.* I. *vſ.* XVI, XVII & XVIII.

Praeterea lingua vernacula edidit *Sermoen van de nuttigheid der Academien en ſchoolen, mitsgaders der weetenſchappen en konſten die in deſelve geleert worden, gedaan in den Domskerk den* 13 *Martii* MDCXXXVI. *waar agter geſtelt is een lyſte van alle de Academien en meeſt vermaarde illuſtre ſchoolen in het Chriſtenryk.* Utr. MDCXXXVI. 4. Amſtel. MDCLV. 12. & in utraque urbe an. MDCCXXXVI. 4. in qua ultima editione Trajectenſi, cura diligentiſſimi viri Iſaaci Le Long evulgata, conſpicitur Voetiorum Stemma, brevis vitae G. Voetii deſcriptio, & Catalogus Profeſſorum Trajectenſium, ut & narratio originis & progreſſus Academiae Trajectinae.

Catechismus over de Catechismus der Remonſtranten. MDCXLI. vid. tom. III. Diſput. Theol. p. DCCCX Polit. Eccleſiaſt. part. I. lib. IV. tract. I. cap. IV. & cap. X. & Biblioth. ſtudioſ. Theolog. lib. I. cap. XIII.

Bayly oefeninge der Godſaligheid met aanteikeningen van G. Voetius. Utr. MDCXLIII. 12.

Theologiſch advys over het gebruyk der kerkelyke goederen. vid. Schook. Praefat. ante Exercitat. § XVI. edit. pr.

Diſſertatio *de Quaeſtione penes quos ſit poteſtas eccleſiaſtica*, eo inſcio in linguam vernaculam verſa, prodiit Hagae Comitis, uti ipſe teſtatur Polit. Eccleſ. part. I tract. II cap. II. ut & *Diſſertatio de Separationibus & Seceſſionibus contra Job. Labadie*, Polit. Eccleſ.

part. III. lib. III. tract. III. cap. I & IV.

Enumeratis ſcriptis, quibus nomen inter eruditos Theologos meruit celeberrimus noſter Voetius, judicia virorum doctorum, quae in eorum libris inveni, licet quandoque iniquiſſima, non omittenda cenſeo. Decet enim fidum vitae alicujus ſcriptorem tam quae in vituperium, quam quae in laudem dicta ſunt, exponere & exhibere. Inter iniqua judicia merito numerare licet, quae Janſenius & Schookius protulerunt, qui, ut ſupra vidimus, internecino odio eum proſecuti ſunt. Janſenius vero, notante Saldeno de Libr. legend. lib. II, cap. IV, §. III. Voetio objecit, quod *omnibus viribus eloquentiam adfectans, tanta imbecillitate molitus id ſit, ut neceſſe habuerit novo quoque paſſu reſpirandi cauſa ſubſiſtere: quod Grammaticus fuerit e pulvere inferiorum claſſium nuper emerſus: quod toties Latina vocabula obſcuriſſima ex adytis Latinitatis hauſta Theologicae diſputationi, ubi claritas maxime neceſſaria eſt, obtorto collo intruſerit; nimirum ut Lector minus peritus abſtruſae Latinitatis, ſuccinctus Lexico & Calepino, apud ſe admirabundus cogitet, quantus vir ſit Voetius, qui per ſingulas fere paginas ſine tali ſubſidio intelligi nequiret.* Schookius in Praefat. ante Exercit. Var. § XI. de Theologo noſtro haec tradit: *Voetius ſimilem ſe in omnibus ſcriptis exhibet Patribus Jeſuitis, quorum gloriatio in hoc prae aliis conſiſtit, quod integra plauſtra auctorum, quorum pleroſque tamen non inſpexerint, in ſuis libris exhibeant. Perſuaſum vero habeo virum, caeteroquin doctum & diligentem, non tam peccare hac in parte deſtinato animi conſilio, quam potius per imprudentiam, ſiquidem auctores, quos ſolitus eſt ad ſuffragium vocare, ab initio ad finem non eſt ſolitus perlegere,*

ſed

ſed duntaxat quaſi per indicem &c. Caeterum demiror Rever. adeo pertinaciter inhaerere illis, quae ex ſuis auctoribus (ſaepe contra eorumdem mentem) ſibi collegiſſe videtur, & pro iis non aliter digladiari, (etiamſi ab auctoribus ſolummodo pro indifferentibus habita fuerint) atque pro neceſſariis ad ſalutem dogmatibus. Non eſt haec conſtantia, ſed pertinacia, immo ſuperba φιλονεικία, omnibus hominibus, maxime vero Theologis, indigna. & illum *Sycophantam, tamque mendacem, ut una pagina duodecies mentitus fuerit*, probare conatur Ibid. § XVI. *In ſcribendo non minus, quam in declamando praecipitem* pronuntiat in Praefat. de Bonis Eccleſiaſt. *& familiare ei fuiſſe fide diſcipulorum ſaepe oſcitantium, & vix Latine ſcientium, auctores citare.* de Bon. Eccleſ. ſect. I. cap. XLVII. Schookium exprobraſſe Voetio, quod auctoritates & rationes, quibus contra Canonicos Trajectenſes uſus eſt, deſumpſerat ex *Praejudiciis* ſive XII *Reſponſis Lutheranorum*, quae Coloniae anno MDCXXXIII evulgavit Helfricus Ulricus Hunnius, notat Baelius in Lexico tom. II. p DCCCXXIV. Socinianiſmi ſuſpectum fuiſſe, ſed inmerito, etſi minus diſplicerent libri Socini, videri poteſt in Conringianis p. LXXIII. ubi & pag. CCXL notatur turbulentum ejus ingenium, ut & a Barleo Epiſt. CCLIX. qui & Epiſt. CCCCXC meminit libelli in Voetium, patrem & filium Philoſophum, cui titulus *Pedis & Pediculi dialogus.* Qui libellus ad formam Dialogi conſcriptus Salmaſium auctorem habere creditur, agitque *de Longis comis.* Patinus in Epiſt. Claror. viror. editis a Brandtio, licet Epiſt. LXI agnoſcere debeat, quod fuerit *doctor infinitae lectionis*, in Epiſt. LXVII *virum trucem, cerebroſum, & pervicacis ingenii* vocare non erubeſcit. Scripta ejus *parvo, aut nullo*

judi-

judicio congeſta pronuntiat Sarravius Epiſtol. CXXXIII. *Voetius etoit de ce gens, qui croient en Dieu par benefice d'inventaire* dicitur in Menagian. tom. II. pag. IX. Quid vero per haec verba dicere vult Menagius, vix capio. Baelius in Lexico tom. II pag DCCLXVII. poſtquam probaſſet Voetium male adfirmaſſe Villavicentium Hyperii librum *de Methodo Theologiae* deſcripſiſſe, quum non illum, ſed *Libros de formandis ſacris concionibus, deque recte formando ſtudio Theologico* in ſuos ſimilis argumenti libros tranſtulerit, addit; *il faut croire, que Mr. Voet n'a pas été tout a fait exact.* Religionem Voetianam *papalem* & *Jeſuiticam* pronuntiat Naeranus in Epiſtol. Eruditor. viror. Epiſt. DCX. Inter nugarum vetuſtiorum amatores enumeratur in Sorberianis p. CLXXXI. vid. & pag. CXXXIII. & nimis inhumaniter, neque convenienter morum elegantiae, quae Gallis propria dicitur, Sorberius pag. CCXXIV de eo teſtatur, quod fuerit *bipes ineptiſſimus, quem intueri (adeo ridiculus videbatur) nec audire poteram, quin ſubinde in cachinnum prorumperem.* a Morhovio lib II Polyh. Liter. part. I. cap. XVII § I. dicitur *homo quidem magnae doctrinae & variae, ſed nulla perſpicuitate ingenii praeditus.* & tom. III lib V § IX. *Voetius legendus eſt cum judicio, quo ipſo non adeo utitur; in ſcriptis enim ſuis coarcervat ſine discrimine digna, indigna, laudat auctores eorumque loca ſibi interdum non viſa, & libros numquam editos. Utilis tamen eſt ejus labor ob varia collectanea, quibus interdum feliciter uti poſſimus.* & § XXVII. *Acerrimus Hierarchiae Pontificiae inſectator, adeo ut vix quidquam jurisdictioni Papali ſimile pati potuerit in Reformatorum eccleſia.*

Majori in pretio Voetii eruditionem & pietatem habuerunt

buerunt alii, ut Heinſius, a quo *clari nominis Theologus* dicitur tom. v. Syllog. Epiſt. Burm. p. ccxxxix. & *Theologus celeber* ibid. p. ccxc. ubi tamen addit, *ſed acrior multis viſus.* Cunaeus, agens de Voetii ſermone habito in inaugurationem Academiae noſtrae, in Epiſtola ſcripta Johanni Niportio, civitati noſtrae ab actis, quae inter editas Cunaei eſt clxviii. *De D. Voetio quid dicam? Variam ejus diffuſamque per plurimas diſciplinas ſcientiam, probitatis pietatisque propagandae ſtudium, & ſummam in caſtigandis turpiſſimis moribus libertatem, amo mirum in modum aeſtimoque: adeo ubique gravitatem, maſculamque fiduciam & ingenuos vividosque ſpiritus habet ejus Sermo. Videtur mihi alter Hercules natus eſſe, qui Augiae ſtabulum perpurget, & immania vitiorum monſtra proterat, vincatque.* Anna Mar. Schurman. in Epiſt. ſcripta Jacobo Crucio pag. ccxxiv. vocat *virum fide omnium dignisſimum*, & Epiſtola ſcripta Voſſio pag. clxix. *virum cum paucis comparandum. Solidae eruditionis, & (quod non disſimulandum, cum obſcurari non posſit) verae pietatis, nec non ingenii ſolertiae nomine Profeſſorum in Reformatis eccleſiis gloria & decus eximium*, audit Rhetorfortio in Diſputat. de Providentia. *Clarisſimum & celeberrimum virum, veteranum Chriſti militem in bellis Jehovae exercitatisſimum & ſpectatisſimum* pronuntiat Nethenus in Dedicat. ante Rhetorfort. Exam. Arminianismi. Cel. van Til in Biblioth. Theolog. ſelect. pag. xlix. vocat *doctisſimum Practicum.* Plura elogia ipſi a viris doctis adſcripta producit Saldenus de Libr. legend. lib. ii. cap. iii. §. xii. ubi & addit *calumnias agminatim in ipſum jactas nullam aliam*

ob cauſſam, quam quod refellendis ipſius ſcriptis inpares erant.

Vid. & Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXXVIII.

VOETIUS (JOHANNES) Pauli ex Eliſabetha van Winſen filius, in lucem editus III Octobr. MDCXLVII. Studiis Academicis in urbe patria abſolutis, & Doctoris Juris utriusque titulo ornatus, primo Herbornae Jus civile docuit ad annum MDCLXXIV. quo, quum obtuliſſet per duos annos ſine honorario Jus profiteri, uti in actis noſtrorum Magiſtratuum XI Maji d. a. adnotatum inveni, Anteceſſoris munus in Academia patria ei demandatum, & demum XII Martii MDCLXXVII. octingenti floreni annui adſignati ſunt. Quumque initio anni MDCLXXX. Leidenſis Academiae Curatores Jus civile interpretandi provinciam ei obtuliſſent, votis eorum adnuit, fruſtra rogantibus Magiſtratibus noſtris, ut hic maneret. De qua vocatione Leidenſi Graevius in Epiſtola ad Heinſium, quae exſtat tom. IV. Syllog. Burm. p. DCXL. haec ſcripſit: *Voetius vocatus eſt Lugdunum ad interpretationem juris, eoque ſe iturum, & nullis praemiis & conditionibus retineri poſſe in urbe patria prae ſe fert, quod de ejus, credo, ſalute deſperet.* Sub finem vero anni MDCLXXXVII. omnem operam adhibuerunt Magiſtratus noſtri, ut ad patrios lares reviſeret, relictaque Leida ad nos migraret, & decreto XIX Decemb. d. a. ei obtulerunt titulum primarii Juris, ut & Juris publici Profeſſoris cum annuo honorario bis millium florenorum; verum fruſtra, & Leidae ad finem vitae ſumma cum auditorum frequentia Jus civile & patrium interpretatus eſt. Uxorem duxit Magdalenam de Sadelare, ex qua unicam ſuſcepit filiam,

filiam, quam matrimonio ſibi junxit Gisbertus Voetius Ordinibus noſtris a ſecretis. Obiit vero XI Septemb. an MDCCXIV. aetatis LXVII. ab Ever. Ottone in Praefat. ante Bockelman. Different. Jur. Civil. Canon. & Hodiern. pag. XXII. dicitur *vir eximius, varioque togae limatus in uſu.* & a Ludewig. tom. II. Opuſculor. pag. MCLXXVIII. *Juriſconſultus utilis & eruditus.*

Scripta ejus ſunt:

De Jure militari. Traject. MDCLXX. 8.

De Familia exciſcunda. Ibid. MDCLXXIII. 8.

Oratio funebris in obitum Andreae Eſſenii. Ibid. MDCLXXVII. 4.

Reſponſio ad Libellum Cephae Piſtophili adverſus Gisberti Voetii Disputationem de Juſtificatione. Hagae MDCLXXVII. 4. qua avi famam vindicavit. vid. Lipen. Biblioth. Theolog. pag. CCCCXXXVIII.

Compendium Juris. Leidae MDCLXXXIII. 8.

Oratio de docentium & diſcentium officio. Leidae MDCLXXXVII.

Oratio, qua monſtratur veritas aſſerti, raros eſſe qui philoſophantur. Ibid. MDCCX.

Oratio funebris in obitum Antonii Matthaei A. F. A. N. Ibid. MDCCX. 4.

Praecipuam vero famam meruit edito *Commentario* luculentiſſimo *ad Pandectas*, quod magni habetur a Practicis hodiernis. prima editio prodiit Leidae MDCXCVIII. fol. II. vol. deinde ter repetita, ut Hagae MDCCIV. MDCCVII & MDCCXVI. vid. Act. Erudit. Lipſienſ. Novemb. MDCCV. videndus quoque Ludewig. vit. Juſtiniani & Theodorae cap. III. pag. LXX. & Struvii Biblioth. Jur. cap. VI. §. VIII.

VOETIUS (PAULUS) Gisberti filius, Heusdae

VII Junii MDCXIX. natus. Studiis humanioribus & Philoſophicis abſolutis, animum ad Juris ſcientiam adplicuit, & VII Julii MDCXL. Magiſter Artium creatus, juridica quoque laurea more majorum donatus eſt una cum Everardo de Weede, uti conſtat ex Aemilii Oration. p. CCCLXX & CCCCXXXI. quem honorem demum adeptus eſt quarto nonas Martii an. MDCXLV. quum jam per quatuor fere annos publice Philoſophiam docuisſet. Cum enim Daventrienſes ei in inluſtri ſchola, quam domi habent, obtuliſſent Profeſſionem, Magiſtratus noſtri, ut patri gratificarentur (ita enim ipſi in Actis loquuntur) Paulum noſtrum crearunt Profeſſorem Metaphyſicae extra ordinem, ita ut per quamque hebdomadam unam lectionem haberet, qua Graecum auctorem explicaret, decreto XXIV Maji MDCXLI. deinde ordinarii Profeſſoris titulo ornatus eſt XVII Junii MDCXLIV. & ut juxta Metaphyſicam, Logicam & Graecam linguam in privatis ſcholis doceret, ei data facultas X Aprilis MDCXLVIII & XX Decemb. MDCLII ut Jus civile interpretaretur conceſſum, & XXI Aprilis MDCLIV. Moreelſio ſucceſſor datus in ordinaria Juris Profeſſione, ea ſub conditione, ut ſe Senatoria dignitate, quam in Tribunali Vianenſi habebat, abdicaret; verum cum obnixe rogaret, ut hanc dignitatem retinere liceret, conſenſerunt Magiſtratus VII Auguſti MDCLIV. & ſumma cum eruditionis fama in Academia noſtra docuit. Duas duxit uxores, priorem Eliſabetham van Winſſen menſe Decembri anni MDCXLVI. poſteriorem Eliſabetham Ruffert menſe Octobri anni MDCLIX. & ex utraque poſteros reliquit. Obiit vero I Auguſti an. MDCLXVII. annum XLIX. aetatis agens. Merita ejus oratione funebri expoſuit Antonius Matthaeus Ant. filius. Laudat

eum

eum Graevius Orat. in L. Acad. Traj. natal. & *Academiae hujus ornamentum ingens* vocat Ever. Otto in Praefat. ante Bockelm. de Different. Jur. civil. Canon. & hodierni pag. v.

Scripta ejus ſunt:

Notae in Muſaeum de Amoribus Herus & Leandri. Traject. MDCXLV. juxta Lipen. Biblioth. Philoſ. pag. DCCCCLXXIV.

Notae in Herodianum. Ibid. MDCXLV. 12. quarum meminit Fabricius in Bibliogr. Antiq. c. XX. §. VI. pag. DXCVII.

De Duellis licitis & illicitis. Traj. MDCXLVI. 12. editionem anni MDCLVIII. memorat Lipenius Biblioth. Theol. p. DXLVII. & Biblioth. Jurid. p. CLX. ſaepe. et ultrajecti 1714 in 8

Harmonia Euangelica. Amſtel. MDCLIV. 4. uti teſtantur Lipen. Biblioth. Theol. p. DCXLVIII. & Fabricius tom. III. Biblioth. Graec. lib. IV. cap. V. p. CCXXI.

Theologia naturalis reformata, item de Anima ſeparata. Traject. MDCLV & MDCLVII. 4. editionem ad annum MDCLVI. refert Fabricius de Scriptor. verit. relig. Chriſt. cap. XX. pag. CCCCLIX. in cujus Praefatione multa inclementer in optimum Velthuſium effudiſſe, ſupra in Velthuſio adnotavi.

De uſu Juris civilis & canonici in Belgio, & more promovendi Doctores. Traj. MDCLVII. 12. cujus libri Johannem Voetium male auctorem facit Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. X.

De Statutis, eorumque concurſu. Amſtel. MDCLXI. 12.

Disquiſitio juridica de mobilibus & immobilibus. Traject. MDCLXVI. 8.

Jurisprudentia ſacra. Amſtel. MDCLXVIII. 12.

Commentarius ad Inſtitutiones juris. Gorinch. MDCLXVIII. II. vol. 4. quem laudat Ludewig. vit. Juſtin. & Theodor. cap. II. pag. LXIX.

Graecae linguae non vulgarem peritiam probant *notae in Callimachum*, quae exſtant in editione Callimachi, quam ſummus Graevius procuravit.

Auctor eſt libri, cui titulus *Tribunal iniquum Samuelis Mareſii*, ut & alterius, cui titulus *Pietas in parentem* contra Mareſium, quem patre inſcio & inconſulto ſcripſiſſe teſtatur Voetius Polit. Eccleſ. part. II. lib. III. tract. II. cap. IX. ut & tertii titulum habentis *Explicatio cauſſae deſertae.* de quibus vid. Voetii Praefat. ante Exercit. & Biblioth. Studioſ. Theolog. edit. poſter.

Auctorem libri, qui hoc titulo prodiit, *Martinus Schookius* Ἀπροσδιόνυσος, evulgati Traject. MDCLI. teſtatur Schookius in Praefat. ante Exercitat. §. XVI. & Placc. Theatr. Anonym. pag CCCLXXXVII.

Auctorem quoque *Diſſertationis de Bonis eccleſiaſticis ſeu Canonicalibus Ultrajectinis*, tradit idem Placc. Theatr. Anom. p. CCXXXIX.

Lingua Belgica edidit *Hiſtoriam originis ac progreſſus familiae Comitum de Brederode.* quae & in linguam Gallicam verſa eſt, quam *non minus vere quam erudite conſcriptam* dicit van der Muelen ad Stat. & Conſuet. Vian. & Ameyd. pag. II.

Vid. & Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLXVII.

VOSSIUS (ANTONIUS) Trajectinus. Hujus nullam mentionem inveni, niſi apud Valer. Andr. a quo in Faſt. Academ. Lovan. p. XLVII. dicitur Lovanii Profeſſor & Rector anno MDCXV. & pag. CCLXV. memoratur

ratur ut Regens Collegii Falconis, & pag. CCLXVII. Canonicus Eccleſiae cathedralis Iprenſis.

VOSSIUS (CORNELIUS) Amersfortio natales debet. Hic a Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. Script. pag. LXII. dicitur *Liberalium artium Magiſter, & in Academia Viennenſi* (malo Vindobanenſi) in *Auſtria Poëtices Profeſſor*, interque alia ſcripſiſſe Heroico carmine *Inaugurationem Caroli V. Caeſaris impreſſam Vindobani* MDCXX ubi errore operarum videtur editum MDCXX. pro MDXX. Quum enim die XXIII Octobr. anni MDXX. Carolus quintus Francofurti inauguratus ſit, eodem tempore Voſſii poëma, quo inaugurationem hanc celebravit, prodiiſſe veriſimile eſt.

VRIES (GERARDUS DE) Trajectinus, natus XV Auguſti MDCXLVIII. Hauſtis utriusque linguae fundamentis, in Academia patria praecipue Philoſophicis ſtudiis incubuit, & Theologiae operam dedit, praeceptore uſus Gisberto Voetio, uti conſtat ex Voet. tom. V. Diſputat. Theolog. pag. DCCXXXIII. Praecipue vero rerum naturalium inveſtigatio ei placuit; quumque omnes Philoſophiae partes abſolviſſet, ejusque cognitionem comparaſſet, facultatem Philoſophica collegia aperiendi inpetravit III April. MDCLXXI. Luctuoſiſſimo illo anno praeteriti ſeculi ſeptuageſimo ſecundo, civitate Trajectenſi a Gallis occupata, quum plurimi ſtudioſi Academiam noſtram deſererent, Leidamque ſe conferrent, Vrieſius noſter rogatu plurimorum Leidam quoque migravit, ibique nomine Proregentis Collegium Ordinum moderatus eſt ad annum MDCLXXIV. quo XI Maji Trajectum vocatus, ut Philoſophiam doceret, in urbem patriam lares tranſtulit, fruſtra illum ſibi vindicare conantibus Leidenſis Academiae Curatori-

toribus. Licet enim illi Profeſſionem ordinariam cum inferiori Praefectura Collegii Ordinum obtuliſſent, noſter amore patriae abductus, abiit, & ſpem Leidenſium, qui poſtea iterum honorifico ſtipendio invitarunt fefellit, & ad finem vitae, quae contigit I Decembris an. MDCCV. ſumma cum auditorum frequentia Philoſophiae praecepta tradidit. Theologiae quoque Profeſſor extra ordinem creatus fuit IV Martii MDCLXXXV. Coelibem egit vitam, & ſaepe feriis aeſtivis cum aliquot ſtudioſis peregrinationes inſtituebat, praecipue per Germaniam. In ejus obitum nulla oratio funebris habita, quia in ultimis tabulis hunc honorem deprecatus erat; verum Pontanus in Oratione funebri in obitum Petri van Maſtricht brevi elogio memoriam ejus poſteritati commendavit, & poſt Orationem merita Vrieſii carmine cantavit. Prodiit & Trajecti MDCCV. 4 *Chorus Muſarum plorans, ſeu lugubria in Gerardi de Vries obitum Carmina ſeu Naeniae.*

Philoſophus omni laude major dicitur a Saldeno de Libr. leg. lib. I. cap. VI. §. IV.

Scripta ejus ſunt:

Exercitationes rationales de Deo, diviniſque perfectionibus: accedunt ejuſdem diſſertationes de Infinito, Nullibitate ſpirituum, Homine automatico, Contradictoriis Deo poſſibilibus, Senſuum in philoſophando uſu, Cogitatione ipſa mente, Operationibus brutorum, in quibus paſſim quae de hiſce philoſophatur Carteſius, cum rectae rationis dictamine conferuntur. Traj. MDCLXXXV. 4. vid. Nouvell. de la Rep. des lett. d. a. p. DCCCCXXVI. & Act. Erud. Lipſ. MDCLXXXVI. p. CXCVIII. Quas *Exercitationes* deinde iterum edidit Traj. an. MDCXCV. quibus accedit *Diatribe ſingularis gemina, altera de*

Cogi-

Cogitatione ipſa mente, *altera de Ideis rerum innatis.* quae ultima diſſertatio de *Ideis* oppoſita eſt Herm. Alex. Roëllio, qui diſſertationem Philoſophicam de dignitate, utilitate & neceſſitate Theologiae naturalis ediderat, in qua de Vries refutaverat. vid. Lipſ. Act. Erudit. MDCXCVI. menſ. Jul.

De natura Dei & humanae mentis determinationes Pneumatologicae. Accedunt de catholicis rerum attributis determinationes Ontologicae. Traj. an. MDCLXXXVII.

Edidit *Danielis Voetii Philoſophiae Profeſſoris Phyſiologiam*, *ſive de rerum natura libros ſex cum notis*, quibus addidit *Diſſertationem geminam*, *alteram de Lumine*, *alteram de Lunicolis.* Traj. MDCLXXXVIII. 8.

Conſcripſiſſe Diſſertatiunculam Hiſtorico Philoſophicam *de Renati Carteſii meditationibus a Petro Gaſſendo impugnatis* Traj. MDCXCI. 8. notat Struvius Biblioth. Philoſoph. cap. III. §. XIII. in qua diſſertatione Vrieſium profeſſum eſſe nullas in Theologia novitates per Carteſiii ſcripta invehi, teſtatur idem Struv. §. XIV. de quo tamen dubito.

Auctor quoque eſt libri, cui titulus *Narrator confutatus*, de quo vide ſupra in Franciſco Burmanno.

Ut & libri, cui titulus, *Carteſius vindicatus*, *ſive divinae rationis auctoritas a ratione independens*, uti docet Placcius Theatr. Anonym. pag. CCCXIX.

Lucretium commentariis Philoſophicis inluſtrare in animo habuiſſe ex Henninii notis ad Tollii Epiſtol. Itinerar. docet Fabric. Biblioth. Latin. tom. I. lib. I. cap. IV.

Oratio in obitum Johannis Leusden + ultrajecti 1700.

U.

UYTENBOGAART (JOHANNES) celeberrimus ille Arminii ſectator, natus eſt Trajecti XI Februar. MDLVII. patre Auguſtino & matre Helena Hamel. Sub Cornelio Laurimanno ſcholae Hieronymianae moderatore linguarum rudimentis poſitis, deinde foro ſe addixit; verum quum emendatae religionis dogmata ei placerent, animum coeleſti doctrina amplius erudiendum exiſtimavit, utque deſiderio huic pio ſatisfaceret, anno MDLXXX. Genevam petiit, ubi, civitate Trajectenſi ſumptus ſuppeditante, ſtudiis Theologicis ſub celeberrimo Beza, & Antonio Fayo operam dedit, & Cornelium Bertramum ſacras, & Iſaacum Caſaubonum Graecas literas docentes audivit. Geneva relicta anno MDLXXXIV. in patriam deſcendit, & mox inter ordinarios verbi divini miniſtros Trajecti adſumitur. Quo munere functus eſt ad X Novemb. MDLXXXIX. quo a Magiſtratibus ei cum aliis paſtoribus miſſio data, uti narrat Borrius lib. XXI. Hiſtor. pag. CXI. & CXIII. edit prior. Anno MDXCII. praeconis divini partes Hagae ei oblatae, ubi primo Belgicam, deinde Wallonicam eccleſiam rexit, & in variis expeditionibus bellicis, ut & anno MDCIX. in pacificatione Antverpienſi, & anno ſequenti in legatione ad Regem Galliae, a ſacris fuit. BIS vocatus ad Profeſſionem Theologiae in Academia Leidenſi, conditionem abnuit. Quum vero Arminii partes ſequeretur, anno MDCXVIII. munere privatus, exulare juſſus, & bonis fiſco addictis, fuga ſibi ſalutem quaerere coactus eſt. Hinc exul primo Antverpiam, deinde in Galliam ſe contulit, & denuo anno MDCXXVI. in patriam reverſus, Hagae ultima

ultima in ſenectute aetat. LXXXVII. IV Septemb. MDCXLIV. vitam finivt. Duas habuit uxores, priorem N. van Beeck, qua defuncta anno MDCVI. vitae ſociam ſibi elegit Mariam Petitpas. Haec praecipua viri hujus, qui merito inter infelices eruditos & literatos numerari debet, ſunt fata, quae ſatis exacte deſcripta ſunt in ejus vitae deſcriptione, quam ipſe conſignavit. Fuit vero concionator eloquentiſſimus, *& licet ingenio & eruditione Arminio inferior, in regimine tamen eccleſiae perſpicax & verſatus, prudenti directione plus nocumenti eccleſiis, quam Arminius disputando adtuliſſe* dicitur ab Auctore vitae Walaei apud Crenium Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XIII. p. CXXXIV.

Varia ejus ſcripta, lingua Belgica emiſſa, ſunt:

Tractaat van 't ampt en auctoriteyt eener Chriſtelyker Overigheydt in kerkelicke ſaaken. s'Gravenh. MDCX. 4. in editione tertia Roterod. MDCXLVII. accedunt defenſiones contra Acronium, Walaeum, aliosque.

Klaare aanwyſinge, dat de predikatie van Johan Uitenbogaart, by Ruardus Acronius onlangs uitgegeeve, niet ſtrydt in den gront tegen zyn tractaat van 't ampt eener Chriſtelyker Overigheid in kerkelyke ſaaken, met korte aanmerkingen op deszelfs Acronii boek, geintituleert Nootwendig vertoog. MDCX. 4.

Voorloper tegen het libel fameus of pasquil van Ja en Neen, wegens de beroepinge der kerkendienaren MDCXI. 4.

Sendbrief aan C. Vorſtius. eod. an. 4.

Twee Sendbrieven aan Vorſtius eod. an. 4.

Verantwoording over de waarſchouwinge tot Leuwaarden. eod. an. 4.

Nader bericht en openinge van de proceduren by den Kerkendienaren Remonſtranten gehouden in de tegenwoordige geſchillen MDCXII. & conſenſu Ordinum MDCXVI. 4.

Chriſtelyke kerkenordeninge MDCXII. harum conſtitutionum eccleſiaſticarum in noſtra civitate d. a. promulgatarum auctorem facit Voetius Polit. Eccleſ. part. I. lib. IV. tract. I. cap. X.

Verantwoording D. Jacobi Arminii Zal. ged. tegen de ſchendinge zyns naams over zeeker theſes aangaande de regeeringe der kerke en diſcipline, met onwaarheid onder ſyne naam uytgegeeven. Leyden MDCXII. 4.

Herodes en Pilatus vereenigt, of eendracht van de Papiſten en Puriteinen, roerende het bedwingen, afzetten en dooden der Koninginne, ontdekt door David Owen, overgezet door Uytenbogaart. MDCXII. & MDCLX. 4.

Aanhangzel van het Nader bericht. MDCXII. 4.

Waarachtig en volkomen verhaal van de ceremonien van de ordre van de Garter of Kouſſebandt van Engeland, gepleegt in den Hage. MDCXIII. 4.

Brief D. Lubberti aan den Biſſchop van Cantelberg met annotatien op de kant, en extracten aangaande Vorſtius. Delft. MDCXIII. 4.

Verdeediging van de reſolutie der Heeren Staaten tot de vreede der kerken tegen een libel, geintituleert Antwoort op drie vragen. MDCXV. 4.

Oprecht en naerder bericht op 't naerder advys van de conferentie van Delft. MDCXVI. 4.

Gulde brief Martini Buceri overgezet door Uytenbogaart. eod. an. 4.

Klaare juſtificatie van zeekere paſſagien, waar over

J.

J. Triglandius J. Uytenbogaart beſchuldigt heeft van ontrouwigheid, eod. an. 4.

Noodige ontſchuldiginge over het chartabel van de groove laſteringen en beſchuldigingen. Hage eod. an. 4.

Waarſchouwinge tegen het malitieus en valſch geſchrift verſch uytgegeeve met den titel, Den ſtaat van de voornaamſte queſtien. Ibid. eod. an. 4.

Kort bericht nopende zeekere copie van een remonſtrantie (ſo men voorgeeft) in den druk van de Haagſe conferentie nagelaten. MDCXVII. 4.

Copie van 't vervolg of tweede deel des briefs Molinei in den druk van Schiedam agtergelaten &c. met een advertiſſement of waarſchouwinge aan de Franſe kerken. eod. an. 4.

Ontdekkingen van verſcheide onwaarheeden begaan in zeeker geſchrift genaamt Tafel. 4.

Copie van zeeker vertoog onlangs by eenige predikanten der gereformeerde kerken gedaan aan de Heeren Staaten, roerende de outheid van de Gereformeerde Leer, en de niewigheid daar teegen gepleegt. Delft MDCXVII. 4.

Oordeel en cenſuur der geleerde mannen. eod. an.

Noodig antwoort op der Contra-Remonſtantſe tegenvertoogh, opgeſtelt door Niellius in 't Frans, en door Uytenbogaart overgezet. Hage MDCXVII & MDCXVIII. II deelen. 4.

Remonſtrantie der zes colloquenten Remonſtranten, vervattende haare bedenkingen aangaande de Synodus. Rotterd. MDCXVIII. 4.

Remonſtrantie aan de H. H. Staten Generaal aangaande zyn vertrek. Leyden en Amſterd. eod. an. 4.

Meditatie ofte overdenkinge, en verklaring van 't Vader ons, gebeds wyſe geſtelt, met de eige ſchriftuurlyke texten des ouden en niewe Teſtaments, met een gerymde uitbreidinge op yder beede in 't byſonder, door den Heer en Mr. Cornelis Boey Advocaat Fiſcaal en Procureur Generaal over Holland, Zeeland, en Weſtvriesland. MDCXIX. 12. ſaepius prodiit, in editione ſexta Hagae Comitum an. MDCLIX. additum eſt *Chriſtelyke raad voor conſcientieuſe menſchen, die klaagen over groote ſwaarmoedigheid des geeſts.*

Reſponſio ad ea, quae illi ſpeciatim impegit Feſtus Hommius, libro nuper edito ſub titulo Speciminis controverſiarum Belgicarum. Leidae MDCXIX.

Schriftelyke verantwoordinge op de openbaare klokinluydinge. eod. an.

Tweede ſchriftelyke verantwoordinge op de openbaare klokinluydinge aan de Prince van Orange. eod. an. 4.

Copie van een miſſive den 11 *April* MDCXIX. 4.

Treffelicke en bundige verantwoordige aan de Burgermeeſteren en Vroedſchap van Utrecht tegen Niclaas van Berck Burgermeeſter aldaar. Utr. MDCXX. 4.

Brief aan de Heeren Staten Generaal over de ſententie Joh. Grevii. eod. an. 4.

De eenige regte waarom van de uitvoeringe der Remonſtrantſe Leeraars uit de geunieerde Provincien. 4.

Vrymoedig onderſoek der Placcaten. MDCXX. 4.

Brief aan de H. Staten Generaal noopende zeeker libel geintituleert Morgenwecker. MDCXXI. 4.

Reedenen waarom men met de Nederlandze Contra-

tra-Remonſtranten geen geeſtelyke gemeenſchap houden mach. eod. an. 4.

Advertiſſement of waarſchouwinge over het oordeel van het Franſche Nationaal Synodus van Alez in de Cevennes. eod. an. 4.

Achabs Biddag. eod. an. 4.

Vrye aanwyzinge van de onwaarheeden, trouwlooſe verdrayingen, calumnien, en andere grove miſlagen bevonden in de genaamde hiſtorie van Frederik de Vrye, Burgermeeſter der Stad Amſterdam aangaande de kerkelyke beroerten van Holland. eod. an. 4.

Contra diſcours kerkelyk en politicq. eod. an. 4.

Trouwhertige aanwyſinge der bedrieglykheeden en valſcheeden ſchuilende onder Triglandii vermaaninge. Harderwyck MDCXXIII. 4.

Oorſpronk en voortgang der Nederlandſe kerkelyke geſchillen. eod. an. fol.

Hiſtoriſch verhaal van 't geene zig toegedragen heeft binnen Dordrecht in den jaare 1618 en 1619 tuſſchen de nationaale Synode der Contraremonſtranten en hare geaſſocieerden ter eenre, en de geciteerde Remonſtranten kerkendienaaren ter andere zyde, uytgegeeven van wegen de Kerkendienaaren Remonſtranten in 't gemeen, en inzonderheid de geciteerden op de Dortſche Synode, tot verantwoordinge van haare opregte proceduuren.

Copye van eenige requeſten der Remonſtranten aen de Staten van Holland overgegeeven in Julio MDCXXVI. 4.

Goet en chriſtelyk beſcheit gegeeve op Jac. Triglandii tweede vermaaninge. MDCXXVII. 4.

Weederlegginge van 't libel fameus, geintituleert Re-

Remonſtrantie van de Gedeputeerden der Synoden van Zuid en Noord Holland, nopens de ſtoutigheid der Arminianen met de verificatie van dien, en de tweede Remonſtrantie met een tegenſtelling van een contra remonſtrant. eod. an. 4.

Vertoog der Remonſtrantsgezinde Chriſtenen aan de Magiſtraat van Amſterdam, tegen de remonſtrantie der Amſterdamſe Predikanten en Ouderlingen tegen de Arminianen. eod. an. 4.

Een nieuwe heilige ligue, of politycke kerkſorg, en diſcoers daar over. MDCXXVIII. 4.

Onderzoek der Amſterdamſe requeſten. eod. an. 4.

De Calviniſche contraremonſtrantſe factie. eod. an.

Oprecht verhaal vervattende verſcheide ſtukken, met een voorreede van een liefhebber der waarheid, en conſcientien vryheid, beroerende den conſcientie dwang. eod. an. 4.

Waarſchouwinge van Hamans loon tegen den muytigen Echo. eod. an. 4.

Copie van 't derde requeſt der Gedeputeerden van de Synode overgelevert 1628. *met zeekere conſideratien.* eod. an. 4.

Kort antwoord op de Goudſche Magiſtraat. eod. an. 4.

Ernſtig ſchryven aan de Gedeputeerden van de Zuid en Noordhollandſche Synode over hare remonſtrantie aan de Heeren Staten van Holland den 28 *Febr.* 1629. *overgeleevert.* MDCXXIX. 4.

Copie van het tranſlaat uit het Latyn der antwoord des Eerw. Theologiſche faculteit tot Leyden, mitsgaders der Gedeputeerden van beide Hollandſe Synoden op zeekere vragen over zaken van conſcientie hunlieden

voor-

voorgeſtelt by eenige leedemaaten der Gereformeerde gemeinte Chriſti tot Amſterdam ; waar by gevoegt is zeekere brief, vervattende conſideratien op het antwoord des faculteits tot Leyden. eod. an. 4.

Aanſpraak aan de Profeſſoren te Leyden over derzelver verantwoordinge tegen de conſideratien van hare conſulten. eod. an. 4.

Inſtructie op de Miſſive van P. V. H. eod. an. 4.

Beantwoordinge van de Remonſtrantie aan de Staaten van Holland by de Synodale Gedeputeerden in December 1628. *overgegeeve.* eod. an. 4.

Voorſtand van de vryheid der conſcientie dwang van Henricus Arnoldi van der Linden MDCXXX. 4.

Project 't ſamengevoegt uyt de advyſen van de Leden, volgens de reſolutie van de Staten van Holland van den 19 *Jauuari* 1630. *met ſommige bedenkingen over 't ſelve project.* eod. an. 4.

Diſcoers op en tegen de conſcientieuſe bedenkingen, of men in goede conſcientie Treves met Spangien maken mach? mitsgaders de conſideratien op 't vaſtſtellen van de Religie. eod. an. 4.

Advys op het vaſtſtellen van de Religie. eod. an.

Tegen den gloſſateur van de gedrukte ſententie Ad. Smoutii. eod. an. 4.

Uytwiſſinge van de ſchandelyke blame, waar meede de Schryver der tractaten van peis en vreede de Remonſtranten t' onregt bewerpt in zyn derde deel. eod. an. 4.

Samenſpraak over de twee ſlegte geſellen van Treves krakkeel. eod. an. 4.

Eenige brieven geſchreeven aan Heeren van qualiteyt

in s'Gravenhage tot wederlegging van eenige calumnien. eod. an. 4.

Brief aan zyn Excellentie. IV *Junii* MDCXXX.

Requeſte der Remonſtrantſe Leeraren aan de Heeren Staaten van Holland. eod. an. 4.

Ander requeſt aan den Preſident en Raden des Hofs van Holland. eod. an. 4.

Geſprek dienende tot aflegginge van de blamatien en logenen, bevonden in de onwaaragtige vertooninge van 't gepaſſeerde in den jare 1627, 1628 *en* 1629. eod. an.

Logenkorting, of ernſtig ſchryvens ſuyvering. eod. an.

Een oprecht patriots aanſpraak aan de Staten van Holland op 't ſubject van de Synodale gravamina. eod. an. 4.

Gravamina Claſſium ad Synodum te houden binnen Schoonhoven den 23 *July* 1630. *met aanmerkingen op dezelve.* eod. an. 4.

Reſponce aux articles, overgezet in Duytſch. eod. an.

Authenticq verhaal van 't geen te Amſterdam is gepaſſeert over de zake Smoutii, en de ſesſie des Magiſtraats in de kerkenraad. eod. an. 4.

Antwoord op de vraagen en voorſtellen, om te doen denken op middelen, dienſtig tot herſtellinge van de ruſt en verzeekeringe der gemeente Chriſti te Amſterdam. eod. an. 4.

Remonſtrantie op de naam der kerken der geunieerde Provincien overgegeeven aan de Staten Generaal den 26 *September* 1630. *mitsgaders de ontſchuldiging der Remonſtranten, in antwoort op de extracten getoogen uyt de apologie der Remonſtranten.* eod. an. 4.

Schoonhovens vertoog met der Remonſtranten aanmerkingen daarop. eod. an. 4.

Korte

Korte voorlooper op de Proeve der Profeſſoren tegen der Remonſtranten apologie. eod. an. 4.

Oploſſinge van de ontrouwigheid, den Remonſtranten opgedicht in 't monſterken door of voor D. Heinſio. MDCXXXI. 4.

Antidote of tegengift tegen de miſſive der leeraaren en Profeſſoren in Switſerland door Tilenus, overgezet door Uytenbogaard. eod. an. 4.

Replicq der Remonſtranten op de antwoord der Profeſſoren tegen deu Voorloper. eod. an. 4.

Sendbrief der Remonſtrantſe Leeraaren aan de Synode tot Schiedam. eod. an. 4.

Wederopneeminge van D. Henricus Leo. eod. an. 4.

Conſideratien en hoognoodige inſigten. eod. an. 4.

Antwoort op 't blaeuw libel of boexske, genaamt nader unie der Remonſtranten. eod. an. 4.

Vrymoedig diſcoers over 't vereffenen van de religions geſchillen door den Heer van Aubignee, overgezet door Uytenbogaart. MDCXXXII. 4.

Onſchuld der overzetters van 't vrymoedig diſcours. eod. an. 4.

Cygnaea cantio, predikatie over Pſalm 40. 6, 7, 8. *ter geleegenheid van de veroveringe van Maſtricht.* MDCXXXII.

Eerbiedig en ootmoedig vertoog der Remonſtrantsgezinde Chriſtenen aan de agtbaare Magiſtraat der Stede Leiden, over de publicatie aldaar den laatſte July 1633. *gedaan tegen de Remonſtranten.* 4.

Chriſtelyke raad voor de beſwaarde. MDCXXXVIII. 8.

Naader openinge der myſterien. MDCXXXIX. 8.

Zes de laatſte predikatien en meditatien op zes verſcheide texten der H. Schrift, dienende tot bevorderin-

ge van een Chriſtelyk godzalig leeven, en der kerken vreede, met een dankſegging en gebet agter elke predikatie, ſlaande op de materie in dezelve verhandelt, eod. an. 4.

Aanmerkinge op zeekere vraage, antwoorde en verklaaringe van D. Caſpar Streſo aangaande de Predeſtinatie. Hoorn MDCXLII. 8.

Korte en klaare aanwyſinge, dat de leere van de Goddelyke Predeſtinatie, die de E. Caſpar Streſo in zyn Voorbeeld van de geſonde woorden, of gronden der ſaligheid heeft voorgeſtelt, in 't minſt niet wort beweeſen in 't kort berigt daar op gevolgt. eod. an. 4.

Wederleggiuge van het derde bericht aan de gemeynte van 's Gravenhage voor het genaamde Voorbeeld der (gemeynt) geſonde woorden. eod. an. 8.

Kort berigt aan de Gemeynte van s' Gravenhage. eod. an. 8.

Twaalf predikatien over verſcheide aanmerkelyke texten, dienende tot waare godzaligheid en Chriſtelyke vreede der kerke. MDCXLIV.

Antwoord op zeekere conſideratien van de Predikatie gedaan den 6 Septemb. MDCXV. eod. an.

Johannis Uytenbogaerts Leven, Kerkelyke bedieninge, en zedige verantwoording, dat is, naakt en eenvoudig hiſtoriſch verhaal van 't geene Johanni Uytenbogaert over ſyne bedieninge t' Utrecht en in 's Gravenhagen wedervaren is, tot op ſyn vertreck uyt den lande, afſtellinge van dienſt, banniſſement, wederkomſte en daarna incluys, alles by hem ſelven beſchreven en nagelaten, beveſtigt met verſcheyde bewyſen, acten en munimenten daar toe dienende. CUJUS

jus editionem ſecundam habeo an. MDCXLVI. 4. & ex Praefatione Utenbogardi confici poteſt priorem prodiiſſe anno MDCXXXIX. Hunc librum ſe conſcripſiſſe quum jam octuageſimum ſecundum aetatis annum ageret, ipſe refert in Praefatione & cap. XIX. pag. CCCCXXVIII.

Kerkelyke Hiſtorien vervattende verſcheyden gedenkwaardige zaaken in de Chriſtenheid voorgevallen van 't jaar 400 *tot het jaar* 1619. *voornamentlyk in deeze Geunieerde Provincien.* MDCXLVI. & MDCXLVII. fol. cui additum *Uytenbogaerts kerkelyke bedieninge en verantwoordinge.* cui Triglandius ſe obpoſuit, ut cuique notum.

Examen of onderſoek van de artykelen beſlooten in de Synodus nationael tot Dordrecht in den jare 1618 *en* 1619. *en inſonderheid van de texten der H. Schrift, tot beveſtiging van dezelve artykelen ofte beſluyten voortgebracht.* MDCXLVIII. 8.

Vid. Cattenburch Biblioth. Remonſtr. p. CXXXVI. & ſeqq. qui & in Praefatione de eo teſtatur: *Nullius nomen cum Cl. Epiſcopio inter noſtros praecedenti ſeculo praeſtantiori fama fuit celebratum, quam doctiſſimi & facundisſimi viri Johannis Utenbogardi, nemo, qui in vindicias cauſae Remonſtrantium plura elaboravit, & Belgica lingua praeclariora ſcripta in lucem emiſit.* vid. & Gryph. de Scriptor. ſeculi XVII pag. CCCLXXXVIII. & Fabric. tom. IV. Hiſtor. Biblioth. Fabric. p. CCCCXCIX. & tom. V. p. CCCC.

W.

WASSENAAR (GERARDUS) Trajectinus. in urbe patria Advocatum egit, & a Graevio Orat. in L. Acad. Traj. nat. *Cauſarum patronus non ignobilis* vocatur; inmerito a Mathaeo dictus *rapſodus* & *compilator*, quem eo nomine reprehendit van Wezel in Praefatione ante Tractatum de Remiſſione Mercedis. Obiit Trajecti ſenex anno MDCLXIV. aetat. LXXV.

Conſcripſit patrio idiomate *Practyk judicieel en Notarieel*, cujus optima editio eſt Traj. MDCLXVI. 4. Qui liber etiam hodie magni aeſtimatur a forum frequentantibus.

WESTERBURGIUS (JOHANNES) Trajectinus, optimis literis informatus animum ad rerum divinarum ſcientiam adplicuit. Primo exſtitit verbi divini miniſter in pago Thienhoven dioeceſeos Trajectinae anno MDCXXIV. quam ſtationem anno ſequenti permutavit cum eccleſia Abcoudana, ditionis quoque Trajectinae; indeque anno MDCXXVI. Dordracum vocatus eſt. Profeſſorem quoque Politicum egiſſe teſtatur Valer. Andr. & patet ex ipſius Epiſtola apud Crucium lib. VI. pag. CXLI. In qua urbe menſe Auguſto MDCXXXVI. aetatis XXXVII. peſte correptus, obiit.

Maxime vero memorari meretur ob Poëtices laudem, qua floruit. Praecipue vero laudatur ejus *Epinicion in devictam Sylvam-ducis, auſpiciis potentiſſimorum Ordinum foederati Belgii, magnanimitate & induſtria illuſtrisſimi Principis Auriaci Frederici Henrici ſupremi exercitus Gubernatoris* XV *Kal. Octobr.* MDCXXIX. *in libros tres digeſtum.* Leidae MDCXXIX. fol. & MDCXXX. forma

forma minori. Quod egregium carmen nuper ſumma cum voluptate legi.

Liber Triſtium. Leidae MDCXXXII. fol. quae Elegia eſt ſatis longa, & exſtat inter Jacobi Crucii Epiſtolas lib. VI. Ep. p. CXLIII.

Elegia conſolatoria ad Jacobum Wittium. Dordr. MDCXXXIII. fol.

Elogium carmine hexametro praefixit ſecundae editioni libri cujusdam vernaculi, auctore *Focano*, cui titulus eſt *Adonibezeck, ſive Poena Tyrannorum*, in quo quum in contumeliam Amersfortiorum ceciniſſet

ſi jungere Mauris.
Audet inops animi turpes Amiſortia dextras,

bilem movit Verhoeven, qui cives ſuos ab hac injuria vindicare conatus eſt in Appendice apud Matth. Rer. Amersf. ſcriptor. pag. CXLIII.

Ejus quoque Elegia ad *Jo. Beverovicium* ante *Medicinae Encomium* legitur.

Memoratur quoque Weſterburgii *Epiſtola de priſci aevi diuturna vita*, quae exſtat cum Doctorum virorum Epiſtolis & Reſponſis, tum Medicis, tum Philoſophicis Roterodami MDCLXV. 8. a Merklino Linden. renov. pag. DCCI.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. pag. DLXXXI. & Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXXVI.

WEZEL (ABRAHAMUS A) Hic licet Trajecti primam lucem non adſpexerit, ſed natus ſit Bommelae V Octobr. MDCXXXIII. merito tamen a Clar. Graevio in Orat. in L. Acad. Traject. natal. inter eruditos Trajectenſes refertur, quia juvenis Trajectum ductus, ibi edu-

educatus fuit, ſtudiis operam dedit, honores geſſit & vitam finivit. In jure uſus eſt inſtitutione Antonii Matthaei ſenioris, quem in Praefatione ante Tractatum de Remiſſione mercedis vocat *Praeceptorem ſuum jucundisſimae memoriae.* Anno MDCLX. uxorem duxit Annam Bor, familia patricia & ſenatoria ortam, ex qua liberos ſuſcepit. Anno MDCLXIII. Senator in Curia Vianenſi, anno MDCLXV. a ſecretis & domeſticis conſiliis Comitis Brederodii, anno MDCLXIX. Fiſci Dioeceſeos Trajectinae Advocatus creatus eſt, illudque munus geſſit ad ann. MDCLMXX. quo XII Februarii vivere deſiit.

Ab ampliſſimo van der Muelen over de Ordonn. van Utr. rubric. XXII. art. I. n. XXIV *Juriſconſultus florentisſimus* dicitur.

Scripta ejus ſunt:

Commentarius ad Novellas Conſtitutiones Ultrajectinas, multarum litium dirimendarum cauſa XIV *Aprilis* MDCLIX. *promulgatas* Trajecti MDCLXVI. 4.

Tractatus de Connubiali bonorum ſocietate & Pactis dotalibus. Amſtel. MDCLXXIV.

Tractatus de Remisſione Mercedis propter Bellum, Inundationem aquarum & Sterilitatem. Amſtelæd. MDCLXXVIII. ubi in Dedicatione promittere videtur *Opus Quaeſtionum forenſium*, quod tamen numquam prodiit. Quumque Antonius Matthaeus in Obſervationibus rerum judicatarum varia notaverat contra Wezelii Tractatum de Connubiali bonorum ſocietate & Pactis dotalibus, noſter in Praefatione Matthaeum *malevolum, maledicum & maleſanum obſervatorem & obtrectatorem* ſe egiſſe oſtendit.

ra omnia, ...de 1729 in 4.

WILTIUS (HENRICUS) Trajecti quoque editus;

tus, primis literarum fundamentis poſitis, miſſus eſt in Academiam Leidenſem, ubi Lipſii & Donelli ſedulus auditor fuit. a Donello XVII Septemb. an. MDLXXXIV. Juris utriusque laurea honoratus eſt. Domum redux Senator in ſupremo noſtro tribunali anno MDXCVI. creatus, eo munere functus eſt ad annum MDCXXV. Licet vero nulla hic ſcripta poſteritati reliquerit, quum tamen de ejus eruditione ex Epiſtolis Lipſii conſtet, memoriam ejus non omittendam exiſtimavi. Vide quae de eo adnotavit venerandus Pater ad tom. I. Syll. Epiſt. p. CXXII. & Cl. van de Water tom. II. Utr. Placcaetb. pag. MLIV.

WINSSEN (ADRIANUS A) nobiliſſima Winſſeniorum familia, quae diu Trajecti floruit, ortus, Dynaſta Heemſtedii & Hoenkopii, patrem habuit Wilhelmum, qui noſtrum progenuit ex Frederica de Waal van Vroneſtein. Ipſe III Septemb. an. MDCXII. uxorem duxit Chriſtinam van Schoordyck van Rynauwen, filiam Folckardi van Schoordyck Domini de Rynauwen & N. Verduyn. Obiit vero menſe Septembri an. MDCXXXVIII. & ejus uxor menſe Aprili MDCXL. Ex hac uxore ſuſtulerat duos filios & quatuor filias, quorum filius Wilhelmus & una filiarum patri ſupervixerunt; at filius eodem, quo mater, anno, & quidem ante eam, coelebs in Francia diem obiit. Inter eruditos Trajectenſes enumeratur a Cl. Graevio Orat. in L. Acad. Traj. nat. & dicitur quadraginta magnis voluminibus hujus dioeceſeos res omnium ſeculorum deſcripſiſſe, ſed morte inmatura praeventus luci donare non potuiſſe. Ubi vero haec MSS. latent, ignoro. Laudatur quoque a Buchelio in not. ad Hed. pag. CCCX. *Vir rerum patriae ſuae perquam ſtudioſus.*

WINTERSHOVIUS (JOHANNES) Trajecti natus patre adparitore ſummi Tribunalis anno MDLXXI. Juri operam navavit, & Doctoris titulo ornatus eſt. Deinde Societati Jeſu nomen dedit, & Philoſophiam didicit, quam poſtea Duaci docuit. *Tantum prudentia & rerum agendarum dexteritate valuiſſe, ut aptus inprimis haberetur jam ante vitam religioſam, qui ad Hollandos de pace acturus publico nomine mitteretur*, dicitur ab Alegambe Biblioth. Scriptor. Societ. Jeſ. Praefuit Collegio Ruremundenſi & Bruxellenſi titulo Rectoris, & obiit Mechliniae anno MDCXXV. Scripſit

Libellum de Montibus Pietatis, ubi de *Lombardis* ſive *Trapezytis* agit, quem juſſu Principis Alberti ſcripſiſſe dicitur.

Theſes de concurſu Dei.

Vid. Valer. Andr. Biblioth. Belg. pag. DLXXXVI. & Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXV. meminit ejus, ut viri humaniſſimi, Utenbogartius in ſua Vita cap. XIV. pag. CCLXXVIII.

WITTE, ſive WITTIUS (THEODORICUS DE) Hic quoque inter eruditos Trajectinos enumerari ſolet. Lovanii domus Standonicae alumnus Philoſophiae operam dedit, & deinde ad Theologica ſtudia ſe contulit, in quibus tantum profecit, ut S. Theologiae Licentiatus ad Presbyterii gradum adſcenderit. Ex calculi doloribus obiit XVII Octobris an. MDCXXX. Scripſit

Officium Sanctorum Provinciae Ultrajectinae, & quaedam alia patrio idiomate, quae nomine *Chriſtophori Fabri Lovanienſis* evulgavit, & quae quondam ſe legiſſe teſtatur H. V. R. in notis ad Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXLIII. Vid. & Valer. Andr. Bibl. Belg. p. DCCCXXV. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXX. &

Placc. de Scriptor. Pſeudon. p. CCLXXVI.

WITTIUS (JOHANNES) Huic quoque locum inter eruditos Trajectenſes dedit Cl. Graevius Orat. in L. Acad. Traj. natal. Dicitur Stephani Equitis aurati filius. Canonicus D. Mariae Trajectinae factus eſt die 1 Octob. an. MDCVIII. & obiit Romae an. MDCXXII. Multum vero operis & ſtudii ſe poſuiſſe in indagandis priorum ſeculorum antiquitatibus & rebus geſtis ipſe ſcribit in Epiſtola Lamberto Burchio, quam exhibet Matthaeus Syllog. Epiſt. p. XCII. his verbis: *Deliciae noſtrae ſunt, hic campus noſter eſt, haec arena, inquirere, inquam, excerpere, annotare, deſcribere ea, quae ſunt aevi vetuſtioris & ſeculi priſci.* Edidit

Hiſtoriam Caroli VI *Francorum Regis*, conſcriptam olim Latine a Monacho ad S. Dionyſium, ſtilo pro aevo illo ſatis eleganti.

Paſſchaſii Ratberti Abbatis Corbejenſis opera.

Fulgentii Opuſcula aliquot.

Item *Nicolai Brayae Poëmata de geſtis Ludovici* VIII.

Aliaque venerandae antiquitatis monumenta evulgare in animo ſe habuiſſe teſtatur in Epiſtola ſcripta Arn. Buchelio, quae exſtat apud Matth. Syllog. Epiſt. pag. XCIII.

Partem literarum, quas Lamberto van der Burchio ſcripſit, & quibus ejus operam in conſervanda aede D. Mariae praedicat & extollit, producit Matthaeus lib. I. Fundat. Eccleſ. p. CXLI.

Vid. & Valer. Andr. Bibl.Belg. p. DLXXXVI. & Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccl. p. CXL.

WITSIUS (HERMANNUS) Natus eſt Enchuſae, & quidem die XII Februarii an. MDCXXXVI. Parentes habuit Nicolaum, & Johannam Gerardi. Pater Ni-

colaus in faſtis Enchuſanorum anno MDCLII. ejus urbis Senator, & anno MDCLXVI. Conſul memoratur. Noſter anno MDCL. in Academiam Trajectinam miſſus, Paulum Voetium in Philoſophia, Johannem Leusdenum in lingua ſancta, Gisbertum Voetium, Joh. Hoornbeekium, Gualterum de Bruyn, & Andr. Eſſenium, in Theologia praeceptores habuit, quibus ad annum MDCLIV. ſedulo adhaeſit; quo Groningam abiit, ubi Mareſium audivit, quorum omnium benevolentiam induſtria & ſumma animi modeſtia, quae praecipue eos, qui Theologiae ſe mancipant, decet, meruiſſe dicitur. Quumque ita animum coeleſti doctrina inbuiſſet, facultatemque pro populo verba faciendi inpetraſſet, primo Paſtor in Binnewyſent en Weſtwoudt anno MDCLVII. conſtituitur, & anno MDCLXI. in Wormer. anno MDCLXVI. a Goeſanis in Zelandia in Paſtorem electus eſt, & anno MDCLXVIII. a Leovardienſibus expetitus, ibi verbi divini miniſtrum egit ad annum MDCLXXV. quo Franequeram vocatus, Praeconis & Theologiae Profeſſoris partes obivit. Quumque Groningani ei Profeſſionem obtuliſſent, abnuit conditionem. Anno MDCLXXX. beato avo Franciſco Burmanno in Academia Trajectina ſucceſſit, uti ſcribit Graevius tom. IV. Syllog. Burm. pag. DCXLIX. & utraque munera, ſcilicet Paſtoris & Profeſſoris, optime adminiſtravit, ſummaque cum auditorum frequentia Theologiae arcana docuit. Anno vero MDCXCVIII. Leidam abiit, ubi Profeſſio Theologiae cum Praefectura Collegii Theologici ei demandata ſunt; quo ultimo munere ſe abdicavit anno MDCCVII. & obiit Leidae XXII Octobris MDCCVIII. relictis tribus filiabus ex Aletta van Borchorn, quarum prima nupſit viro reverendo Dibbetio, in Eccleſia Leidenſi

denſi verbi divini miniſtro ſeniori: ſecunda adhuc ſuperſtes egregia matrona maritum Lucam Walkier, in ſupremo Tribunali Trajectenſi quondam Senatorem integerrimum, praematura morte in flore aetatis ſibi ereptum, luget. Tertiam ſibi vitae ſociam elegit vir ſincera pietate & eruditione inluſtris Simon Stratenus, in Eccleſia noſtra Trajectenſi Paſtor vigilantiſſimus, quae ante aliquot annos inproles obiit. Celeb. Markius oratione funebri noſtri Witzii laudes & merita enarravit, quae legitur poſt ejus *Exercitationes textuales.* Praeter vero eruditionem, quam ſcripta ejus teſtantur, magna pollebat facundia, & inter diſertiſſimos ſui temporis oraculorum divinorum interpretes habitus fuit. apud Heuman. Poecil. tom. I. lib. IV. p. DXXVI. *clariſſimus & noſtratibus quoque laudatisſimus Batavorum Theologus* dicitur. & ampliſſimus Gulielm. van der Muelen Diſſert. II. de Die Mundi & Rerum omnium natali pag. DXCII. vocat *doctisſimum Theologum, & oratorem ſacrum facundisſimum.* Symbolo uſus eſt *In neceſſariis Unitas, in non neceſſariis Libertas, in omnibus Prudentia & Charitas*, referente Crenio Animadv. Philol. & Hiſtor. part. XII. p. CCXV.

Scripta ejus ſunt:

Judaeus Chriſtianizans circa principia fidei & SS. Trinitatem. quem libellum anno MDCLXI. 12. prodiiſſe tradit Fabric. de Scriptor. Verit. relig. Chriſt. cap. XXI. p. DCI. & tom. VII. Bihlioth. Graec. lib. V. c. VIII. p. CXXXIV.

De Oeconomia Foederum Dei cum hominibus libri quatuor. Leovard. MDCLXXVII. MDCLXXXV. & Trajecti MDCLXXIX. & MDCXCIV. 4. qui liber in Belgicam linguam verſus ab Harlingio Eccleſiaſte Hornano prodiit

terodami an. MDCXCVI. 4. Contra hunc librum, ut & contra *Maſtrichtii Gangraenam Carteſianismi*, ſcripſit Petrus Allinga *Erotematum decadas* XII *in quibus examinantur, quae Witzius in Oeconomia & Diatriba, & Maſtricht in Gangraena Carteſianiſmi adverſus Coccejum & Carteſium protulerunt*. Traj. MDCLXXIX. 4. qui jam antea lingua Belgica ediderat *Verdeedeginge der Profeſſoren van Nederlant tegen Witzius*. Amſtel. MDCLXXII. 8.

Diatribe de ſeptem Epiſtolarum Apocalypticarum ſenſu hiſtorico & prophetico. Franeq. MDCLXXVIII. 12.

In Symbolum & Orationem Dominicam. Franeq. MDCLXXXI. & MDCLXXXIX. Amſtelod. MDCXCVII. & Herbornae MDCCXII. 4. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. menſ. Junii an. MDCLXXXII. Qui commentarius in linguam vernaculam verſus prodiit Delfis MDCC. 4. & quem laudat ob ſolidam eruditionem & elegantiorem praxin van Til Biblioth. Theol. ſelect. pag. XX.

Aegyptiaca & Decaphylon, ſive de Aegyptiacorum ſacrorum cum Hebraeis collatione libri tres, & de decem Tribubus Iſraelis liber ſingularis: acceſſit Diatribe de Legione Fulminatrice Chriſtianorum ſub Imperat. M. A. Antonino. Amſtel. MDCLXXXIII. & MDCXCVI. 4. Vid. Lipſ. Act. Erud. menſ. Maji MDCLXXXIV. laudat van Til d. l. p. c. In *Aegyptiacis* multis diſputat contra Marshami & Spenceri opinionem, qui rationes inſtitutorum Leviticorum typicas fere negligentes, Hebraeos ritus plerumque omnes ex Aegyptiorum inſtitutis derivant, notante Fabricio in Bibliogr. Antiq. cap. II. §. I. & Imbonato in Append. ad Bibliothec. Latino-Hebraicam pag. CCCLXXIX. Ejus vero *Diatriben de Legione Fulminatrice Chriſtianorum* refutavit Lar-

Larroquanus, oppoſita ei Diſſertatione quae legitur ut et Baſnag in Annal. Eccleſ. ad an. CLXXIV.

Diſſertatio Epiſtolica ad Ulricum Huberum, in qua de Scripturae ſacrae auctoritate divina ex ſola ratione adſtruenda: de operationibus Spiritus Sancti in electis mediatis & immediatis: de conſcientia numquam aut aliquando errante, placide diſputatur. Addita eſt ob materiae affinitatem Oratio de praeſtantia veritatis Euangelicae. Traject. MDCLXXXVII. 8. vid. Lipſienſ. Supplem. Actor. t. I. ſect. II. p. LXXXVIII.

Diſſertationes duae de Theocratia Iſraelitarum & de Rechabitis. Exſtant cum Godwini libro, cui titulus *Moſes & Aaron*, qui ex recenſione Johan. Henrici Reizii prodiit Traj. MDCXC. 8.

Miſcellanea ſacra. * Amſtel. MDCXCII. & Leidae MDCXCV. 4. tomus I. in quo continentur *Diſſertationes de Tabernaculi Levitici myſteriis: collatio Sacerdotii Aaronici cum Sacerdotio Chriſti: De Synedriis Judaeorum: de quatuor beſtiis Danielis: de cultu Molochi: de ſeptem Epiſtolarum Apocalypticarum ſenſu hiſtorico & prophetico.* In tomo II. qui prodiit Amſtel. MDCC. 4. *Gloria Mesſiae Regis revelata Jeſaiae* VI. *De votivo anathemate Pauli Roman.* IX. III. *De Sermone Deo: De Michaele Archangelo: de Monte Agar: de uxore Lothi: Quinam Aſſyriorum nomine in ſacris literis veniant: de Rachabitis: Hiſtoria Hieroſolymae ab urbe condita usque ad excidium Babyloniticum. Eadem ab urbe reſtituta usque ad excidium per Romanos: De vita Johannis Baptiſtae obſervationibus hiſtoricis & criticis illuſtrata: de vita Timothei: Oratio Panegyrica de Theocratia Iſraelitarum.* vid. Act. Erudit. Lipſ. menſ.

menſ. Maji & Julii MDCXCII. Novemb. MDCXCV. & menſ. Junii MDCC. & Le Long Biblioth. Sacr. t. II. pag. MXXI. in tomo ſecundo eleganter expoſuiſſe Hiſtoriam urbis Hieroſoſolymae notat Fabricius Bibliogr. Antiq. cap. V. §. V.

Efficacia Baptiſmi. Traject. MDCXCIII. 12.

Exercitationum Academicarum duodecas. Traject. MDCXCIV. 8. vid. Lipſienſ. Act. Erudit. Februar. MDCXCV.

Animadverſiones Irenicae ad controverſias, quae ſub infauſtis Antinomorum & Neonomorum nominibus in Brittannia nunc agitantur. Traject. MDCXCVI. 12. vid. Lipſ. Act. Erudit. Auguſt. d. a.

Meletemata Leidenſia, quae continent praelectiones de vita & rebus geſtis Pauli Apoſtoli, nec non diſſertationum exegeticarum Duodecada, denique Commentarium in Epiſtolam Judae. Leidae MDCCIII. 4. vid. Act. Erud. Lipſ. Februar. MDCCIV.

Ejus cura prodierunt *Gatakeri opera.* Traj. MDCXCVII. fol. de qua editione videndi Fabric. t. IV. Biblioth. Graec. lib. IV. cap. XXIII. p. XXVII. notae ad Morhov. lib. V. Polyh. c. I. §. XI. & Joh. Fabricius Hiſtor. Biblioth. Fabric. t. II. pag. XXXV.

Belgice edidit

Twiſt des Heeren met zynen wyngaart. Leovard. MDCLXXI. 8. qui libellus ſaepius recuſus. contra quem ſcripſit Allinga. vid. van Til Biblioth. Theolog. ſelect. pag. LVIII.

Practyk des Chriſtendoms, ofte eenvoudige verklaaringe van de voornaamſte gronden der godzaligheid, voorgeſtelt in vragen en antwoorden: mitsgaders geeſtelyke printen van enen onweedergebooren op zyn beſte,

en

en een weedergebooren op zyn ſlegſte. MDCLXV. Traj. MDCLXXX. MDCCVI & MDCCXVI. 12. laudat hunc librum van Til d. l. pag. LXI.

Aanſtotelyk nieuws in waarheid en liefde ontdekt. MDCLXXIII. 12.

Practicale Godgeleertheid. Delft MDCCXXXI. 8.

Exſtat & ejus Praefatio Belgica ante editionem *Cave eerſte Chriſtendom.* Traj. MDCXCII. 8.

WOLZOGEN (LUDOVICUS) Amersfortenſis, natus anno MDCXXXII. parentibus nobilibus, ex Auſtria ob religionem puriorem profugis. Pater ejus Johannes Ludovicus, liber Baro in Nieuhauſen, a Voſſio Epiſt. CCXLI. dicitur *Vir virtute & doctrina egregius, eoque nomine bonis omnibus carus, Matheſi ſe totum dediſſe, & numquam ſolatium, praeterquam in ſacris literis inveniſſe.* Iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari ſolet, optimi patris cura inbutus, in Academiam mittitur, ut ſtudiis Theologicis operam daret. Quibus abſolutis, & verba pro concione faciendi facultate ei conceſſa, antequam Eccleſiae cuidam ſe addiceret, ad alias Academias inviſendi, & viris doctis innoteſcendi, cupido eum inceſſit. Primo Galliam, ut majorem iſtius linguae uſum ſibi compararet, petiit; inde Genevam & Helvetiam adiit, ubi celebriores Theologiae arcana profitentes audivit, quorum ſingularem benevolentiam & amicitiam ob eruditionem & candidos mores expertus eſt. Per Germaniam in patriam redux, primo Groningae in Eccleſia Wallonica Paſtor eligitur, deinde Medioburgi in Zelandia, & inde in hanc urbem, ut Eccleſiam Wallonicam regeret, evocatur. Medioburgenſes vero ei miſſionem dare recuſarunt, neque ad nos venit, niſi a

magiſtratibus noſtris ei ſimul demandata Profeſſione Hiſtoriae Eccleſiaſticae extra ordinem ſine honorario, ea conditione, ut per hebdomadam unam lectionem haberet, neque umquam pro eo labore ſtipendium acciperet, decreto XXVI Martii & XII Aprilis MDCLXIV. verum, quum ex voto rem gereret, II Decembris MDCLXVII trecenti floreni annui ei adſignati ſunt. Anno MDCLXVI. in expeditione bellica a ſacris fuit. Quum vero Leidae oblatam Profeſſionem Theologiae abnuiſſet, ordinarius Profeſſor Hiſtoriae ſacrae renuntiatus eſt, & honorario additi ſunt trecenti floreni, decreto Magiſtratuum V Septemb. MDCLXX. Eodem vero anno ab Amſtelaedamenſibus evocatus, ut Eccleſiaſtae munus in Eccleſia Wallonica & Profeſſionem Hiſtoriae Eccleſiaſticae obiret, noſtrae Academiae valedixit XXXI Octobris d. a. Amſtelaedami autem maxima non tantum eruditionis & eloquentiae laude, ſed & ſumma gratia apud civitatis principes, floruit, qui eum dignum judicarunt, ut adminiſtrandae Reipublicae admoveretur. Conſules enim florentiſſimae hujus urbis eum rogaſſe, ut, depoſitis Eccleſiaſtae & Profeſſoris muneribus, iis a conſiliis eſſet, & Syndicatus honorem obtuliſſe; verum, re cum amicis quibusdam communicata, conditionem hanc, licet amplam & ſplendidam, abnuiſſe, ſaepe mihi retulit beatae memoriae ſocer venerandus Fabricius de la Baſſecour. Obiit vero Amſtelaedami XIII Novemb. MDCXC. & non MDCXCII. ut Le Long tradit Biblioth. Sacr. t. II. p. MXXIII. Notandus vero error Molleri, qui in Homonym. p. CI. ex noſtro duos facit, quod vitium memoriae lapſui ipſe inputat in Praefatione & emendat. Neque confundendus cum alio ejusdem nominis,

qui

qui inter Socinianos floruit, & cujus ſcripta in Bibliotheca Fratrum Polonorum exſtant.

Scripta ejus ſunt:

Oratio de Sole Juſtitiae. Traj. MDCLXIV. 4.

De Scripturarum Interprete contra Exercitatorem paradoxum. Traj. MDCLXVIII. 12. In quo maſcule reſpondiſſe Spinozae (ſive potius Meyero) qui ſcripſerat *de Philoſophia Scripturae interprete*, tradit Morhov. tom. II. Polyh. lib. II. part. I. cap. XVII. §. I. vid. & tom. III. lib. IV. §. XI. Quo tamen opere multis diſplicuit, variique religionem ejus ſuſpectam reddere conati ſunt. Inter illos eminent Johannes van der Wayen, Theologus Franequeranus, qui ſcripſit *pro vera & genuina Reformatorum ſententia in negotio de Interprete Scripturae.* Amſtel. MDCLXIX. 8. vid. Le Long Bibl. Sacr. t. II. p. MIX. & Crenius Animadv. Philol. & Hiſt. part. VIII. pag. CLIX. Matthias Nethenus *de Interpretatione S. Scripturae adverſus Ludov. Wolzogen.* Herbornae MDCLXXV. 4. vid. Le Long ibid. p. DCCCLXXVII. Koelmannus in *Examine libelli Wolzogeni de Scripturarum interprete.* Mediob. MDCLXIX. 8. Georgius de Raad *de Scripturae Interprete.* Vliſſingae MDCLXXVII. 8. Vogelſangus Profeſſor Sylvaeducenſis in *Neceſſaria reſponſione ad Praefationem Ludovici Wolzogen*, & Broün miniſter Schotus in *Wolzogio cauſae proditore:* imo plus quam viginti variis in linguis in eum ſtilum ſtrinxiſſe dicuntur, quibus omnibus viriliter reſtitit & reſpondit. vid. Spanhem. Elench. Controverſ. p. DCXXXII. t. III. Oper. p. DCCCCXCIX. & Baelius in Lexico voc. Rimini tom. IV. pag. LVII. Cumque eo nomine male quoque eum habuiſſet Labadie, celebris ille miniſter fanaticus Medioburgenſis, Syno-

dus Eccleſiae Wallonicae noſtrum Wolzogen abſolvit; & accuſatori juſſit crimen confiteri; quod cum non praeſtaret, Ordines noſtri literis datis Ordines Zelandiae rogarunt, ut iſtum ſententiae parere cogerent, uti inveni in Actis Ordinum noſtrorum XXVI Septemb. MDCLXVIII. Anno ſequenti prodiit liber Gallico & Belgico ſermone conſcriptus, exhibens *Judicia variorum Profeſſorum & Theologiae Doctorum*, qui librum hunc ortodoxum & ſanae doctrinae minime contraria continentem, declararunt. Ubi quum in Praefatione notatus eſſet Gisb. Voetius, ille reſpondit in Addendis in fine tom. V. Diſputat. Theologic. Ab altera vero parte anno MDCLXIX. prodiit *Theologorum quorumdam judicium de libro Ludovici Wolzogen de Scripturae interprete*, continens acerbam hujus libri cenſuram, cujus diſtractionem prohibuerunt Magiſtratus noſtri; quumque Bibliopola Simon de Vries auctores nominaſſet Colonium & Ryſſenium verbi divini miniſtros Daventrienſes, per literas rogati ſunt Magiſtratus Daventrienſes, ut Paſtores ſuos in officio continerent, uti didici ex Actis Magiſtratuum noſtrorum XIV Junii MDCLXIX.

Contra Labadie conſcripſit libellum, cui titulus eſt *Fides ortodoxa, ſive adverſus Johannem de Labadie cenſura cenſurae in libellum de Interprete Scripturarum.* Traj MDCLXVIII. 8.

Apologie pour la Synode de Naerden. MDCLXXIX. 12. in qua Labadie a miniſterio remotus erat.

Orator ſacer, ſive de ratione concionandi. Traj. MDCLXXI. 8. de quo libro ita judicat Morhovius lib. VI. Polyh. cap. IV. §. III. *Liber ſcriptus eſt eleganti ſtilo, & in quo partim communia Rhetorices praecepta praeſupponit auctor, partim ſua quaedam particularia*

in textus explicatione tradit. Carteſianae Philoſophiae addictus eſt, ideoque doctrinam de affectibus luculenter proponit, eorumque uſus oſtendit. In partibus ſacrae orationis multa nova docet, variosque modos comminiſcitur. Ut in uno exordio v. g. prolixus admodum eſt, variaque tradit genera exordiorum: primo quidem illa, quorum in Oratoria civili uſus eſt, deinde propria quaedam Oratori ſacro, reſpectu ſcilicet textus, ad quem illa referenda. Habet igitur baſes exordiorum varii generis, unam, quae textui eſt innixa, alteram, quae fundatur in connexione, aliamque iterum, quae ſcopo innititur. Inventa baſi exordiorum, viam habet eadem conſtituendi triplicem, analyticam, ſyntheticam, Syncriticam. Analyticum & Syntheticum illi eſt vel perfectum vel imperfectum. Habet deinde exordia ex illis generibus mixta. Haec vero omnia, ut mihi quidem videtur, plus habent ſubtilitatis, quam uſus, ut & quae de pronuntiatione & actione ſigillatim enarrata habet, prolixius tractantur, quam opus eſt, & excerpta ſunt, licet ſtrenue diſſimulet, ex Eraſmo atque Ludovico Creſollio. Si noſtra vixiſſet tempora Morhovius, & perlegiſſet auctores, qui poſt Wolzogen *de ratione* ſive *methodo concionandi* commentati ſunt, & audiviſſet quosdam hodiernos ſacros Oratores varias diviſiones, ſubdiviſiones, diſtinctiones, & neſcio quae non, adhibentes, & antiquam ſcholaſticam Theologiam aliquantulum redolentes, plurimumque temporis in contexenda analyſi ſacri ſcriptoris, unde textum elegerunt, quam vix unus inter mille auditores concipere poteſt, conſumentes, meliori forte jure eam rationem ſermones habendi plus ſubtilitatis, quam uſus, ad erudiendum populum habere adfirmaſſet.

Diſſertatio Critico-Theologica de correctione Scribarum in octodecim Scripturae dictionibus adhibita, quas alii a Judaeis corruptas, alii mutatas, aut aliter ſcriptas, aliterque lectas, alii mendas, manuenſium incuria illapſas, alii plures, alii pauciores, eſſe putant. Harderov. MDCLXXXIX. 4. vid. Le Long Biblioth. Sacr. t. II. pag. MXXIII.

Poſt ejus mortem prodiit *Leigh Dictionaire de la langue ſainte traduit par Wolzogen.* Amſtel. MDCCIII. 4.

Explication de la priere, que l'on appelle la confeſſion des pechez, avec la demande d'une bonne conſcience devant Dieu, par feu Mr. de Wolſogue. Amſtel. MDCC. 8. vid. Nouvel. de la Republ. des lettr. Novemb. MDCC.

Vita ejus breviter conſcripta legitur in libro, cui titulus, *Lettres ſur la vie & ſur la mort de M. Louis de Wolzogue.* Amſtel. MDCXCII. 8. In quibus epiſtolis memoria ejus vindicatur a calumniis M. Leideckeri, aliorumque.

Z.

ZOES (GERARDUS) vel SOUSIUS, Amersfortenſis, ſocietatem Jeſu intravit Tornaci anno MDXCVIII. ejusque ſpiritualis Coadjutor fuit, & XXI Septemb. MDCXXVIII. annum aetatis XLIX agens, obiit Mechliniae. Varios libros Belgice verſos evulgavit, ut

Modum confeſſionis generalis rite inſtituendae ex Franciſco Arias, Brugis MDCVIII.

Pugnam ſpiritualem Jo. Caſtanizae Benedictini. Mechliniae MDCXVIII.

De Praeſentia Dei Franciſci Arias, additis conſiderationibus de caſtitate. Ibid. MDCXIX.

Praxin purae & rectae intentionis. Ibid. MDCXIX & MDCXXIII.

Viam

Viam vitae aeternae Antonii Lucquet. Antv. MDCXX. 8.

Brevem narrationem vitae Franciſci a Villa regali & Johannis Ximenes, Coadjutorum Societatis Jeſu, ex vita P. Balthazaris Alvarez decerptam. Mechlin. MDCXX. vid Lipen. Biblioth. Philoſ. p. MDL. & Teiſſer. Catal. Auctor. & Biblioth. p. XCIV.

Vitam P. Thomae Sanchez & vitam Margaretae Middelton. Ibid.

Tractatum de cultu pietatis erga B. Mariam Virginem, ex P. Petro Antonio Spinello collectum. Ibid. MDCXX & MDCXXIII.

Pia exercitia animae devotae per Societatem Jeſu Pariſiis edita. Antv. MDCXXI.

Compendium meditationum vitae & paſſionis D. N. Jeſu Chriſti ex Vincentio Bruno. Ibid. d. a.

Relationem de Martyribus Indiae Orientalis. Mechl. MDCXXII.

Narrationem mortis quorumdam religioſorum & aliorum Chriſtianorum, in quadam tumultuaria ſeditione Indorum Orientalium adverſus Hiſpanos. Ibid. d. a. Lipen. Ibid. p. DCCXXIV.

Compendium vitae S. P. N. Ignatii Loyolae. Ibid. MDCXXII. Lipen. Ibid. p. DCCCXLV. & Teiſſer. d. l.

Varias literas miſſas a religioſis Societatis Jeſu, qui anno MDCXV. *e Belgica ad vineam Indiae Occidentalis excolendam abierunt.* Mechlin. d. a.

Hiſtoriam vitae & obitus ſerenisſimae Margaretae Auſtriacae, Hiſpaniarum Reginae, conjugis Philippi tertii, a P. Guzman conſcriptam Ibid. MDCXXIII. 8. Lipen. Ibid. p. DCLV. & MDXLVII.

Paradiſum coeleſtium voluptatum revelatarum S.

Ger-

Gertrudi. P. Antonii de Balinghem. Lovanii MDCXXV & MDCXXIX.

Cor Deo devotum P. Stephani Luzvick. MDCXXVII.

Literas Japonicas anni MDCXXIV. Mechlin. MDXXVIII. Lipen. Ibid. p. DCCXXVII.

Vid. Alegambe Biblioth. Script. Societ. Jeſu in Gerardo Zoes, & Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXVIII. Hujus vero non meminit Valerius Andreas.

ZOESIUS (HENRICUS) Hic quoque Amersfortio natales ſuos debet. In patria primis literarum tyrociniis poſitis, Lovanium mittitur, ubi primo Philoſophiae, deinde Juris utriuſque ſtudio, operam dedit. Praefectus vero ſtudiis nobiliſſimi juvenis Chriſtophori ab Etten, cum ephoro Hiſpanias adiit, & per aliquod tempus Salmanticae, ubi celebris Academia erat, ſubſtitit, & Hiſpanis, ob doctrinam & reconditam Juris ſcientiam, admirationi fuiſſe traditur. Lovanium reverſus anno MDCIII. Licentiae titulo inſignitur, & anno MDCVI. Linguae Graecae Profeſſor in Collegio Trilingui Buſlidiano creatur, quo munere per annum & ſex menſes juxta Valer. Andr. Faſt. Academ. Lovan. p. CCLXXXIII. functus, Profeſſio Inſtitutionum Juris ab Alberto Archiduce ei demandatur, Doctorque Juris anno MDCX. renuntiatus, ſumma cum induſtriae laude prima Juris fundamenta ſtudioſae juventuti tradidit, & anno MDCXIX. Petro Gudelino Pandectarum Profeſſori ſucceſſit. Obiit vero, ſummum Academiae Lovanienſis magiſtratum gerens, XIV Kal. Martii MDCXXVII. & ſepultus eſt Lovanii, hocque monumentum ei & uxori poſitum, quod exſtat apud Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. p. CCV. & Grand Theatr. Sacr. de Brabant t. I. p. C.

D.

D. O. M.
MONUMENTUM.
HENRICI ZOES AMERSFORTII
ET
BARBARAE DE AYALA CONIUGUM.
Ille, cum eſſet J. U. Doctor & Profeſſor, a pietate & doctrina, & qua privatim qua publice, a docendi aſſiduitate celeberrimus, Anno erectae Academiae ducenteſimo, in medio Jubilaei gaudio, publico luctu magiſtratum temporalem cum aeternis mutaturus, praemiſſam in coelos conjugem ſubſecutus eſt, anno CIƆIƆCXXVII. *die Febr.* XVI.
Parentibus optimis filia moeſta P. C.

Scripta ejus ſunt:

Praelectiones ſive Commentarii de Jure Feudorum. Lovan. MDCXLI. 4.

Commentarii ad Pandectas. Colon. MDCLI. MDCLVIII. & MDCLXXXIX. 4. & Lovanii MDCLVI. MDCLXV. & MDCCXVIII. fol. In quo *commentario* Zoeſium Juris quaeſtiones ex Legibus ſolide deciſiſſe teſtatur Struvius Biblioth. Jur. cap. VI. §. VII. & cap. XVI. §. XV.

Commentarii ad Inſtitutiones Imperiales. Lovan. MDCLII. 4. de quibus Ludewig in Praefatione, quam praefixit libro ſuo de vita Juſtiniani & Theodorae, in qua de diverſi generis commentariis ad Inſtitutiones Juſtiniani late agit, pag. LVII. notat prodiiſſe cum additionibus perpetuis Valerii Andreae Lovanii an. MDCLIII. 4. & non verba explicare, ſed rem, uſu tribu-

bunalium vulgari, & ſe additiones Valerii majoris facere pronuntiat. Male vero *Jacobum Zoeſium* vocat, cum nullus *Jacobus Zoeſius* inter Profeſſores Lovanienſes apud Valer. Andr. in Faſtis Academiae Lovanienſis inveniatur.

Commentarii in Jus Canonicum. Lovan. MDCLVI & Colon. MDCLXVIII. 4.

Commentarii paratitlares ad Codicem. Colon. MDCLX. 4.

Commentarii ad Decretales Epiſtolas Gregorii noni. Colon. MDCLXXXIII. 4. Hos a Valerio Andrea editos Lovan. MDCXLVII. & deinde cum additionibus Geysmari Coloniae MDCXCII. 4. tradit Struvius Biblioth. Jur. cap. XIII. §. XIV.

Omnia haec poſt mortem ejus prodierunt, ab auditoribus & diſcipulis ex recitationibus publicis, Lovanii habitis, deſcripta.

Vid. Valer. Andr. Bibl. Belg. p. CCCLXXIV. & in Faſt. Acad. Lovan. p. XLVII & CCV. Miraeus de Script. ſecul. XVII. cap. CCXXII. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCXXVII. & Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. Script. p. LVII.

ZOESIUS (NICOLAUS) Amersfortii in lucem prodiit anno MDLXIV. a Valerio Andrea *Juriſconſultus*, ab Heuſſeno *Juris Canonici Doctor*, ab editore Le Grand Theatr. ſacr. de Brabant *Licentiatus Juris* dicitur. Inter Juris Doctores, qui Lovanii titulum illum adepti ſunt, a Valerio Andrea in Faſtis Academiae Lovanienſis enumeratos, fruſtra illum quaeſivi. Maxima vero induſtria per aliquot annos Lovanii Juris & Legum ſtudio incubuit. Quo confecto, Johanni Venduillio Epiſcopo Tornacenſi a ſecretis, eum in itinere

Ro-

Romano comitatus eſt. Cujus favorem tantopere promeritus eſt, ut ab illo Canonicus & Officialis Tornacenſis ſit creatus; deinde magni Conſilii Belgici apud Mechlinienſes Senator & libellorum ſupplicum magiſter factus, tandem Epiſcopatum Sylvaeducenſem obtinuit, & x Maji MDCXV. quintus Epiſcopus Sylvaeducenſis inauguratus eſt. Cum adhuc eſſet Canonicus, tertio ſcilicet Kal. Aug. MDXCVII. cum Carolo de Zillebeque Paedagogium Falconis Lovanienſe emit, & initio anni MDCI. tranſtulit in Proviſores ejusdem Paedagogii, eoque nomine inter inſtauratores dicti Paedagogii a Valerio Andr. in Faſt. Acad. Lovan. pag. CCLXIV. refertur. Inſtituit quoque in eadem Academia Collegium S. Willebrordi, cujus inſtituta & leges recenſet Valer. Andr. d. l. pag. CCCXXI.

Obiit Lovanii ex febre XII Auguſti an. MDCXXV. & corpus Sylvamducis tranſlatum, & conditum in S. Johannis primario templo hoc Epitaphio:

D. O. M.
D. NICOLAUS ZOES
Epiſcopus Buſcoducenſis,
Magiſter libellorum ſupplicum
Et Conſiliarius magni Concilii,
Frequentioribus Cleri, populique
Ac devoti foeminei ſexus, precibus
Se commendatum cupiens,
Hoc loco vivens ſibi monumentum elegit.
Vixit annos LXI *&* *dies* XVIII.
Praeſuit Eccleſiae Buſco-ducenſi an. X. *menſ* III *& dies* XII.
Obiit anno MDCXXV. *die* XII *menſis Auguſti.*

Scripſit *Vitam Johannis Venduillii Epiſcopi Tornacenſis.* Duaci MDCXVIII. 8.

Ad eum exſtat Epiſtola Puteani Cent. III. Epiſt. LXX. Memoriam hujus viri conſervarunt Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. DCCI. Sweert. Athen. Belg. pag. DLXXXV. Catull. Tornac. p. CLIV. Freher. Theatr. viror. Illuſtr. p. II. ſect. IV. p. MXLIV. Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. Script. p. XLVIII. Heuſſ. tom. II. Hiſt. Eccleſ. p. CXCVIII. & Grand Théatr. Sacr. de Brabant tom. II. part. II. p. XIX.

ZOESIUS (THOMAS) Amersfortius, Lovanii ſtudiis operam dedit, ibique anno MDLXX. ſummos in Jure honores adeptus, Trajectum ſe contulit, ubi inter Senatores in ſupremo dioeceſeos Tribunali adſumptus eſt anno MDLXXVIII; & anno MDLXXIX. quaeſturam redituum geſſit. Deinde ob factiones civiles Trajectum relinquere coactus, opera Pauli Buſii, ad Profeſſionem Juris Leidam evocatus eſt, aegerrime hoc ferentibus Leidenſibus Conſulibus, quum religionis purioris acerrimus eſſet hoſtis, neque conſtaret, an obſequium Regis Hiſpaniarum ejuraſſet. Inde Herpibolim vocatus obiit circa annum MDXCVIII. relicto ex Elberti Leonini filia uxore filio Elberto, qui poſtea in ſuprema Curia Senator digniſſimus fuit. Scripſit:

Commentarium in Codicem.

Vid. Valer. Andr. Faſt. Acad. Lovan. p. CXCVIII. Verhoeven apud Matth. Rer. Amersf. Script. p. LIV. & quae adnotavit venerandus Pater Syllog. Epiſtol. tom. I. Epiſt. X. CXIX & DCXXXII.

ZYLIUS (OTTO) Trajecti XXX Julii MDLXXXVIII. in lucem editus eſt. Anno MDCVI. Societati Jeſu adſcriptus Rhetoricam Ruraemondae docuit; Orator ad ſodales Parthenios Lovanii ac Bruxellis conciones habuit, fuitque Rector Collegii Silvaeducenſis & Ganda-

ven-

venſis, & obiit XII Auguſti MDCLVI. Linguarum Hebraicae & Graecae peritia & cognitione excelluiſſe dicitur.

Scripta ejus ſunt:

Ruraemunda illuſtrata, quam nomine *Ruraemundenſium Rhetorum* Lovanii MDCXIII. 8. edidiſſe teſtatur Placcius de Script. Pſeudon. n. CCXXXVIII. pag. DXLVIII.

Hiſtoria miraculorum B. Mariae Sylvaeducenſis (quae *dulciſſimae* adpellatione ibidem innotuit) *poſt captam urbem ad D. Gaugerici Bruxellam translatae*. Antverp. MDCXXXII. & MDCXXXVIII. 4.

Mardochaeus triplex, ſeu de triplici Mardochaei fortuna, media, infima, ſumma, libri tres. quos morte interveniente non abſolvit, ut ex Alegambe notat Imbonatus in Biblioth. Latino-Hebraica pag. CLXXXIII.

Cameracum obſidione liberatum. Antverp. MDCL. 4. & MDCLVI. 8. Francof. MDCLIV. 4. & in Parnaſſo Societatis Jeſu exſtare docet Gryphius de Scriptor. ſecul. XVII. pag. CCCCVII.

E Graeco Latine reddidit *vitam SS. Xenophontis & Mariae conjugum filiorumque Johannis & Arcadii*, quam edidit Bollandus in Act. Sanctor. XXVI Januarii.

Item *vitam & Miracula SS. Cyri & Johannis Martyrum*, quae exſtat apud Bolland. XXXI Januarii. Inſcriptio, quam fecit ſuper Capella ſive Oratorio in Eccleſia S. Gudulae Bruxellenſis, exſtat in Grand Theatre ſacre de Brabant tom. I. part. II. pag. CXCV.

Hujus viri memoriam celebrarunt Valer. Andr. Biblioth. Belg. p. DCCX. Miraeus de Script. ſecul. XVI. cap. CCXXXIV. Alegambe Biblioth. Scriptor. Societ. Jeſu. Graevius Orat. in L. Acad. Traj. natal. Witte Diar. Biograph. ad an. MDCLVI. & Heuſſ. Hiſtor. Eccleſ. t. II. pag. CXL.

FINIS.

Pag. 8. Adde: ridiculus error Gundlingii, quo *Almeloveenium* Conſulem Delfenſem facit, notatur in Miſcellan. Obſervat. vol. v. tom. III. pag. CXXXIX.

23. lin. 16. *Guielmum.* lege *Gulielmum.*

28. 28. Add. diligentiſſimus Trotzius lib. I. de Memoria Propagata cap. v. pag. ccxc. & ccxci. notat *Beſtium* duas emendationes, ab aliis jam factas, protuliſſe, non indicatis auctoribus.

60. 23. *An.* MDLXXV. Adde *die* XVIII *Maji.*

62. 21. *vivi.* leg. *vivis.*

ult. *excultos.* leg. *cultos.*

65. 4. *Sibillinorum.* leg. *Sibyllinorum*, & adde: hanc Canteri ἀκρισίαν quaſi ex Sibyllinis carminibus, quae diu poſt Chriſti tempora conficta eſſe conſtat, aliqua tranſcripſerit Homerus, caſtigare etiam Jac. Duportum in Gnomolog. Homeric. pag. III. mihi indicavit amiciſſimus patruelis Petrus Burmannus.

11. *Koningium.* leg. *Konigium.*

66. 4. *c.* x. leg. *c.* IX.

17. *Georgiae.* leg. *Gorgiae.*

21. *Eratoſthenam* leg. *Eratoſthenem.*

67. pen. *Eurypides.* leg. *Euripides.*

68. 4. *Et Genev.* MDCII. Haec eſt Euripidis editio apud P. Stephanum in 4. cum Canteri interpretatione & notis, tum additis aliorum etiam obſervationibus, ut Bro-

Brodaei, Stiblini, & Aemilii Porti, quae egregia editio eſt.

5. *Stobaei Eclogarum libros.* Adde: His *Stobaei Eclogis* a Cantero editis deeſt principium, quod e Codice Farneſiano auctius ſe habere jactat Schottus loco ſupra pag. LXV. producto. Profert illud ipſum fragmentum idem Schottus lib. v. Obſervat. Human. cap. xx. ubi teſtatur ſe anecdotum illud caput deſcribendum curaſſe ex Bibliotheca Antonii Auguſtini Tarraconenſis Epiſcopi. vide & David. Hoeſchelium in notis ad Photii Biblioth. pag. 945. Haec quoque me docuit optimus patruelis Petrus Burmannus.

69. 25. *pollicitus eſt Canterus lib.* VI. *Nov. Lect.* Adde: & in Epiſt. Dedicat. ad Cornelium Valerium ante Ariſtotel. Stagir. Pepli Fragment. pag. VII. in fine poſt ejus Nov. Lection.

71. 17. *Duobus filiis Lamberto.* Adde: Hunc *Lambertum Canterum*, doctiſſimum adoleſcentem, ac patre Theodoro, patruoque Gulielmo digniſſimum, laudare Caſaubonum ad Sueton. Caeſar. IV. pag. XIV. mihi ſignificavit idem patruelis.

72. 18. *Juliani verba.* vid. Borremans Var. Lection. cap. VII. pag. LXX.

74. 5. *Jamblichii.* leg. *Jamblichi.*

76. ult. *Guielmo* leg. *Gulielmo.*

78. 27. *Palatinac.* leg. *Palatinae.*

80. 12. *fuſtinuit.* leg. *ſuſtinuit.*

82. 21. *grammacicam.* leg. *grammaticam.*

83. 22. *Ejusque conjecturas profert.* Rosweidus quidem ejus meminit in Praefatione, verum Fronto Ducaeus Cauchii conjecturas ex ejus exemplari paſſim in notis ſuis profert. vid. pag. DCCLV. DCCLXXVI. DCCLXXXI. & alibi.

84. 21. *Cenſorinum.* vide quae ad Valeſii lib. IV. Emendationum pag. CXVII. erudite adnotavit patruelis Petrus Burmannus.

28. *Valerius Andreas.* leg. *Valerium Andream.*

99. 1. *quaecumque hebdomada.* leg. *quaſcumque hebdomadas.*

119. 10. *Dyoniſii.* leg. *Dionyſii.*

135. 19. *Guielmo.* leg. *Gulielmo.*

138. 8. *Guielmus.* leg. *Gulielmus.*

155. 22. *Hoornbeebii.* leg. *Hoornbeekii.*

159. 14. *Ceremoniarum.* leg. *cerimoniarum.*

20. *Guielm.* leg. *Gulielm.*

160. 24. *Satyrae.* Adde: Inedita illa *Hortenſii Poëmatia* & *Satyrae* ſcripta ſunt manu Henrici Antonidae van der Linden in Academia Franequerana quondam Theologiae Profeſſoris, circa annum MDLXXXV. qui Nardae, ubi exilium, bonorum cladem, & ſuorum interitum ſubierat, haec deſcripſit ex autographo. Manum autem ejus eſſe conſtare ex primis Academiae Franequeranae actis, ubi in initio haud raro ejus manus occurrit, quae eandem literarum formam & ductum refert, teſtatur patrue-

lis

lis Petrus Burmannus.

168. 3. *Aetatis* XLVI. Adde: uxorem duxerat Mariam Sofiam Eleonoram a Diemar, quam viduam cum tribus filiabus reliquit.

169. 18. *Typum* leg. *Typo.*

215. 7. *Margenſi.* leg. *Marpurgenſi.*

240. 9. *qnaedam.* leg. *quaedam.*

266. 8. Adde: Praeclaro elogio inſignitur hic Pighius a Sadoleto lib. XIII. Epiſt. VIII. his verbis: *Non dubito, quin tibi Alberti Pighii nomen ſit auditum; tanta enim celebritate eſt omnibus paene in gentibus & eruditionis fama. Nos quidem, qui complura ejus ingenii monumenta legimus, non ſolum probamus ſcientiam hominis & doctrinam, quae multiplex in eo & varia & referta eſt; ſed etiam propoſitum animi & inſignem Chriſtianae pietatis cultum. Incredibile enim eſt, quantum hic vir de fide catholica & Chriſtiana religione ſit meritus.* vid. & lib. XIV. Epiſt. IX.

ult. Add. *Eccleſiaſticam* ſuam *Hierarchiam* non ſatis eleganter, & nimis preſſe excuſam, queritur ipſe in Epiſt. apud Gabbem. p. XXXII.

267. 3. *In hoc libro.* Add. vide de hoc Pighii libro Jac Sadoletum lib. XI. Epiſt. VI. & in Epiſt. ad ipſum Pighium lib. XVI. Ep. I.

19. *quam exhibet Gabbema.* Add. vid. ejusdem Epiſt. XIII. pag. XXXII. ubi hoc

opus ſuum *Periarchon* vocat.

269. 21. *Adtuliſſet*. Add. rectiſſime de eo judicat celeberrimus Dukerus ad Livii lib. VII. cap. XXI. *Ille nihil praeter centones, & eos tamen ſaepe non aptiſſime, ſuere didicerat, ſuam de plerisque dubiis & controverſis ſententiam dicere non poterat, quod & perexigua recte judicandi, & vera a falſis diſcernendi facultate praeditus erat* &c.

271. 27. *Aerumnalibi*. leg. *aerumnabili*.

279. 15. *breve*. leg. *bene*.

282. 7. *Senquerdi*. leg. *Senguerdii*.

300. 2. Duas edidit Tabulas Geographicas, quarum una continet *Imperium Japonicum per regiones digeſtum ſex, atque ex ipſorum Japonenſium mappis deſcriptum*. cui hos verſiculos ſubſcripſit:

Eoi regina maris, quae prima citatos
Conſpicis a rubro gurgite Solis equos,
Et bis tricenas late digeſta per oras,
Sic populis gaudes inſpicienda dari.
Fiximus hic ſedes Batavi. Num denique credam
Poſſe quid intactum civibus eſſe meis.

Altera Tabula exhibet *Cucan, Canaram, Malabariam, Maduram & Coromandeliam, cum parte ſeptentrionali Inſulae Ceylon in mari Indico orientali*. cui ſubſcripti leguntur hi verſiculi:

Et Phoebi propioris equis, aliosque per aeſtus
Qua ſaevit Mavors, litora toſta vides.
Haec armis domuiſſe parum eſt. Scit parta tueri
Belga, licet vaſto diſſociata mari.
Immenſi doctus flammas reſtinguere mundi
Ut ſolet in parvo cura paterna Lare.

12.

12. *Qui.* dele.

330. 2. *Carteſiu.* leg. *Carteſius.*

335. 2. *ſonverſioni.* leg. *converſioni.*

373. 28. *Lipfiens.* leg. *Lipſiens.*

381. 11. *Guielmi.* leg. *Gulielmi.*

383. 17. *juventi.* leg. *juventuti.*

387. 20. *Concinatorium.* leg. *Concionatorium.*

388. 1. *fundamentalis.* leg. *fundamentalibus.*

389. 5. *Politici.* leg. *Politici.*

391. 27. *memorarur.* leg. *memoratur.*

393. 27. *confi matus.* leg. *confirmatus.*

394. 19. *jufti.* leg. *juſti.*

414. 29. *ni.* leg. *in.*

453. 27. *Bibliotb.* leg. *Biblioth.*

455. 1. *legitur.* Adde: *poſt patris ſui Adverſaria ſacra* pag. DLIII. & ſeqq. Editionis Leidenſis an. MDCLXXXVIII.

ERUDITI TRAIECTINI,

quorum Fata deſcripta ſunt.

A.

Adelboldus. Pag. 1
Aemilius (Antonius) 3
Afhackerius (Aegidius) 6
Agylaeus (Henricus) 6
Almeloveen (Theodorus Janſonius ab) 7
Amersfortius (Cornelius) 11
- - - - (Elias) 11
- - - - (Everardus) 11
Axel. (Johannes Honorius ab.) 11

B.

Baecx (Joachimus) 13
Barchauſen (Johannes Conradus) 14
Baſinus (Thomas) 16
Bauldry d'Iberville (Paulus) 18
Beeck (Cornelius) 20
Bekanus ſive de Beka (Johannes) 21
Benningius (Johannes) 23
Berckringerus (Daniel) 24
Bernardus. 25
Bergius (Theodorus Cornelius) 27
Beſtius (Gulielmus) 27
Beuſecom (Chriſtianus a) 29
Blokhovius (Gisbertus) 29
Boechoven (Antonius de) 29
Bommelius (Henricus) 29
Borculoo (Hermannus) 30
Botterus (Levinus) 32
Brienen (Abrahamus a) 33
Bruningius (Chriſtianus) 34
Bruyn (Gualterus de) 34
- - - (Johannes de) 36
Buchelius (Arnoldus) 38
Burchius (Adrianus van der) 42
- - (Lambertus van der) 46
Burmannus (Franciſcus) 50
- - - - (Franciſcus) 54
Buſius (Paulus) 56

C.

Canterus (Gulielmus) 59
- - - (Theodorus) 70
Cnyſius (Johannes) 75
Cocceji (Henricus de) 76
Cocquius ſive Cock (Gisbertus) 79
Conradus Epiſcopus Trajectenſis 79
Cortehoevius (Theodoricus) 80
Cotovicius (Johannes) 80
Creſcentius (Deſiderius) 81
Cuyckius (Antonius) 81
- - - (Johannes) 82
- - - (Timannus) 84

D.

Dalius (Nicolaus) 85
Diemerbroekius (Isbrandus) 87

Douſa

Douſa (Theodorus) 89

E.

Eck (Cornelius ab) 90
Ens (Johannes) 92
Erp (Henrica ab) 94
Eſſenius (Andreas) 95
Eyckius (Arnoldus) 99

F.

Frieck (Everhardus) 102

G.

Gerobulus (Johannes) 102
Geſſelius (Johannes Cornelius) 103
Geſſelius (Timannus) 103
Gilbertus (David) 105
Goor (Arnoldus a) 106
Gorlaeus (David) 106
Gothofredus (Haloinus) 107
Gouda (Johannes de) 110
Graevius (Johannes Georgius) 112

H.

Hadrianus VI. Papa Romanus 123
Haeſtenus (Benedictus) 123
Haghen (Theodorus ab) 125
Halen (Hermannus ab) 125
Haraeus (Franciſcus) 126
Hattem (Oliverius ab) 129
Helmichius (Wernerus) 130
Henrici (Gulielmus) 132
Heſius (Everardus) 132
- - - (Johannes) 132
Heumen (Johannes ab) 133
Heurnius (Johannes) 134
- - - (Otto) 141
Hobokenus (Nicolaus) 144
Hogerbeets (Adrianus) 147
Hoornbeek (Johannes) 147
Hortenſius (Lambertus) 155
Hoven van Zyl (Hugo van den) 162

I.

Iſſelt (Michael ab) 163
Junius (Hadrianus) 166

L.

Lampe (Fredericus Adolphus) 167
Lappius a Waveren (Gisbertus) 172
Laurimannus (Cornelius) 173
Leidekkerus (Melchior) 175
Leoninus (Albertus) 184
Leusden (Johannes) 185
Liſtrius (Gerardus) 191
Longolius (Gybertus) 192
Luyts (Johannes) 197
Lyraeus (Juſtus) 198

M.

Macropedius (Georgius) 200
Maets (Carolus de) 203
Manſveldius (Regnerus) 208

Martin (David) 209
Maſtricht (Petrus a) 212
Matthaeus (Antonius) 213
- - - - (Antonius) 218
Memmius (Abrahamus) 228
Minturnus (Antonius Sebaſtianus) 228
Montanus (Paulus) 229
Moreelſe (Henricus) 231
Morus (Philippus) 234
Muelen (Johannes Andreas van der) 235
Mulertus (Gerardus) 237
Munniks (Johannes) 237
Muyden (Johannes a) 238

N.

Nethenus (Matthias) 239
Nicolai de Trajecto (Gulielmus) 248
Noodt (Gerardus) 249

O.

Oliverius (Arnoldus) 253
Oosterga (Cyprianus Regneri ab) 253

P.

Pighius (Albertus) 261
Pitiſcus (Samuel) 268
Poll (Lucas van de) 272
Pontanus (Henricus) 273
Pottius (Antonius) 274

R.

Radelantius (Gulielmus) 275
Ratallerus (Georgius) 277
Ravenſpergerus (Jacobus) 281
Ravius (Chriſtianus) 285
Regius (Henricus) 288
Relandus (Adrianus) 293
Renerius (Henricus) 301
Rodenburgius (Chriſtianus) 304
Röell (Hermannus Alexander) 306
Roſweidus (Heribertus) 312
Reyſſenius (Leonardus) 318

S.

Saldenus (Gulielmus) 319
Sarcerius (Reinerus) 322
Schookius (Martinus) 324
Schorelius (Adrianus) 342
- - - - (Johannes) 342
Schotanus (Bernardus) 345
- - - - (Meinardus) 347
Schurmannia (Anna Maria) 348
Senguerdius (Arnoldus) 355
Someren (Johannes a) 357
Steechius (Godefridus) 361
Stoock (Aemilius) 361
Stratenus (Gulielmus) 363
Suylen a Nievelt (Gulielmus a) 364
Swartius (Euſtachius) 366

T.

Tollius (Cornelius) 367
- - - (Jacobus) 368
Trajecto (Andreas de) 374
- - - (Henricus de) 375
- - - (Nicolaus de) 376
Tymaeus (Jacobus) 376

V.

Valckendalius de Zyl (Petrus) 377
Valerius (Cornelius) 377
Veldenarius (Johannes) 383
Velthuyſius (Lambertus) 385
Verhel (Arnoldus) 389
Verhoeven (Theodorus) 390
Vermeulen (Chriſtianus) 391
Vluggius (Jacobus) 391
Voern ſive Vorntken (Gulielmus 392
Voetius (Daniel) 395
- - - (Gisbertus) 396
- - - (Johannes) 426
- - - (Paulus) 427
Voſſius (Antonius) 430
- - - (Cornelius) 431
Vries (Gerardus de) 431
Uytenbogaart (Johannes) 434

W.

Waſſenaar (Gerardus) 446
Weſtenburgius (Johannes) 446
Wezel (Abrahamus a) 447
Wiltius (Henricus) 448
Winſen (Adrianus a) 449
Wintershovius (Johannes) 450
Witte ſive Wittius (Theodorus) 450
Wittius (Johannes) 451
Witſius (Hermannus) 451
Wolzogen (Ludovicus) 457

Z.

Zoes (Gerardus) 462
Zoeſius (Henricus) 464
- - - (Nicolaus) 466
- - - (Thomas) 468
Zylius (Otto) 468

AUCTO-

AUCTORES LAUDATI.

Alckemade (Cornelius ab) 363
Arntzenius. 269
Barbeyraccius (Johannes) 251. 252. 253
Benedictus (Georgius) 138
Bibliothecae Bremenſis editores. 312
Borrius (Petrus) 75. 304. 365
Broekhuſius. 176
Buchelius (Arnoldus) 22
Burgersdicus. 103
Burmannus (Petrus) 160. 229
Bynkershoek. 251
Coccejus (Johannes) 97. 273. 410
Coccejus (Samuel) 77
Dorvillius (Jacobus Philippus) 73. 374
Dorvillius (Petrus) 73
Douſa (Janus) 57
Drakenborchius (Arnoldus) 3. 18. 65. 74. 83. 119. 274. 303. 324
Dukerus (Carolus Andreas) 64 118
Dumbar. 193. 274
Fabricius. 19. 26. 27. 69. 89. 122. 313
Francius 176
Graevius. 8. 24. 44. 51. 83. 88. 104. 159. 184. 234. 305. 312. 341. 353. 362. 385. 430. 449. 451.
Kleſekerus. 65
Leibnitius. 392
Le Long (Jacobus) 211
Le Long (Iſaacus) 421
Ludewig. 28 220
Macropedius. 277. 378
Markius. 453
Moreelſe (Henricus) 105
Morus (Philippus) 44
Muelen (Gulielmus van der) 235. 305. 386. 448. 453
Muhlius (Henricus) 8
Murmellius. 191
Nannius (Petrus) 278
Niceron. 328
Otto (Everardus) 92
Oudendorpius. 161
Perizonius. 121
Poſſevinus (Antonius) 126
Reitzius (Johannes Fredericus) 269. 323
Rodenburchius. 85. 105
Schurzfleitschius. 23
Serrurier (Joſephus) 295
Snakenburgius. 270
Stewechius (Godſcalcus) 396
Van Till. 52. 97. 151. 152. 213. 389. 425
Torrenius. 46
Vermander (Carolus) 345
Vitringa (Campegius) 273
Voetius (Gisbertus) 96. 103. 105. 107. 212. 395
Vorſtius (Aelius Everardus) 38
Vries. 197
Water (Johannes van de) 7. 13. 42. 43. 50. 82. 232 261. 277. 281. 449.
Wengerſchius (Andreas) 419

AUCTO-

AUCTORES NOTATI.

Adam (Melchior) 378
A. Almeloveenius. 6
Annaliſta Saxo. 1
Baelius. 156
Bailletus. 303. 413
Buren (Wolpherdus van) 122
Crenius. 119
Europe Scavante. 350
Fabricius (Johannes) 274
Fabricius (Johannes Albertus) 19. 133. 280
Fabricius (Vincentius) 5
Freherus. 56. 165. 149. 328
Furmerius (Bernardus) 22
Gaguinus. 16
Gerhardus (Johannes) 262
Geſnerus. 21. 30
Goudhoven. 46
Graevius. 44. 82
Grand Theatre Sacre de Brabant. 124
Grundmannus (Chriſtianus) 269
Guicciardinus. 262
Gundlingius. 40
H. v H. 13
Halma 38. 46
Heinſius (Daniel) 142
Heumannus. 420
Heuſſenius. 13. 101. 261. 263. 264
Houbraken. 350
Janſenius. 422
Jebb (Samuel) 67
Junius. 342
Konigius. 65. 192
Labadius. 350
Lalemantius (Johannes) 281
Leidekker. 176. 462
Leidis (Johannes a) 23
Lipenius 23. 67. 79. 98. 128. 150. 151. 153. 165. 248. 316. 331. 348
Le Long. 54. 75. 328. 385. 458
Ludewig. 466
Mareſius (Samuel) 282. 284
Matthaeus (Antonius) 1. 94. 226. 384. 446. 448
Meyerus. 16
Miraeus. 378
Miſcellanea Duisburgenſia. 167
Mollerus. 458
Niceron. 328
Opmeer. 192. 393
Oudinus. 26
Patinus (Guido) 328
Placcius. 165. 192
Quenſtedius. 60
Regius (Henricus) 289. 302
Saldenus. 155. 325
Sanderus. 44
Schoockius. 130. 330. 417. 422
Sorberius. 424
Struvius. 79. 92. 429
Sweertius. 30. 82. 156. 281. 378
Teiſſerus. 9. 327. 378
Thuanus. 61
Titius (Robertus) 63
Valerius Andreas. 21. 31. 71. 82. 84. 95. 101. 165. 229. 281. 378. 389. 392.
Verhoeven. 23. 58
Voetius (Gisbertus) 389. 408. 414
Voetius (Paulus) 389
Voſſius. 22
Witte. 50. 131. 348. 396
Zeltnerus. 122.

273. Laurus Hibernica Augustissimi Potentissimique Angliae Scotiae, Franciae, et Hiberniae Regis, Guilielmi III[tii], in Belgiu[m] Reduci, Poemate Heroico, Publice dicto Ex Auctoritate Nobiliss. et Ampliss. DD. Cons[ulum] Senatorum, Academiae Ultrajectinae Curatorum Gratulatur Lucas van de Poll juris-Consultus, et Antecessor. Trajecti ad Rhenum Ex officina Francisci Halma etc. CI) I)C XCI. in fol. pag. 2[illegible]

Academiæ Trajecti Batavorum Curatores joannem Hermannum Schminkium Marburgensem unum dignum judicârunt, qui celeberrimo Burmanno Leidam discedenti succederet, eorum=que judicium cunctis amplissimi Senatus urbani suffragiis 5. Augusti 1715 laudatum ac probatum est. mille ipsi florenorum annuorum stipendium constitutum est quibus addendi quinquaginta alii floreni, quos apud nos recipere solet humaniorum litterarum Professor, qui inferiorum scholarum Curator et Ephorus sit.

Lexicon Latino Belgicum Samuelis Pitisci, sex mille vocabulis et locutionibus ditatum, curâ et studio Arnoldi Henrici Westerhovii prodiit Rotterodami apud joh: Danielem Beman 1754 in 4.
Editio 4ta prodiit ibidem 1771. in 4.

jacobus Perizonius scripsit Quintum curtium Rufum restitutum in inte=grum et vindicatum per modum speciminis à variis accusationibus et immodica crisi joannis clerici. Lugduni Batavorum 1703. in 8. Videatur de curtio justi Lipsii judicium.

Beschouwende en Praktikale Godtsgeleerdtheid, in 't Latyn beschreven door Petrus van Mastricht in 't Nederduitsch vertaald door Henricus Bonbarius, benevens de Lykrede van den Hrdheer, met een Voorreden van Cornelius van der Kamp SS. Theol. Prof. tot Rotterdam in 4.
Tweede deel in 4.

joseph Serrurier, Professeur en Philosophie et en Mathematique à utrecht, qui a donné une traduction Latine de Elemens de Geometrie de jgnace Gaston Pardies, imprimé à utrecht en 1711 in 12. V. Niceron Tom. X. pag. 19.

jacobus Koelmanus Batavus, calvinista, Minister Mediobürgensis, Examen libelli Ludov. Wolzogenii de scripturarum interprete. in 8. Mediobürgi, 1669.

Arnoldus Nieportus, Belga, ultrajectinus, calvinista. Disputationes de authoritate et veritate sacræ scripturæ in rebus philosophicis, in 12. ultrajecti 1654.

Voet (Paulus) Verhaal der Doorluchtige Heeren van Brederode Utrecht, 1656. in 4. Ad pag. 430.

Eginhartus de Vitâ et Gestis Caroli Magni cum variorum Notis, curante Joh. Herm. Schminckio. ultrajecti 1711. in 4.

Theodorus Regnerus de Bassenn, de jurejurando veterum, inprimis Romanorum liber singularis. Trajecti ad Rhenum 1728. in 8. octo absolutus capitibus. Vol. IV. Part. II. pag. 162.

Chevalier (Nicolaus) François refugié à Utrecht, à cause de la religion protestante, qu'il professoit, a fait paraître un savant ouvrage intitulé. Recherches curieuses d'Antiquités que l'on conserve dans la chambre des raretés de cette ville. Utrecht 1709. in fol.
Catalogue de toutes les raretez qui se montrent dans la Chambre de la ville d'Utrecht, mises en ordre par Nicolas chevalier, à Utrecht 1707.
Gilbertus de Longüeil, né à Utrecht en 1507. fut medecin,
— mort en 1543 à cologne
enterré à Bon.

joannes Leusden, ... Des Notes sur jonas, joël et Osée etc.

Rodolph. Leusden, fils de jean, a donné une Edition du Nouveau Testament Grec

Joannes Kooll. in Academia ultrajectina 1696.

pag. 209. Vid. Petrus ab Andro

Paulus Baudrij d'jberville, Gallus.

Description du perilleux voijage faict entour de l'Univer, ou globe terrestre par St. Olivier du Nort d'Utrecht. Amstelredame, Cornille Cla 16 in fol. fig. imprimé en Latin dans la collection des grands Voijages, partie neuvième.

Andreas Rivet,

Kort verhaal van het gepasseerde in de bijeenkomste door eenige Mennoniste Leeraren, binnen Utrecht gehouden, door A. Hoogeveld, Utrecht 1661. in 4.

2. Explication de deux Medailles à l'honneur de leurs hautes Puissances les Etats Generaux des Provinces-unies, au sujet de la paix generale, con=clüe aux Chateau de Rijswijk et des Feux de joije celebrez à cette occasion dans toutes les sept Provinces.

3. Explication de deux Medailles à la gloire de Sa Majesté Guillaume III. Prince d'orange, Roij d'Angleterre etc.

4. Explication de deux Medailles, frappées à Amsterdam par Nicolas Chevallier, sur le Couronnement de Sa Majesté le Roi de Prusse. à Amsterdam 1702.

5. Dissertation sur Medaille, que le venerable Magistrat de la ville de Gouda a fait frapper au sujet de la paix de Rijswik. Par Nicol. chevalier. à Amsterdam 1699.

6. Liste des Noms et Qualitez de leurs Excellences Messeigneurs les Plenipotentiares, Envoijes et Ministres publics, qui se trouvent au congres de la Paix generale, à Utrecht, avec leurs Armes, Livrées, et demeurs, le tout recüeille. à Utrecht 1713.